STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, ILL.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII, UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIUS

IN ECCLESIASTEN

ET

CANTICUM CANTICORUM

AUCTORE

GERARDO GIETMANN, S. I.

Class A
Section 2
Book No. 510
Accession No. .....

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

IV.

COMMENTARIUS

IN

ECCLESIASTEN

ET

CANTICUM CANTICORUM

AUCTORE

GERARDO GIETMANN, S. I.

Cum approbatione Superiorum

STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, ILL.

WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

220.6
C977c
v.22

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1890

Omnia iura vindicabuntur.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

220
C977c
V.23
1955

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQUE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in Ecclesiasten et Canticum Canticorum,* auctore P. Gerardo Gietmann, S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis die 29 Junii 1889.

L. S. Ant. M. ANDERLEDY
Praep. Generalis S. I.

IMPRIMATUR.

Parisiis, die 24 Julii 1889.

† FRANCISCUS, Arch. Parisiensis.

LECTORI S.

« Ecclesiasten » enarrare instituens haec praeter cetera demonstranda mihi esse statui : quae esset libri dispositio, quae partium coagmentatio, quae sententiarum consecutio. In his enim rebus mira est interpretum dissensio, atque adeo illud convenit inter plerosque, totam disputationem non optime cohaerere, proverbia proverbiis annecti, non certo consilio, sed specie aliqua similitudinis ac paene fortuito ab aliis rebus ad alias fieri transitiones. Quod contra esse cum mihi persuasissem, non potui quin multo *minutius*, quam huic commentariorum generi forsitan consentaneum esse videatur, singula verba atque enuntiata excuterem, in demonstranda sententiarum continuatione diutius versarer, aliorum opiniones copiosius exponerem atque compararem. Est enim argumentum et ipsum perdifficile et ab interpretibus in omnem partem agitatum, ut, si quid novi de universa libri compositione deque disserendi perpetuitate afferre velis, fidem non facias, nisi omnem fere explicationum varietatem in uno conspectu posueris. Sed ex hac interpretandi ratione consequitur illud incommodum, quod periculum est, ne pauca libri capita tam multiplici enarrationis instrumento quasi obruantur, vixque veritas ipsa appareat. Itaque cum maxime cuperem continuam Ecclesiastae argumentationem rerumque tractatarum seriem atque nexum facile intelligi, paullum etiam *ordinem* enarrandi usitatum immutavi ; seposui enim primo ea, quae a plurimis non magnopere requiri arbitrabar, ut ea deinde media vel parva scriptura separatim proponerem. Ita fit, ut ad singulos versus explicandos non omnia simul dicantur, sed minutiora quaedam, scripturae diversitate distincta, paullo post subiungantur.

Qua in ratione multum esse utilitatis, paullum incommodi existimavi. Ob eandem causam in posteriore parte commentarii, ubi magis necesse fuit plura uno intuitu conspici, versus Vulgatae non singulos, sed complures coniuncte posui. Alia quoque sunt similia ad libri huius proprietatem diiudicanda, velut illud, quod quaedam vel necessitate vel consilio iterum ac tertio dixi; nam cum rerum difficultas ipsum Ecclesiasten induxerit, ut multa iteraret, non est mirum, interpreti quoque nonnulla variis de causis gravius confirmanda ac legentium animis imprimenda visa esse. De reliquo dignam indulgentia ducet huius difficillimi negotii tractationem, quisquis recordabitur, quanta hodie moles superanda sit variarum interpretationum.

Scribebam Wynandsrade prope Valkenburg in Limburgo Hollandiae, in Dedicatione S. Michaelis Arch. die 29. mensis sept. 1889.

ECCLESIASTES

I. — DE ARGUMENTO LIBRI.

Principio universam scriptoris (Salomonis) disputationem suo ordine brevissime complectar; deinde summas sententias separatim paullo copiosius enarrabo. Qua in re si qua verba insolenter videbor interpretari, rationem reddam in commentario.

Post inscriptionem, qua se graviter dicturum « Ecclesiastae » ascito cognomine pollicetur seque auctoritate regia lectoribus commendat, summam rerum omnium uno effato adumbrat : Vanissima omnia. Sed id intelligi vult de *hominum* laboribus *invito* Deo susceptis. Nam Providentia Divina non minus fortiter quam suaviter reguntur res mundanae, et in magna quadam humilitate imbecillitas detinetur humana ; divina opera immutabili constantia perseverant, homo et humana cito praetereunt, nec valent aut vires mortalium ad impediendam actionem (atque permissionem) Dei nec ingenia ad investigandam. « Generatio praeterit, et generatio advenit ; terra autem in aeternum stat » (1,4) ; « non potest eas [res a Deo constitutas] homo explicare sermone, non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur » (v. 8).

1. Ego, inquit, Ecclesiastes, *sapientiae* studium curiosius atque cupidius susceptum cognovi ad irritum mihi recidisse. Nihil nisi ingentem vidi hominum miseriam : « Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce, universa vanitas » (1,14) ; ipse mihi scrutando auxi dolorem : « Qui addit scientiam, addit et laborem » (v. 18). Nec enim, quae prava sunt, corrigi, nec, quae deficiunt, redigi ad numeros suos possunt (v. 15, hebr.).

Ego idem ad *voluptates* captandas delapsus, « risum reputavi errorem » (= insaniam, 2,2). Tentavi *magnificentiam* tum operum publicorum tum luxus domestici, dum sapientiam conciliare temperatae voluptati studeo. « Supergressus sum opibus omnes, qui ante

me fuerunt in Ierusalem; sapientia quoque perseveravit mecum » — « Cumque me convertissem ad universa opera... vidi in omnibus vanitatem » (vv. 9. 11). Miratus quaesivi, ecquid esset discriminis inter sapientiam (meam mundanam) et stultitiam, quae nec disiunctae nec coniunctae beatum me efficere potuissent. « Et dixi in corde meo : Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest, quod maiorem sapientiae dedi operam. Locutusque cum mente mea, animadverti, quod hoc quoque esset vanitas » (v. 15) « Quid proderit homini de universo labore suo? » (v. 22.) « Nonne melius est comedere et bibere »? (v. 24) coercita, inquam, vitiosa cupiditate ea uti iucunditate vitae, quam Deus moderatis piisque largitur, cupidis malisque negat (v. 26).

Nam *tempora sua* quibusque rebus praefinivit Deus; quae qui non servat tentatque aliquid abnuente Deo, « quid habet de labore suo? » (3,9.) « Et cognovi, quod non esset melius nisi laetari, et facere bene in vita sua » (v. 12). « Omnia opera, quae fecit Deus, perseverant in perpetuum; non possumus quidquam eis addere, nec auferre, quae fecit Deus, ut timeatur » (v. 14).

Hic concluditur libri pars I., qua post exordium (1,1-12) demonstratum est, quanta esset vanitas in hominum *privatorum* studiis immoderatis, quae iusto Dei iudicio fructu solido carerent. Nunc (a 3,16), quid peccetur in *civili* vita, ostendit, quod in hunc fere modum edisserit :

II. Magnae accidunt in hominum societate et convictu molestiae. Ipse « vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iustitiae iniquitatem » (3,16). Tuli graviter, quod Deus differret iudicium sineretque paene ad bestiarum conditionem detrudi miseros (vv. 18. 19). Sed quorsum mea *indignatio?* « Deprehendi nihil esse melius, quam laetari hominem in opere suo » (v. 22) et in Deum coniicere omnem sollicitudinem.

Item alias plurimorum vidi innocentium lacrimas, cum se defendere a potentiorum violentia nequirent, et « laudavi magis mortuos quam viventes et feliciorem utroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quae sub sole fiunt » (4,2 sq.). Rursum multorum vidi labores iniquae *aemulationi* servire, qui se invidia ipsi conficerent; melius certe fuit pauca habere cum quiete, quam plenam utramque manum cum labore (v. 6). (Hoc loco Sapiens orationem a se ipso ad reprehensionem aliorum transfert et sordidiora studia incipit describere). Vidi hominem avarum ab omni se *hominum consuetudine segregantem*, qui ob id ipsum destitueretur ope aliorum. « Melius est ergo duos esse simul » (v. 9). Rex quoque fuit qui *consiliis nollet instrui* aliorum regnoque expelleretur ab adolescente prudentiore.

Atque haec tria vitia indignantium, aemulantium, solitariorum vel morosorum hac II. libri parte castigat Sapiens. Sed ut initio capitis 3 ad praecipuam prooemii sententiam redibat eamque uberius dilatabat, ita nunc ea, quae modo disputata sunt, summatim repetit ac multo etiam copiosius graviusque explanat atque confirmat nec ante finem septimi capitis absolvit. Unde quantum in eis esse momenti putaverit, facile est cognoscere. Itaque primum eadem eodem ordine percurrens inculcat. Sic enim pergit dicere (4,17):

Ad Deum accedens memor esto reverentiae et obedientiae, a querelis autem caveto; nam « in multis sermonibus [indignantium] invenietur stultitia » (5,2). Noli dicere : « Non est providentia » (hebr. : Error est); si enim vota severe exigit Deus, quanto severius huiusmodi verbi poenas a te repetet. Quare « si videris calumnias egenorum, non mireris (hebr. : obstupescas) super hoc negotio » (v. 7); Deus omnes et omnia observat. — A morosa avaritia animum abstrahito. Qui fructus est opum magnarum? « Saturitas divitis non sinit eum dormire » (v. 11). Quid si laboriose parta amiseris? Vitam ages in maerore ac nudus abibis. « Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur laetitia ex labore suo » (v. 17); divini enim muneris est vera vitae iucunditas. — Quodsi regias adeptus opes atque amplitudinem, Dei punientis decreto, usu earum fructuque (quod civilem prudentiam fastidio neglexeris) privabere, « melior te erit abortivus » (6,3); immo etiam si « duobus millibus annis vixeris et non fueris perfruitus bonis : nonne ad unum locum properant omnia? » (v. 6).

Atque ita illa ἀνακεφαλαίωσις s. summorum capitum retractatio absolvitur. Sequitur simili artificio oratorio αὔξησις s. amplificatio atque exaggeratio earundum rerum, quae adhuc ab initio sunt tractatae. Ea perficitur iterata *Divinae voluntatis* demonstratione, *separata* stultorum s. levium, et austerorum tristiumve institutione, sobrietatis ac *mediocritatis* commendatione, denique *verae sapientiae* laudatione.

Universum laborem hominis « ori » servire *voluit Deus* (6,7), i. e. moderatae honestaeque iucunditati; cui voluntati adversatus si « maiora te quaesieris » (7,1, Vulg., quem versum superioribus adiunge) : num poteris contra fortiorem te in iudicio contendere? » (6,10).

« Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus *stulti*, sed et hoc vanitas » (7,7, Vulg.). — Cum calumnia (= iniustitia) conturbat *sapientem*, melior est finis orationis (= loquendi), quam principium (v. 9). « Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem Deus despexerit », i. e. malum hominem (v. 14; hebr. paullo amplius : quod Deus curvaverit). — Ab *extremis* cave affectionibus, et (pharisaica)

austeritate et (vitiosa) incuria, haec *vera* « sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis » (v. 20); ergo mansuetudini studeto, tu qui gravitatis laudem appetis, quem praeter ceteros informo. — Quamquam quae tandem nostra sapientia est? (Atque haec quasi pro corollario adduntur argumentationi.) Neque enim adhuc illud, quod praecipuum videri possit, praestiti, ut demonstrarem, unde esset tanta in vita humana miseria. Itaque intendi ego Sapiens vim ingenii, ut illud ultimum reperirem. « Ecce, hoc inveni, dixit Ecclesiastes... virum [Adami similem] de mille unum reperi, mulierem [primigenia quasi perfectione atque integritate] ex omnibus non inveni » (v. 28 sq.). Omnis labes a muliere prima, quae virum quoque induxit in peccatum; ac nunc quoque amarior morte femina. « Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum et *ipse* se infinitis miscuerit quaestionibus » i. e. mala excogitaverit commenta vitiorum (v. 30).

Hic finis est partis II.

III. Proprium est huius scriptoris materiem assumptam identidem retractare atque in omnem versare partem; qua in re saepe verbis etiam utitur iisdem. Ita fit, ut disputationem iam ad exitum, ut videtur, perductam, quodammodo de integro ordiatur, sed hac ratione, ut nunc *philosophicae* tractationis structuram imitetur.

Fundamentum iacit, cum *Dei* supremi provisoris maiestatem ac potentiam, deinde *mundi* conditionem praesentem, qualis sit, ob oculos ponit. a) « Quis », inquit, « talis ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi? » (7,30, Vulg.; ab his in hebr. c. 8 incipit). « Ego : os Regis observa » (hebr.). « Omni negotio tempus est et opportunitas », a Deo praestituta; non est penes hominem, id mutare. — b) « Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala » (8,11). Nec in tanta miseria ullum est consilium salubrius, quam ut laetetur homo et edat atque bibat, prout Deus concesserit (v. 15). (Deinde ad eadem superiora argumenta recurrit oratio, ordine non prorsus eodem, additque de *labore* et *pietate* praecepta.)

« Apposui », inquit, « cor meum, ut scirem *sapientiam* et intelligerem distentionem, quae versatur in terra... et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem » (8,16 sq.), ac nominatim, fortunae iniquitatem non pati humanae existimationis quasi trutinam aut mensuram (9,1-2).

Cetera quoque *studia* mortalium inania esse vel hoc ipsum declarat, quod apud inferos non manebunt (vv. 3-6). « Vade ergo et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera [ista] tua » (v. 7) et « operare instanter », quia mors im-

minet et inevitabili necessitate repente te illaqueabit : tum praeterierint omnia mundana (vv. 10-12). — Tu operam dato *verae prudentiae ac sapientiae,* ne Dei quadam obsidione expugneris; « melior est enim sapientia, quam arma bellica » (v. 18), cum exigua etiam stultitia corrumpantur optima quaeque (huc refer ea quoque, quae sunt 10,1-3).

Oportet autem sapientiae studiosum, quem imprimis atque identidem admonitum volo, cavere ab *indignatione,* et « locum suum non dimittere, si spiritus potestatem habentis ascenderit super eum » (10,4). Sunt sane iniqua plurima passim toto orbe terrarum, sed cautio adhibenda maxima est, ne quemadmodum in corporis actione aliqua imprudenti saepe fieri solet, ipse tibi vulnus inferas. Cavendum imprimis, ne quid iniuriosi dicas in Deum; e sermone enim et sapiens cognoscitur et insipiens.

Reliqua huius capitis (a 10,16) ad *laboris suadendam assiduitatem et religionem pietatemque* valent, de qua deinceps disseritur.

Non ita, inquit, compesci cupiditatem et quaeri vitae iucunditatem iubeo, quasi desidiam atque ignaviam malim. Immo tu *laborato* sedulo ; « mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud, et si utrumque simul, melius erit » (11,6). « Qui observat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, numquam metet » (v. 4). — Praeter cetera autem tu, mi alumne, ab adolescentia *Deum colito :* recordator mortis ac iudicii futuri. Et tempus prospectato senectutis, cum ad nihilum recident terrena atque humana omnia; nihil enim mundanum non inane esse supremus exitus comprobat. « Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas » (12,8).

Atque haec summa brevis sapientiae est, mi fili; tu, dimissa mundi prudentia, ista sectabere : « Deum time et mandata eius observa : hoc est enim omnis homo » (v. 13).

Ecce tibi in uno conspectu omnia :

PROOEMIUM (1,1-11) DE VANITATE GENERATIM.

Omnia humana vana

1. Ob fragilitatem hominis mortalis, comparatam constantiæ rerum naturalium (1,1-7);

2. Ob ignorantiam eius, comparatam rerum admirabilitati (1,8-11).

PARS I. (1,12-3,15) DE PRIVATAE VITAE VANITATE.

1. *Vana sapientia* (1,12-18).

2. *Vana voluptas, vana magnificentia* (2,1-2,26) :

a.) Vana voluptas (2,1 sq.);

b.) Vana opera, humana prudentia perfecta (2,3-11);
c.) Huius prudentiae cum stultitia comparatio (2,12-17);
d.) *Quare* vana sint eiusmodi opera (2,18-23);
e.) Quid concludendum sit (2,24-26).

3. *Epilogus primae partis :* tempore humana omnia, invito homine, reguntur (3,1-15).

PARS II. (3,16-6,6) DE CIVILIS VITAE VANITATE.

1. *Vanus dolor indignantium* (3,16-4,3) :
a.) de iudiciorum iniquitate (3,16-22);
b.) de iniusta vexatione (4,1-2);
2. *Vana aemulatio* (4,4-6);
3. *Vana morosa solitudo* (4,7-16) :
a.) si eam avaritia suasit (4,7-12);
b.) si consiliorum fastidiosa contemptio (4,13-16).
4. *Recapitulatio secundae partis* (4,17-6,6) :
a.) de indignantibus (4,17-5,7);
b.) de avaris (5,8-19);
d.) de rege fastidioso (6,1-6).

ORATORIA AMPLIFICATIO I. ET II. PARTIS (6,7-7,30) :
1. *De divinae voluntatis decreto* (6,7-7,1 Vulg.);
2. *De levitate* (7,2 Vulg.-7);
3. *De austeritate* (7,8-15);
4. *De aurea mediocritate* (7,16-23);
5. *De ultima causa vanitatis* (7,24-30).

PARS III. (8,1-12,8) : SAPIENTIS RESPONSA S. doctrina omnis praecipientis in morem repetita :
1. *Summi Regis observa tempus* (8,1-8);
2. *Si est in terra iniquitas, moderare tibi* (8,9-15);
3. *Sciendi studium compesce* (8,16-9,2);
4. *Omni alia quoque vana cupiditate liber, fruere vita* (9,3-12);
5. *Veram sectare sapientiam* (9,13-10,3);
6. *Imprimis ab indignatione te cohibeto* (10,4-15);
7. *Simul sedulo laborato* (10,16-11,6);
8. *Et Deum timeto, memor vitae brevitatis* (11,7-12,8).

LIBRI EPILOGUS 12,9-14 : Hanc summam teneto sapientiam : « Deum time et mandata eius observa, hoc est enim omnis homo ».

Poteram omittere plura de argumento; sed in hoc libro difficillimo non sit alienum eas sententias grandiores, ad quas perpetuo attendendum erit, ne explicatio aberret, breviter anticipare. Itaque a principio statuendum est, in *miseria vitae humanae* describenda totam fere orationem versari. More tragicorum poetarum Ecclesiastes miseratur

studiorum plurimorum atque conatuum sterilitatem; a vanitate laborum omnium initium ducit disserendi, eam saepe in media tractatione notat, eandem, cum librum terminat, vult infixam haerere mentibus. Tristis igitur nobis occurrit sapientiae magister, qui se omnem sensisse vitae huius mortalis acerbitatem, hausisse amaritudinem, percepisse inanitatem demonstret, nobisque instet persuadere, ut cum despicientia atque adeo indignatione quadam mundana omnia proterere velimus. Quod ut perficiat, non modo poetica et oratoria exaggeratione, sed imprimis, dum philosophi sumit personam, acuta disceptatione atque argumentatione utitur; nec modo meditatus, verum etiam expertus omnem rerum humanarum varietatem, summam orationi suae affert auctoritatem. Quem igitur non commoveant atque percellant huiusmodi querelae, cum bestiis simillimos esse mortales non dicit modo, sed demonstrat : 3,18 sqq., vel cum mortuos praestare vivis et utrisque eos, qui nati non sint, affirmat : 4,2 sq., vel cum summas industrias incertissimo esse eventu, et ut pisces hamo, ut laqueo aves, sic capi homines mortis necessitate lamentatur : 9,11. 12. Maesta igitur sunt in hoc libro plurima, praesertim si etiam senectutis miserias (cap. 12) addideris.

At vicissim maxime inopinato obiicitur illa admonitio, ut *edamus et bibamus et laetemur*, quia nihil melius sit. An huc desperatione quadam liberalium studiorum deducimur? Paene ita se res habet. Nam satis constanter Sapiens cum terrestrium comminuit simulacra bonorum, tum concludere solet : Ergo nihil relinquitur, nisi ut omisso studio rerum grandium modeste gaudeamus et, quasi depresso volatu, terrae, unde facti sumus, adhaerescamus. « Homini enim bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam et laetitiam; peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei, qui placuit Deo; sed et hoc vanitas est et cassa sollicitudo mentis » (2,26). Est igitur sane quaedam desperatio, sed salutaris, qua ad communem vitae iucunditatem sectandam compellimur; altioribus enim deiecti conatibus, quas animi suaserat arrogantia, ad ea descendimus, quae naturae corporeae ac fragili magis sunt consentanea. E quo ipso cognosci licet, imbecillitatis ingenitae conscientiam in illa quasi desperatione contineri magisque iam apparere, quanta sit nostra miseria atque humilitas, qui Daedaleas frustra experti pennas ad ima delabamur. Non est igitur edendi bibendique praeceptum superiori scriptoris lamentationi *contrarium*, sed haec illo incrementum capit; quid enim tristius quam hominem alta semper spectantem nescio quo pondere deprimi, ut invitus in terra repat?

Sed paullo diligentius investigemus oportet, quid sibi ista velit cibi

potusque usurpatio. Principio evidens est, non ea esse maestitia Ecclesiasten, ut vera vitae bona, cuiuscunque sint generis, *contemnat;* cur enim haec laboriosae sollicitudini et immoderatae magnarum rerum appetentiae praeferret idque toties tamque graviter asseveraret : 2,24 sqq. 3,12 sq. 22; 4,6; 5,10. 11. 17 sqq.; 6,2 sqq. 6 sqq.; 7,15; 8,15; 9, 7 sqq.; 11, 7 sqq.? *Qualem* autem velit esse eam iucunditatem, quam commendat, perspicue indicat : cum *Dei timore* eam percipi iubet, nominatim loco ultimo 11,8-12,1; eandem Dei donum dicit locis paene omnibus, circumscribit autem ita, ut passim immoderationis vitio opponatur sitque cum « operis » functione uniuscuiusque et assiduitate laboris coniunctissima : 2,24; 3,13. 22; 5,11. 17, comites autem habeat sapientiam veram : 2,26 et caritatem familiarem : 9,9. Atqui ex his omnibus intelligitur, speciem quandam optimam ostendi iucunditatis Deo acceptae, quae toto, ut aiunt, coelo distet a levitate voluptariorum, quam acerbe vituperari videmus : 2,2; 7,2-7 (Vulg.) Cf. de « fine auctoris » P. *Cornely,* Introd. II. 2 p. 165 sq. Quae cum ita sint, absurda criminatio fuit quorundam « *Epicureismi* » Sapientem accusantium.

Forsitan « *Pessimismi* » crimen eum effugere posse quispiam negaverit. Nam adhuc non liquet, quo iure a rebus altioribus tam severe nos avocet atque ad communis vitae humilitatem invitet vel potius compellat. An id viri strenui est et alte spectantis, et non vilis ingenii atque ignavi? Nonne ex aegritudine quadam maesti atque exacerbati animi eiusmodi admonitio derivatur? — At dictum est supra *immoderatae cupiditati* istud tamquam morbo remedium adhiberi; fit autem plerumque, ut contraria contrariis curentur, nec sequitur continuo, ut Ecclesiastes ea velit *generatim* intelligi, quae *comparate* enuntiavit. Annon in quolibet vitio corrigendo utile est ad diversa impellere, velut avarum ad effusam largitatem, ignavum ad audaciam, festinum ad tarditatem? Sua enim sponte, quo tendat admonitio, apparet, et sua quemque natura satis tuebitur, ne in vitium sibi minime finitimum incurrat. Deinde ipsam suam maestitiam Sapiens, et quam iustis sanctisque rationibus sit progenita, ostendit, et quam non fuerit satis temperata aliquando, eo significat, quod ab illa ipsa se revocat ad hilaritatem : 3,22 (eadem correctione mitiganda sunt, quae sine clausula acerbius queritur 4,2-3), itemque 8,15 et 9,7 sqq. Sed maximum est, quod non modo *pietatis* suasione — nihil autem est in vita Dei cultu ac religione grandius — opus totum absolvit, verum loco paenultimo ita ad strenue *laborandum* cohortatur, ut non potuerit acrius; nam *in spem incertam* iubet « negotiari, dum veniat Dominus » (Lc. 19,13) et cum vitae fine tempus etiam adduxerit mercedis : « Mitte panem

tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum — da partem septem, necnon et octo — mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua » (11,1. 2. 6). Ergo concludi necesse est, non tam rerum magnarum studium reprehendi, quam arrogantiam ac superbiam castigari.

Atque ita nos sua sponte eo deducit meditatio, ut quaeramus, quid fuerit *ritii* in iis laboribus, quos Sapiens vanos appellat ac gravissime dissuadet. Qua in re ipsa *forma* cernetur, quae est huic toti de vanitate tractationi impressa. In omni enim re arte facta requiras, ut materies aliqua *specie propria* informetur, unde praecipua artificio iucunditas accedat. Itaque quaeritur, quo intuitu rerum mundanarum maxime commotus Ecclesiastes huiusmodi librum de vanitate scripserit. Id ipse identidem significat, ut 9,11 sq. : « Vidi nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed *tempus* casusque in omnibus. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in *tempore* malo, cum eis extemplo supervenerit. » Non posse agere dicit hominem, ut velit, sed *necessitate* quadam constringi, eaque conatus saepe acerrimos ad irritum redigi. Unde est? Considera, inquit, opus *Dei;* quis enim reflectere poterit, quod ipse curvaverit (ex hebr.)? Die bono bonis gaude, et malo die recogita, ita hunc ut illum, fecisse *Deum,* ob eam causam, ne inveniret homo in vestigiis eius quidquam? (7,14. 15). Atque haec de « tempore » a Deo praestituto rebus omnibus, de iniustitia ab eo permissa, de rerum immutabili quodam cursu, de hominis et imbecillitate et ignorantia multis locis disserit, ut rationem reddat vanitatis laborum humanorum : 1,2-11; 2,15 sqq.; 3, 1-11. 14 sq.; 6,8. 10; 7,14 sq.; 8,3-8. 14; 9,2. 11 sq.; 10,5 sqq.; 11,3. 5.

Fuerunt autem qui « *Fatalismi* » errorem attribuerent Ecclesiastae. Nihil potest esse falsius vel ob hanc causam, quod ipsis verbis a *Dei* voluntate illam necessitatem repetit : 3,11. 14; 6,2. 10; 7,14-15, item 8,3-8 et 10,5. Adde quod ipsam *sapientiam* supremi provisoris ostendit : 2,26; 5,7; 7,30. Non igitur fato fit, ut homo sit miser, sed Dei sapientissimi decreto; homo autem libera voluntatis determinatione induxit mala in mundum : 7,30 (Vulg.), coepitque cum Eo, qui fortior ipso est, contendere : 6,10, cf. 2,26 et 8,5. 11. 12; 9,3. Quapropter *liberum* hominem Ecclesiastes monet atque hortatur, ut a vitiis declinet, cum Deo expostulare ne audeat, pietatem colat; immo vero in clausula libri : « Finem loquendi », inquit, « omnes audiamus : Deum time, et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo » (12,13).

Itaque pugna inutili cum fortiore Deo, qui legibus naturae ac providentiae mundum administrat, homo *ipse sibi* creat calamitatem. Atque haec est illa excelsa Ecclesiastae sententia : nihil esse mali in mundo, quod non aut e peccato primo (7,30) aut ex aliqua rebellione mortalium fluxerit, ut nihil sit ad pacem fruendam beateque vivendum utilius, quam ut « humiliemur sub potenti manu Dei » (1 Petr. 5,6), ut Eo invito ne quid aggrediamur, ut iis angustiis, quibus nos (ob peccatum primum) salutari quadam severitate conclusit, libenter contineamur. Sed quoniam « nitimur in vetitum semper cupimusque negata », idcirco inculcat nobis atque inclamat, ut ab *id genus* inceptis desistamus, et exaggeratione quadam commotionis oratoriae iubet « cibo potuque » esse contentos. Patet *iustissima* causa maestitiae : luget et a se ipso (1,12-2,26 potissimum) et a plerisque modestiae fines tam saepe transiri, unde tot casus, tot spes frustratae, tot dolores in hanc vitam sint derivati. Illud autem gravissime premit : *mortalem* esse hominem (1,4; 2,15 sq. 18. 19; 3,19 sq.; 5,14 sq.; 6,6; 9,3-5. 10. 12; 11,8; 12,6. 7). Atqui mortem propriam *peccati* poenam esse probe intellexerat Sapiens ; repetit enim ipsa verba Genesis : « Pulvis es et in pulverem reverteris » (3,20, cf. 12,7). Sed eandem hanc poenam Deus admonitricem perpetuam esse voluit nostrae fragilitatis atque humilitatis; quocirca iis locis, quibus mortalitatis infert mentionem, Eccles. solet ea uti pro argumento, quo absterreat hominem a studiis saecularibus atque mundanis. Non relinquitur igitur ulla causa, cur hunc vanitatis praeconem vitiose maestum, aegro ac flebili ingenio, denique morosum aut lucifugum fuisse fatique opinione depressum censeamus; quodsi quid usquam tale in se videtur describere, id superioris fuit aetatis, quoniam quidem *errasse* se aliquando non infitiatur. Perspexit ille quidem acrius aliis pronuntiavitque eloquentius, quam plena esset vita humana miseriis ; at id ingeniosi hominis est et admonitoris liberalis — atque etiam vere sapientis.

De qua *sapientia* iuvat pauca addere. Eius commendatio pulcherrima est in epilogo, quem ipsius scriptoris esse existimamus. *Studium* autem pervestigandi res humanas identidem profitetur vehemens : 1,13 sqq.; 7,24 sqq.; 8,16 sq., quod tamen significat nec omnino moderatum nec fructuosum fuisse, nisi quod 7,27 sqq. aliquem indagavit praecipuum fontem vanitatis. *Alia* sapientia est deterior, quam mundanam prudentiam rectius vocaveris, de qua multa sparsa sunt toto capite 2; huc pertinet eodem 6,8. *Veram* sapientiam (supernaturalem) praedicat 7,5. 12 sq. 20; 8,1. 5; 9,13 sqq.; 10,12; 12,10 sqq.

Cuius pars magna est in *mansuetudine* posita, cum iniquitas impune vagans ad iracundiam concitat animum contemplantis, et quoniam

supremi administratoris rerum humanarum est vindicem se praebere iniuriarum, hic attingitur inconsiderata vel tacita reprehensio *Providentiae*. Quem locum insigni diligentia persequitur Ecclesiastes, estque hoc valde eminens toto libro : 3,16 sqq.; 4,17 sqq.; 7,8 sqq.; 8,9 sqq.; 10,4 sqq. V. de his comm. — Sapientiae opponit et comparat *stultitiam* :1,17; 2,1-3. 12 sqq.; 4,13 sqq.; 7,2 sqq.; 10,1-3. 12 sqq.

Sed unum genus sapientiae Ecclesiastae abiudicant multi, in quo uno tamen, si verum quaerimus, vis ac dignitas universae vertitur sapientiae : negant eum omnino cognitum persuasumque habuisse, animos esse *immortales*. Concedunt hi quidem eum putasse permansuras apud inferos (in scheol) umbras quasdam mortuorum, sed certa spe beatae immortalitatis caruisse. Quod tristissimum fuisset in eo, qui mortalem vitam demonstrat esse vanissimam ; nec profecto, quànam cogitatione a desperatione se potuisset defendere, appareret. Sed hoc ipsum pro firmo argumento est, non *potuisse* ignotam esse ei futuram vitam beatam. Etenim quis nervosius elocutus est iniquam esse hominum in hac terra conditionem, piorum potissimum ac tenuium, quod aut deteriore utantur fortuna, quam qui mali iidemque potentes sint, aut saltem neutiquam meliore? Quis id generosiore indignatione (non satis ea quidem pridem temperata) deploravit, quoniam *non* ille *sibi* illatas queritur iniurias, sed alienam sortem miseratur? Commoveri et aculeis quibusdam misericordiae pungi necesse est, qui legat huiusmodi locos : 3,16-4,3; 8,9-12. 14; 9,2. 3; 10,5-7. An credibile est eum, qui tam acriter perspexerit rerum mundanarum iniquitatem eaque tam ardenter doleat, non *aut* spem omnem aequi iudicii abiecturum, *aut* futurae beataeque vitae veritatem toto pectore amplexurum fuisse? Iam vero idem ita *firmiter erectusque consistit*, ut nulla cernatur titubatio, nisi forte illa, quam e superiore aetate repraesentatam nunc improbat — sic enim primum illum locum vel licet vel oportet intelligi, — de reliquo autem severissime hortatur, ne quis de suo statu se deiici intuitu tantae indignitatis patiatur. Nihil enim toto libro (si recte enarratur) antiquius habet, quam ut iracundiam sapientis, si eum sceleratorum conspecta impunitas lacessat, reprimat. Nam et ipse constanter ab eius rei consideratione se revocat ad laetitiam animique aequitatem et verborum querimonias gravi poena dignas esse dicit et exspectare Dei iudicium iubet : 3,17; 5,1 sqq. 7; 7,8-15; ibid. 16. 17 etiam interitum minatur ei, qui *impatienter iustus* esse velit, et c. 8 reverentiam Dei, rectoris universi, et observationem temporis ab eo rebus iudicandis constituti solam appellat sapientiam, et 10,4-15 quam cautissime in tali causa agendum esse demonstrat. V. comment.

Dixi *iudicium* aequum sperari a Sapiente, sed nec cito nec, ut est rerum cursus usitatus, omnino in hac vita futurum; id tum locorum multorum, quos tetigi, recta interpretatione fit evidens, tum planissime ostenditur : 3,17; 5,7; 8,4-6. 11 sqq. (v. huius loci enarrationem in comm.); 11,9; 12,14. Quos locos qui ad aliquod iudicium in *mundo* futurum referunt, hi, qui tenor sit universae disputationis, nullo modo assequuntur. Atqui patet, futuri iudicii spem inanem esse, nisi immortales animi dignum meritis praemium sint adepturi.

Sed ipsa scriptoris verba idem persuadere debent. « Revertetur », inquit, « pulvis in terram, unde erat, et spiritus redibit ad Deum, qui dedit illum » (12,7). Nihil potest esse clarius; nisi quod quidam commenta recentiora affingunt Ecclesiastae. An est vestigium ullum apud Hebraeos, unde appareat eorum quemquam opinatum esse, animum ad Deum reversum in *divinam naturam redire atque absumi*, aut non idcirco ad Deum venire, ut vel beatus sit vel iudicetur? Num verba « dedit eum » animi necessariam emanationem ex Deo designant? Temere prorsus sententiam scriptoris in alienam detorquent, qui eum immortalitatem non perspicue significasse volunt.

Sed multi sane in his verbis non gravarentur, nisi ante iam statuissent, alienam ab illo esse istam de mortuis opinionem. Sunt qui omnino negent, illius aetate satis certo constitisse inter Hebraeos animos permanere et aeterno vel praemio donari vel poena affligi. Qua in re mirum est, quod iidem fere ad *infimam* aetatem hunc librum deducunt, ut prorsus iam concludas paene mille annos effluxisse Hebraeis post Legem divinitus datam — nulla certa notione beatae immortalitatis percepta. At primum nulla potest in tot huius vitae malis atque calamitatibus, inter tot vitiorum blandimenta, tot etiam sceleratorum iniurias pietas firmiter stabiliri atque consistere, nisi spe perpetui praemii fragilitas humana sustentetur. Deinde theologorum quoque certa sententia est, ut homo salvus fieri possit, requiri, ut Deum credat esse et pios pro merito praemia accepturos. Atqui si in ullo homine spes defecit, huius vitae terminis illam remunerationem concludi, id certe in Ecclesiaste evenit; aut igitur fundamentum ipsum religiosae pietatis diruit, aut aeternum praemium speravit. Dixerit aliquis sperasse eum, at non *certo* sperasse. Unde id intelligitur? Prorsus enim acquiescit eius animus, summa commotione ante exagitatus. Qua autem re exagitabatur? An dubitatione remunerationis aeternae? Non, sed *huius temporis* (de 3,21 dicam paullo infra). Porro quibus rationibus tam studiose cohortatur ad pietatem (11,9-12,14)? Saepe enim negavit idque nulla adhibita exceptione, immo cum insigni exaggeratione, quae etiam *videatur* Legi contraria (de quo cf. comm. ad 9,2), in hac

vita differre ullo modo sortes piorum et impiorum; *sustulit* igitur *exstinxitque* spem praemii terrestris. Idem tamen ipsum adolescentem iubet prospicere Dei iudicium et ad unum hoc hominem natum dicit, ut Deum timeat et mandata eius servet, iterum addito iudicii significatione. Nonne saltem huiusmodi *ratio* ridicula esset, si intelligeremus iudicium terrestre, in eo, qui sibi illud proprie demonstrandum sumpsit : Dei permissu plenam malorum esse terram atque imprimis plenam iniquitatis?

Sed opinionem immortalitatis *multi* generatim negant nisi sero admodum invaluisse apud Hebraeos. At quid igitur oportet haesitare de Ecclesiaste *eos ipsos potissimum*, qui *his* temporibus scriptum esse librum volunt, cum nemo neget a *Daniele* (12,2. 13), a *Siracida* (11,28. 29; 41, 3 sqq.), ab auctore libri *Sapientiae* (3,1-6 ac saepe), librorum *Machab.* (saepe) illam opinionem pro certissima proponi? Quorum aetate vel non multo ante si scripsit Eccles., num verisimile videtur, eum illius ignarum fuisse? Ante iam *Isaias* plane praedicit victuros mortuos beatosque fore (ut 26,19 cf. P. *Knabenbauer* ad l.). Item *Oseas* 13,14. *Iobi* librum plerique scriptum dicunt aetate Salomonis; atqui ibi permansuros esse animos et corpora quoque excitatum iri pronuntiatur; neque enim aliter 19,23 sqq. interpretari oportet. Nec vero illius tantum aetatis, sed Iobi ipsius esse eam sententiam (ut loci ratio demonstrat) intelligere debemus. Est autem aliquanti momenti, quod et hoc loco et pluribus superioribus *corporum* proponitur vita futura, id quod multo plus est, quam animorum. In I libro *Reg.* 28,7 sqq. ea narrantur, quae ostendant Saulem non modo vivere mortuum Samuelem existimasse, sed excitatum ab inferis credidisse. Excitationes autem huiusmodi mortuorum non tum primum, sed iam *Moysis* aetate non inauditae probant, quid vulgo censuerint de vita mortuorum, cf. Deut. 18,11; quorsum enim inter alias superstitiones necromantia poneretur, nisi eius usus esset satis usitatus?

Unum Moysis locum interpretatur ipse *Christus* Dominus apud S. Lucam 20,37 : « Quia vero *resurgant mortui*, et *Moyses* ostendit secus rubum, sicut dicit : Dominum Deum Abraham et Deum Isaac et Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum; omnes enim vivent ei ». Ubi haec licet intelligi : 1. Christum, qui errare non possit, asseverare Moysen his verbis significasse, mortuos redituros ad vitam, i. e. non tantum vivere, sed ita victuros, ut *integram* habeant humanam naturam; 2. Christum provocare ad communem apud Iudaeos horum verborum intelligentiam; nam *sono ipso* verborum Moysis nec corporum vita futura omnino indicatur et subobscure animorum; tamen Christus Dominus nulla adhibita explicatione rem ut notam omnibus asserit; 3. addi ab Evangelista alios assensos esse argumento, alios convictos tacuisse : « Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei : Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare »; 4. amplius concludendum est, *similibus*

apud Moysen aliosque scriptores sacros sententiis animorum immortalitatem significari, ac praeterea eam ita communiter notam fuisse Moysis aetate, ut huiusmodi obscura significatione satis enuntiata videretur. Et hoc quidem valet ad levandam illam dubitationem, saepe propositam, quare non planius toto Pentateucho aliisque libris illa doctrina indicaretur : vulgatissima erat et indubitata.

Nec id mirum esset, etiamsi Moyses *non* Deo doctore esset usus. Si *fingamus* Hebraeos Aegyptum primum ingressos ignorasse mortuos vivere, tamen et Moysen, sapientia institutum eius populi, id didicisse et populum, cum tanta multitudine ibi versaretur, id imbibisse necesse est. Etenim sic ea opinio rationi naturaeque hominis consentanea est, ut facile plerisque probetur. Quam autem penitus hauserint Aegyptii vitae futurae atque iudicii notionem, nemo hodie sit, qui nesciat. Cf. *Knabenbauer*, Zeugn. des Menschengeschl. fuer die Unsterblichkeit der Seele, Ergaenz. zu den « Stimmen aus Maria-Laach » 6, p. 9 sqq. Adde quod multo ante Moysen Hebraei insigni Dei favore dignati sunt, per ipsum autem multo maiore. Quis credat igitur, divina eos institutione doctos non hanc rem *imprimis* necessariam cognovisse? Nec ullo pacto credibile est, non e *prima* quoque mundi aetate eam persuasionem permansisse apud eos, a quibus originem duxit populus Dei electus; quia praeter Dei veri notitiam nihil videtur fuisse magis necessarium. Hinc igitur illius silentii sacrorum scriptorum ratio potissimum repetenda est. Quamquam hoc forsitan addendum sit : praecepta communia plerumque spectasse ad ordinem *civilem* s. theocratiam *proxime;* eam autem Deus huius vitae praemiis poenisque sanxerat. Fortasse igitur, si necesse erat, privata institutione ac traditione saepe aeternae vitae praemia proponebantur, etsi id scriptis libris non continetur. Plurimi sane hodie sunt, qui studio maximo extenuare huiusmodi notitiam Hebraeorum conentur, apparetque nonnumquam id etiam eo fieri consilio, ut a *Persis* potius et *Chaldaeis* possint illa repeti, quae in posterioribus Scripturae libris inveniuntur. Quidni illi sua ab Hebraeis sint mutuati? Quidni antiquitus Abraham a Chaldaeis et Moyses ab Aegyptiis didicerint? Sed istiusmodi commenta ut gratis asseruntur, ita gratis negantur.

Quaeret quispiam, cur saepe in posterioribus, raro in prioribus libris mentio fiat immortalitatis? Fortasse magis fuit necessarium. Nam Moyses, populo per multa saecula versato apud Aegyptios, non habebat, quod doceret, animos post mortem superstites fore; vix enim fortasse ulla dubitatio mentibus occurrebat; summum dehortari potuit, ne quid superstitionis aegyptiacae veritati aspergerent. Et re quidem vera, ut superiore loco monuit, ne manes consulerent, ita omni modo a communione corporum mortuorum eos segregavit (Lev. 21,1 sqq. 11; Num. 19,11 sqq. 16); cautionis id fuisse recte dixeris. Quamquam *transitionis animorum* ex uno corpore in aliud mentio non fit usquam, ut eo errore Aegyptiorum Hebraei infecti non videantur. At *posteriore* aetate commercio multiplici iungebantur cum gentibus non ita firmiter de mortuis opinantibus, ut auditu

errorem aliquando haurirent. Praeterea republica dissoluta ad *privatam* institutionem, ad quam potissimum illud pertinet, magis accommodabatur scriptio librorum. Accedit quod, quo propius perventum est ad Christi tempora, eo laetiores fuerunt praemii aeterni promissiones; nimirum luctu religioso se spes propinqua salutis paullatim exsolvebat. Prioribus consentaneum fuerat potius dolere incertam mortuorum conditionem, non quod eos vivere nescirent aut beatos fore non sperarent, sed quia peccati conscientia intelligebant clausum esse cœli aditum et carcere quodam coerceri manes. Verissime igitur eos miseros lugebant atque ipso luctu divinam flectere misericordiam studebant. Ipsi nos Adventus tempore illorum antiquorum dolorem imitantes sic oramus, ac si peccati poena adhuc oppressi iaceamus. Qui sensus aspiratur legentibus Iobi quasdam querelas (10,21 sq.) et Ps. 29,10; 38,14; 87,11 sqq. (Vulg.). Ipse Elihu Iobum monet, ne vehementius cupiat intrare « noctem » illam (36,20, hebr.); et *infra* in terra conclusos fuisse animos mortuorum, quos Christus *descendens* liberaverit, nos quoque Christiani profitemur. Sed tamen eundem Iobum spe certa vitae beatae erigi videmus, et in Ps. 48,15; 16, 15; 72,24 is favor ostenditur Dei, qua homo in conspectum atque gloriam ipsius attollatur.

Neque vero necesse est existimari, omnino explicatam definitamque fuisse semper et apud omnes vitae beatae notionem; poterat ut flos germine, sic spes illa laetior fiducia divinae misericordiae inclusa esse. Satis erat credere, *bene esse mortuis, qui in Domini manibus essent.* Nec tamen vicissim nimis in sola huiusmodi obscura notione immortalitatis insistendum est, cum Christus tam manifesto doceat, illo Moysis loco contineri restitutionem integram mortuorum eorumque in regno Dei futuram gloriam (id enim designat : « ego sum Deus eorum »), nec per se ullo modo probabile sit, spe certa atque satis laeta illos veteres caruisse. Potest autem, si quid tristius enuntiatur, id vel de carcere illo tenebricoso limbi vel (ut saepe) de sepulcri horrore, exclusis huius vitae gaudiis, intelligi. Deinde sunt similes, atque ille, multi in Scriptura loci, quos Christi exemplo oportet ex notissima et communissima opinione ac fide Hebraeorum in eam sententiam, quam diximus, interpretari.

Iam vero, ut ad Ecclesiasten redeamus, quasi gradus quidam apud eum sunt perspicuitatis in hoc argumento tractando. Nam 9,4-6 malorum prava studia omnino desinere docet apud inferos; nec tamen eos permanere negat, immo et tota descriptio et verba אֶל־הַמֵּתִים potius indicant, esse eos alicubi, quamquam, ut dixi, argumentationis ratio nihil requirit, nisi omni eos cum hominibus humanisque rebus commercio esse privatos. Ibidem v. 10 negat etiam ullum esse bono « operi ac sapientiae » locum apud inferos, id quod verissime dicitur; nihil enim *fructuosi* laboris, cuiusmodi hic intelligitur, ibi perfici potest; sed manere mortuos, ipso loquendi modo significari videtur.

— In cap. 8 postquam fassus est, saepe impios leniter atque honorifice ex hoc mundo discedere, cum piis autem et vivis et mortuis agi pessime, tamen vv. 12. 13 firmiter asseverat (יוֹדֵעַ אֲנִי), bene actum iri cum bonis et male cum malis (v. 13 hebr. prorsus eodem modo, quo 12 enuntiatur, etsi Vulg. habet « sit » pro « erit »). Haec conciliari inter se aliter non possunt, nisi hac interpretatione : « Quidquid cernitur fieri in hac vita, tamen bene erit bonis, male malis; fiet enim aliquo et tempore et modo iusta compensatio ». Itaque, ut superiore loco a cessatione studiorum terrestrium, sic nunc a necessitate compensationis repetitur ratio futurae vitae describendae. Sed quod hic obscurius tantum indicari videtur, id iis locis, ubi iudicii futuri fit mentio, nude planeque affirmatur : 3,17; 8,5 (hebr. « iudicium » pro « responsione »); 11,9; 12,14. Denique ipsam potius vitam beatam, quam iudicium, designari dicendum est 12,7; apud Deum enim esse bonum est, ut fert omnino consuetudo loquendi scriptorum sacrorum ipsaque ratio demonstrat. Atque in his omnibus locis non potest esse ulla offensio, immo vero evidens est et vitam futuram et iudicium et beatitatem a scriptore promitti.

Sed in uno loco multi haesitarunt : 3,21. Ubi dubitatio proponi videtur, sitne inter animum hominis mortui et bestiae animam ulla differentia, praesertim cum toto loco id ipsum disseratur, aequalem omnino esse utriusque conditionem (v. 19). Ad quam difficultatem copiose respondi in commentario : hic strictim pauca delibo. Veteres plerique, non ferentes verborum illorum asperitatem, existimarunt, inspientium referri ab Ecclesiaste errores, id quod eo magis probabile videri illis poterat, quod aliis quoque locis variari loquentium personas sibi persuaserant. *Hier.* aliam ostendit viam explicandi, ut interrogandi formula (quemadmodum passim solet in libris sacris) notaretur magna rei (cognoscendae) difficultas; id quod nonnulli amplexi sunt ac defenderunt. Aliis Masoretae recte sustulisse interrogationem videntur, cum pro הַ scriberent הָ. Melius quidam recentiores « ascensum animi » interpretantur *beatam* immortalitatem, cuius sine Redemptore nemo poterat fieri particeps. Suo autem iure licet affirmare, eo ipso loco Sapientem recordari poenam peccati primi, quo obstructa est via coeli ac salutis; quod si verum est, non fuit, cur aliter, ac fecit, loqueretur. Sed est etiam probabilior explicatio. Nam post *vitae* aequalitatem item *mortis* similitudinem in homine ac bestia describit Eccles., ut non mortuorum, sed *morientium* conditio comparetur. Spiritum igitur s. *flatum* s. *halitum* extremum eadem via evolare dicit, nec apparere, num alter sursum ascendat atque alter in terra dissipetur. Eadem significatio vocis est v. 19. Dicit autem hoc ipso loco v. 20, *ea*

interire quae e *pulvere* nata sint, et v. 17 *iudicium* futurum ostendit. Nulla igitur in hoc loco offensio est.

Itaque de *divina libri* « *Eccl.* » *auctoritate* ob *doctrinae* proprietatem prudenter dubitandi locus esse numquam potuit. Apud *Iudaeos* cum 1. saec. quidam de eiiciendo e canone « Eccl. » disserere coepissent, vicit tamen antiqua opinio atque consuetudo. *Theodori* autem Mopsuest. damnata doctrina est, nec fere alius quisquam ante Lutherum criminari Ecclesiasten ausus est. De qua re cf. *Cornely,* Introd. II. 2 p. 176 sqq., ubi ad quasdam etiam dubitationes, quas supra attigi, optime respondetur.

II. — DE OPTIMA INTERPRETANDI RATIONE.

1. In hoc tam difficili libro, si in ullo alio, *omnis generis* subsidia, non dico omnia, id quod praestare nemo potest, sed vel multa vel aliqua adhibenda sunt : *antiqui verborum interpretes,* ut quid illi legerint quoque modo id intellexerint, cognoscatur; *veteres explicatores* tum graeci tum latini, ob hoc potissimum, ne quid erretur in doctrina; *recentiores quidam grammaticae peritissimi,* ne quid ad linguae rationem parum bene explicetur; denique allaborandum, ut de *universi libri disputatione et serie argumentationum* recte existimetur (qua in re duces esse possunt catholicis imprimis *B. Schaefer* (Neue Untersuchungen ueber das Buch Koheleth, 1870) et *A. Motais* (Salomon et l'Ecclésiaste, 1876; l'Ecclésiaste, 1877). Meminisse autem oportet gradus quosdam esse processusque exegesis et suam cuiusque aetatis laudem, nec ullius interpretis studium negligendum, dummodo ad veri investigationem sit utile.

2. S. Hieronymi exemplo plurimum tribuendum *fonti hebraico;* hinc ipsa Vulgata fluxit, huc reducenda est, ut recte intelligatur ac diiudicetur. Quod tanto libentius fateor, quod ipsa tractatione in eam opinionem adductus sum, in hoc quidem libro verba hebraica vel omnino incorrupta vel paene integra servata esse. Id ipsa enarratione demonstraturus sum etiam iis locis, quibus multi ad antiquas interpretationes confugiunt vel desperant, ut 2,25 ; 3,18 ; 4,17 ; 7,7 ; 8,2. Quamquam fit, ut iure dubites, sintne verba ab ipso scriptore profecta, ut 2,8.12 ; 5,16. Plurimum autem confert etiam ad *ardorem* illum, quo scriptor incensus passim loquitur, cognoscendum hebraica verborum proprietas atque collocatio. Aliquot porro loci sunt, ubi universa sententia nec ex LXX nec ex Vulg. accurate intelligi possit; cum enim

longe difficillimum sit reconditum ac tenuissimum quasi filum, quo disputatio contexitur, discernere, necessario redeundum est ad primum scriptoris modum dicendi, ut certo iudicare possis.

3. *Vulgatam* omnes fere nunc in honore habent, tum propter Hieronymi, viri in hac re peritissimi, auctoritatem tum propter ipsius praestantiam, quae v. g. comparatione interpretationis LXX sua sponte illustratur. Catholicos diligentius eam tueri oportet, quod facile sibi persuadent non sine Dei providentia singulari hanc Ecclesiae formam Scripturae oblatam esse. Et facile est multis locis aliquam ab hebraico differentiam interpretando coaequare, dummodo Vulgatae habitus universus perspiciatur, qui non demonstret superstitiosam in verbis reddendis accurationem, sed politam sententiarum interpretationem. Sed ut opus illud LXX, quo graeci Patres solo usi sunt, menda exhibet plurima, ita leviores in Vulg. restare naevos, non est, cur infitiemur. Coniuncte igitur uti oportet Vulgata et LXX et hebraico.

4. Statuendum est nullum *errorem* in ullo genere proficisci potuisse ab ipso scriptore inspirato. Qua in re falluntur quidam interpretes protestantes, cum v. g. aliquam de animorum immortalitate dubitationem cadere in Ecclesiasten opinantur. Cuius doctrina nullo pacto potest *repugnare* christianae ac *vix* ab ea *deficere,* quoniam in materia versatur utriusque Testamenti omnino communi. Et tamen hoc alterum catholicorum quoque mentes nimis, ut censeo, occupavit. Ergo si qua falsi vel imperfecti species oblata sit, explicatione oportet illam discutere. Quod antiqui aliquando sic praestiterunt, ut diversas inducerent *personas* loquentium. Quo in genere valde moderatus fuit Hier., non item Greg. Thaum. et imprimis Greg. M., qui hanc profitetur rationem interpretandi (IV. Dial. c. 4) : « Ecclesiastes proprie concionator dicitur. In contione vero sententia promitur, per quam tumultuosae turbae seditio comprimatur. Et cum multi diversa sentiunt, per concionantis rationem ad unam sententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco concionator dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbae suscepit sensum, ut *ea per inquisitionem dicat, quae fortasse per tentationem imperita mens sentiat. Nam quot sententias quasi per inquisitionem movet, quasi tot in se personas diversorum suscipit. Sed concionator verax velut extensa manu omnium tumultus sedat eosque ad unam sententiam revocat, cum in eiusdem libri termino ait: Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo.* » Atque id quidem ad locos huiusmodi : 5,17; 11,9; 3,21 accommodat. Eadem autem haec regula placuit quibusdam recentioribus, et sane melius est hoc errore, quam contrario decipi, melius, inquam,alienae personae quam ipsi scriptori inspirato

falsa attribuere. Ac tamen errorem illum puto esse; *nulla enim satis certa indicia sunt,* Ecclesiasten diversas induere personas, nisi forte quatenus aliquando suam refert pristinam sententiam (adhibito perfecto : « tum dixi »), quae quidem paullo interdum asperior, nunquam prorsus falsa est. Sed potius tota disputatio sine interpellatione a primo currit ad summum, habentque omnia sententiam sacro scriptore prorsus dignam.

5. Itaque dolendum est, nimis *profanam* variis in locis sententiam Ecclesiastae tribui a plerisque. Ut exemplo utar, ea quae sunt de cibo potuque capiendo, longe aliam habent interpretationem, ac solent explicari; cf. paullo supra p. 7 sq. Ne illud quidem recte statuunt, de re publica ac regio imperio ab illo disputari; ego enim mihi prorsus persuadeo, *nullum toto libro locum civilem tractari,* sed 5,7 sq.; 4,13 sqq.; 8,2 sqq.; 9,14 sqq.; 10,5 sqq.; 10,16 sq. 20 in genere maxime diverso versari. Praeterea interdum prudentiam omnino *humanam* atque humilem docere illum volunt; sed ea aliam habent altiorem intelligentiam.

6. Nec vero hic de illa explicatione *mystica s. spirituali* loquor, cui nimis indulserunt veteres et hodie quoque aliqui. Numquam enim ea afferenda sunt, quae verae *verborum* vi aut repugnent aut aliena sint; sed fit aliquando in metaphoris, allegoriis, parabolis, ut proprietatem verborum sequi *prudenter non possis.* Ubicumque igitur ab ea declinatur, graves afferri rationes oportet; sed sunt tamen huiusmodi loci non ita pauci, quibus Ecclesiastes *poetarum* more oratione utitur translationibus, figuris, symbolis a communi segregata. Est enim hic liber genere quidem toto philosophiae habitu distinctus, sed idem vere oratorius, ac poesi non leviter tinctus. Parum autem a plerisque, ut ardor oratoris, ita poetae audacia attenditur.

7. Moderate utendum explicatione *historica;* est enim hic liber totus *moralis,* quemadmodum a primo initio profitetur auctor et in suprema clausula (12,13) graviter confirmat.

8. Praeter cetera *eo* incumbendum censeo, ut ne singuli spectentur versiculi, sed capitum argumentationes et universae disputationis perpetuitas. Quod quidem et in aliis libris et in hoc vel maxime negligi solet; atque in hac re novam me viam ingressum fateor, sed meminisse oportet, non novitate peccare eum, qui crimen nescio cuius fortuitae ac tumultuariae compositionis ab Ecclesiaste defendere conetur. Quae cum ita sint, pro virium modulo mearum ad ipsam iam interpretationem accedam, si prius de scriptore libri et de subsidiis interpretandi dixero.

III. — DE SCRIPTORE LIBRI [1].

Inter *Christianos* ante Lutheri aetatem summa semper consensione Salomon « Ecclesiasten » conscripsisse putatus est. Testes sunt SS. *Gregorii quattuor* (Naz., Nyss., Thaum., Magn.), SS. *Athan.*, *Bas.*, *Ambr.*, *Hier.*, *Ioann. Damasc.*, item *Theodoret.*, *Cassiodor.*, *Olymp.*, denique medii aevi theologi omnes, quotquot ea de re sententias tulerunt. « Constans et perpetua », inquit Pineda, « fuit Ecclesiae de *tribus* Salomonis libris persuasio »; quamquam aliquando eidem etiam Sapientiae et Iesu Sirach libri sunt attributi quasi dignas illo sententias continentes. — Item *Iudaei*, etsi de libri argumento quaedam disputaverunt, tamen numquam de scriptore dubitarunt, ut hodie constat inter doctos. Midr. Koh. (ad 11,9) et Talm. et interpretes afferre supersedeo (cf. B. *Schaef.* § 8; *Mot.* Sal. et l'Eccl., II. p. 7 sqq.); instar omnium sit *Hier.* (in extr. comm.) : « Aiunt Hebraei cum inter cetera scripta Salomonis, quae antiquata sunt nec in memoria duraverunt, et hic liber oblitterandus videretur, eo quod vanas Dei assereret creaturas et totum putaret esse pro nihilo, et cibum et potum et delicias transeuntes praeferret omnibus : ex hoc uno capitulo meruisse auctoritatem, ut in divinorum voluminum numero poneretur, quod totam disputationem suam et omnem catalogum hac quasi ἀνακεφαλαιώσει coarctaverit et dixerit, finem sermonum suorum auditu esse promptissimum nec aliquid in se habere difficile, ut scilicet Deum timeamus et eius praecepta faciamus ».

Quibusdam leve videtur pondus *auctoritatum*, cum sit longe maximum; itaque, non fuisse ante haec tempora magnae prudentiae criticos arbitrati, quasi integra sit quaestio, eam ipsi totam retractant. At primum verum non est Hieronymum aliosque nulla investigatione veritatis auditu accepta secutos esse. Exemplo est liber Sapientiae, quem quidam Christiani Iudaeis posterioribus assensi Salomoni tribuerant, itemque Ecclesiasticum. Sed illum, etsi a LXX inscribebatur nomine Salomonis, S. *Hier.* non est veritus dicere ψευδεπίγραφον; de utroque autem S. *August.*, Civ. Dei, 17, 20 : « Alii duo [libri], quorum unus « Sapientia », alter « Ecclesiasticus » dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit *consuetudo* [ut nunc

1. Cf. *Cornely*, Introd. II. 2. p. 166 sqq.

quoque viget in Ecclesia]; non autem ipsius esse, non dubitant *doctiores* ». Idem « Sapientiam » cum antea Iesu Sirach esse censuisset, errasse se in nomine scripsit in « Retractationibus ». Eusebius quoque incerti auctoris esse « Sapientiam » dixit (Praep. evang. 2,5). Quam vero nulla unquam de eo libro constans in Ecclesia fuerit opinio, ingens numerus demonstrat interpretum Salomoni eum abiudicantium. Nihil igitur prorsus conficiunt, qui *similem* putant esse causam « Ecclesiastae » (cf. *Mot.* « Sal. et l'Eccl. » II, p. 15 sqq. *Cornely,* Introd. II, 2, p. 223 sqq.). Immo vero in hoc omnium veterum tum Christianorum tum Iudaeorum concordabat existimatio. Quodsi verum est illos veteres religiosius institisse traditioni : multis partibus vitiosius est, quod his nostris temporibus plus saepe tribuitur primi cuiusque interpretis commentis. Est autem admodum difficile ad credendum, in aliquo libro sacro falsum scriptoris nomen in omnium consuetudinem receptum esse ; certissimum est enim iam antiquitus atque adeo a principio diligenter esse invigilatum libris inspiratis.

Lutherus primus fuit, qui in « Sermonibus convivalibus » auderet iniicere dubitationem, quamquam in comm. latino et alias, itemque ceteri protestantes deinceps idem fere, quod catholici tenuerunt. Septimo decimo saeculo exstitit *Grotius,* cui quattuor vocabula peregrina indicio essent, librum post exsilium conscriptum esse. Quem secuti initio pauci, postea paene omnes acatholici ad eandem rem probandam argumenta undique conquisierunt idque aliquando incredibili cupiditate. Veterem tamen sententiam nuper defenderunt : *Wangemann* (comm. 1856), *Boehl* (De aramaismis libri Koheleth, 1860), *Hoelemann* (Bibelstudien II, 1860), *Hahn* (comm. 1860), *Taylor Lewis* (in comment. bibl. anglo-americ., 1869), *Bullock* (The Speaker's comm. IV). Vicissim catholici non fere ab antiqua sententia discesserunt; excipe *Iahn* (Einleit. II. § 214), *Herbst* (Einl. II. 2 § 99), *Movers* (W. W. Kirchenlex. ed. 1. III. p. 330), *Kaulen* (ib., ed. 2 IV. p. 96); *Bickell,* qui ante (Der Prediger ueber den Wert des Daseins, 1884) in eadem fuerat opinione, tamen cum ipsam interpretationem omissa omni enarratione renovaret (Koheleth's Untersuchung ueber den Wert des Daseins, 1886), mutavit sententiam, si quidem ex restitutis iis locis, quos ob Salomonis significationem deleverat, coniecturam facere licet. Defensores (catholicos) originis Salomonicae nominare placet praeter eos, quos modo dixi : *von Essen* (comm. 1856), *Reusch* (Tuebinger Quartalschr., 1860 p. 430), *Warminski* (Gymnasii Ostroviensis progr., 1867), *B. Schaefer* (Untersuchungen ueber das Buch Koheleth, 1870), *Vegni* (l'Ecclesiaste secondo il testo ebraico, 1871), *Motais* (Salomon et l'Ecclés., 1876, et l'Ecclés., 1877); praeterea strictim rem attingen-

tes idem tuentur : Welte, A. Scholz, v. Haneberg, Vigouroux, Zschokke, Schenz et in hoc « Cursu Script. » P. Cornely, Introd. II. 2 p. 166 sqq. De Bickellii opinione hic id. p. 159 sq.

Ipsi non infitiamur, magno quoque taedio eius temeritatis, qua et in ceteris libris profanis sacrisque et nominatim in « Ecclesiaste » usi sunt *permulti*, ad defendendam antiquam sententiam nos quasi compulsos esse. Nam praeterquam quod interdum ineptissima mira confidentia asseverata sunt, alia incommoda maxima e minuta subtilitate *criticorum* nascuntur. Qui non modo spernere veterum auctoritatem et exaggerare argutiarum suarum gravitatem nimis assueverunt, verum etiam *praecipuum* interpretis officium saepe negligunt. Dum enim omnem operam ingentemque laborem eo conferunt, ut nova inveniant atque antiqua confutent, verba excutiant atque historicam supellectilem augeant : dolendum est, quam non *aequo* studio universum libri tenorem, sententiarum continuationem, dictionis proprietatem atque colorem considerent. Eo enim iam deducti sumus, ut nullus videatur definiri posse rerum tractatarum ordo, ut multa putentur vel corrupta vel traiecta, ut inter mille annos non inveniatur aptum huius libri conscribendi tempus. Schaefer opinionum de *libri aetate* hunc indicem composuit (l. c. 163 sq.) :

Nachtigal ortum dicit inter Salomonem et Ieremiam.	975-588
Paulus, *Schmidt*, *Iahn* inter Manassen et Sedeciam.	699-588
Grotius, *Kaiser*, *Eichhorn* tempore Zorobabelis. . .	536-500
Herm. v. d. Hardt, *Nachman*, *Krochmal*, *Umbreit*, *Bernstein*, *Hengstenberg* Persarum aetate.	538-333
Keil Artaxerxe I regnante.	465-424
Haevernick, *Weber*, *Zoeckler* post medium saeculum quintum.	450-400
Rosenmuellor inter Nehemiam et Alexandrum. . . .	450-333
Ewald centum annis ante Alexandrum.	430
Staehelin, *Davidson*, *Elster*, *Vaihinger* (item Castelli, Herzfeld) seriore aetate Persarum.	420-330
Gerlach	400
De Wette et *Knobel* (item Schrader, Bleek) exeunte Persarum vel ineunte Macedonum imperio	350-300
Burger et *Bergst*, cum Alexander in Palaestina moraretur	333
E. Maier.	300
Bertholdt, *Zirkel*, *Gelbe* inter Alexandri et Antiochi aetatem.	333-164
Vatke et *Hartmann* Syrorum ac Machabaeorum tempore.	300-100 (175-135)

Boettcher. 210
Hitzig. 204
Graetz Herode rege. 40-4
Adde :
Delitzsch Dario Codomanno regnante (item fere *Wright*). 335-333
Kleinert prima Ptolemaeorum aetate. 305-247
Schenkel extremo Ptolemaei Lagi regno. 285-283
Reuss Antiocho Epiphane regnante. 176-163
Bickell (in priore libello, v. paullo supra). . . . . c. 205
Renan ante (Histoire des Langues Sémit. II. 1 p. 130 sq.) Salomonis opus ab alio leniter retractatum dixerat, postea (in comm. p. 2) certum esse affirmavit, id « inter postremas Hebraeorum litteras » esse numerandum.

Apparet quam incerta fluctuet ars criticorum, quae, si singulos audias, firmissimis utatur argumentis, cum tamen perpetuo unius interpretis rationes refutentur ab altero, et uni interpretationi quorundam locorum, quos historice explicandos esse statuunt (velut 4,13 sqq., cf. comm.), altera diversa substituatur. Quod nunquam fieret, nisi suas quisque *probabiles opinationes* plerumque pro *certis demonstrationibus* venditare soleret; quo eodem errore efficitur, ut prorsus extenuetur momentum traditionis. Norma enim deficit et regula recti iudicii; at omni opinandi libidini aditus patet; ac difficile est dictu, plus utilitatis an detrimenti hodie critica afferat litteris.

Unum argumentum ex omnibus, quae afferri solent, non est contemnendum, de quo primo loco agemus : negant *dictionis* proprietatem Salomonis aetati consentaneam esse. Plurima afferuntur vocabula vel ex aramaico deprompta vel omnino peregrina vel a consuetudine antiquiorum scriptorum aliena; praeterea genus ipsum dicendi dicitur esse ita singulare, ut a vetere sermone longe distet. Non est spernendum, inquam, istud argumentum, sed est, meo iudicio, multis partibus levius, quam existimatur, nec aut certum aut auctoritati veterum aequandum. De qua re inter recentiores diligenter investigaverunt *Zoeckler, Graetz, Delitzsch, Wright; — Boehl, Reusch, Schaefer, Motais,* illi adversarii, hi defensores traditionis. Eorum omnium rationes nunc accurate comparandae sunt.

I. Nihil certius libri cuiuspiam aetatem demonstrat, quam differentia *formae grammaticae* et *particularum*.

a.) Ecclesiasten igitur ad mischnicam accedere consuetudinem volunt, quod verba ל״א confundantur cum ל״ה; cf. חוֹטֵא pro חֹטֶא 8,12; 9,

18, idem Mosora statuit legendum 9,2; 2,26, excepit autem 7,26. Inusitatior forma tamen invenitur etiam Is. 65,20. — מוֹצָא 7,26 et יָצָא 10,5 pro יֹצֵאת; sed cf. כָּלוֹ pro כָּלָאוֹ 1 Sam. 6,10, כְּלִתְנִי ib. 25,33, חֹטְאִים ib. 14,33, ubi saltem pronuntiando omittitur א, חֲמוֹ Gen. 20,6; similia 1 Sam. 10,6; Ps. 32,1, Ruth 2,9; Iob 5,18. De reliquo res est notissima, *omni* tempore viguisse illam istorum verborum commutationem. Quorsum igitur tandem id ad mischnam comparatur?

הוֹוָה (2,22) cur non dicatur forma antiquissima, non intelligo; nam etsi participium non legitur nisi Neh. 6,6, tamen הָוֵה mosaicum est: Gen. 27,29; cf. Is. 16,4 et nomen Iahve. Participium (fem.) הוֹוָה tantum est Ex. 9,3, nec alibi. Nihil igitur in illa forma gravandum est, neque aliud *significat* nisi id ipsum, quod verbi natura fert. — יְהוֵא (11,3) est fut. apoc. s. iussivus (angl.: it *shall* = must be), cf. הֱוֵא (imp.) Iob 37,6; de א cf. a תְּלֵה Sam. 21,12 et Deut. 28,66 formas similes.

Iussivus modus dicitur paullatim deficere, itemque *cohortativus*. Hic legitur 7,23; quod autem non frequentius, num id quidquam demonstrat? Si casu illo loco non esset, affirmarent sine dubio, eum ignotum fuisse scriptori. Sic enim iam fert criticorum consuetudo. Num differt He cohort. in לְכָה 2,1, immo vero 1,17, quidve aliud sibi vult, nisi ut vis quaedam addatur formae simplici? Iussivus invenitur 7,16. 17. 18; 10,4; idem in sententia subiuncta 5,14; praeterea cf. 10,20; 11.3; 12,7. Nonne id satis est? Praeterea modus ipse, *forma* non distinctus, saepius invenitur, cf. ad 11,8.

Magnum momentum afferre putant, quod *fut. conversum* non fere inveniatur. Invenitur 1,17; 4,1. 7. Quam autem temere asseratur, serae aetatis esse, perfectum perfecto iungi (etiam addito ו), intelligas ex 1 Sam. 17,34 et 35, ubi id fit septies vel octies; consentiunt autem ipsi rationalistae (paucis exceptis) eum librum non multo post Davidis aetatem scriptum esse (cf. P. Cornely, Introd. II. 1 p. 270 sq., P. de Hummelauer, In 1 et 2 l. Reg. p. 21).

Infinitivus absolutus 4,2. 17; 8,9; 9,11 ita ad continuandam narrationem adhibetur ut Ex. 8,11, Iud. 7,19, nec omnino id inusitatum est.

Mirantur apud Eccl. verbo addi nulla necessitate *pronomen*: אֲמַרְתִּי אֲנִי 2,1, ac saepe. Sed idem videre licet apud Oseam identidem, et Ios. 14,6 ita facile caremus addito pronomine, ut id in Vulg. omissum sit; praeterea ratio evidens est, quia Eccl. passim hoc ipsum premit, se rem, quam *ipse* fecerit vel ipse invenerit vel ipse observaverit, narrare; quod quidem non agnosci a quibusdam, singulare est. At

opponunt, a veteribus saltem *praeponi* pronomen. Idem affirmant de participiis. Sed haec vere non dicuntur. Nam in *eodem* enuntiato pronomen ante verbum et post collocatum vide Gen. 15,4 (cf. 1 Sam. 20,8. 23. 42), et ad participia promiscue ponuntur in *eodem* enuntiato Gen. 18,17 et Iud. 19,18. Nec mirum, quoniam substantiva et adiectiva saepissime praeponuntur; quod autem idem rarius fit in verbis, ratio est, quod, ut apte fiat, verbo vis maior inesse debet quam pronomini ac rursum huic tanta, ut non videatur omittendum; haec non ita frequenter usu veniunt; sed in « Ecclesiaste », quam feliciter ad gravitatem oratoriam dicatur אֲמַרְתִּי אֲנִי, legenti facile appareret, opinor. Ceterum *consuetudines* sunt scriptorum omnium, quas ad certae cuiusdam aetatis morem inepte retuleris; velut tot in hoc libro verborum sententiarumque repetitiones, quot nusquam in ullo libro sacro invenias (simile est solum Salomonis « Canticum », ubi vide etiam de pron. et de perf. pro fut. 5,5. 6). At incredibile per sese esset, etsi exempla nulla exstarent, pronomen non licuisse post verbum vel participium collocare, praesertim cum terminationes ipsae perfecti nihil aliud sint, nisi pronomina affixa. Wright audet asseverare serae aetatis esse adiectivis verbalibus addere pronomina, ut 2,18; 4,8. Sed id invenio iam Gen. 3,10. 11, et quidem *post*posito pronomine.

b.) Alia similia afferuntur studiosissime, quae in hoc libro frequentantur, cum fuerint rara apud antiquos. V. g. comparant זֹה (= זֹאת) ad mischnicum זוֹ; quam inepte, cum legatur etiam 2 Reg. 6,19, Ez. 40, 45...! Praeterea quid differt כָּזֹה וְכָזֶה Iud. 18,4? Et quoniam זֶה etiam pro feminino ponitur (Ios. 2,17), pro זֶה autem זוֹ usurpaverit Os. 7,16, cur non dicunt זֹה esse formam aliquam communem ut זוֹ? Nam ex זֹאת corruptum esse זֹה, nulla probabilitas est; recte Fuerst statuit זוֹ et זֹן et זֹא idem esse origine, quamquam ille ipse זֹה ex זֹאה contractum iudicat [1]. — זֶה sine *articulo* ponitur etiam apud antiquissimos (ut Ios.2,20). Quod זֶה**הוּא 1,10 et זֹה**הִיא 5,18 iuncta sunt, eo praeparari mischnica זֶהִי et זֶהִיא dicit *Del.*; cur id non fit potius illo אַתָּה־הוּא 2 Sam. 7,28, ubi pronomina omnino composita, non separata sunt? Sed ad huiusmodi dubitationes non est cur respondeatur; sunt autem plurimae, velut: participia admodum frequentari ab Eccl. et pronomina pro verbo substantivo poni saepius quam apud alios et מַה־שֶּׁ esse pro relativo (cf. Iud. 9,48, deinde Ex. 32,33; 24,14 ubi מִי sic adhibetur), et frequentius usurpari יֶשׁ, יֵשׁ, כִּי et si qua sunt alia id genus. Quibus omni-

1. Plus 20 codd. apud *de Rossi* זֶה, non זֹה exhibent 2,24; 7,23; 9,13.

bus demonstratur, suam quoque fuisse dicendi *consuetudinem* Ecclesiastae, nihil aliud ostenditur. Neque quidquam librum perlegenti magis esse evidens potest, quam illum dictionis singulari uti *proprietate*, quamquam plurimarum rerum etiam peculiarem licet reddere rationem (cf. comment.).

שׁ pro אֲשֶׁר valde proprium est Ecclesiastae; hoc quoque quidam vellent, si possent, dicere mischnicum; usurpatur sexagies octies. At quid huc pertinet, de mischna loqui? In « Cantico » non invenitur nisi *haec* forma (excipe inscriptionem libri); concludit igitur *Ewald* illud esse posterius « Ecclesiaste »; contra *Del.*, qui illud tribuat Salomoni fateaturque saepius apud Eccl. legi אֲשֶׁר, quam שׁ, tamen ex huius particulae frequentatione nec argumentatur ut Ew., nec ita ratiocinatur : videri esse utrumque librum *Salomonis* — quoniam certe singulare est, quam saepe in utroque rarior illa forma posita sit — sed multa loquitur de mischnica consuetudine! Quare? Quia quaedam sunt eius particulae *compositiones*. At invenitur עַד־שׁ Iud. 5,7 et Cant. C. 3,4; quid igitur mirum in מִשׁ Eccl. 5,4, et כְּשׁ 5,14 et in בְּשִׁכְבָר Eccl. 2,16? Legitur אֶת שֶׁאֲהֵבָה Cant. C. 3,1; quid igitur singulare in כָּל־שֶׁבָּא Eccl. 11,8? Legitur כְּמְעַט שׁ Cant. C. 3,4; huic simillimum כָּל־עַמַּת שׁ Eccl. 5,15. Nonne magis mirandum שֶׁלָּמָּה (= quid enim?) Cant. C. 1,7 quam שֶׁגַּם Eccl. 2,15? *Unum* sane est apud antiquos inauditum : בְּשֶׁל אֲשֶׁר 8,17; sed בְּשֶׁל dixit Ionas 1,7. 12 et explicat 1,8 (לְ) בַּאֲשֶׁר; שֶׁל agnoscunt quidam etiam Cant. C. 1,6; 3,7, etsi *potest* explicari שֶׁ־לְ; sed vix differt. Non liquet igitur, Salomonis esse non posse illud בְּשֶׁל אֲשֶׁר (pro quo tamen LXX et *Hier.* legisse dixeris בְּכָל־אֲשֶׁר); respondet enim aram. בְּדִיל דְּ, ut אֲשֶׁר additum non sit prorsus inexplicabile. Ut dicam, quod sentio : שׁ videtur ipsum esse illud שֶׁל, cuius altera littera latet in geminata littera insequente; sed שֶׁל לְ sive שֶׁלְ = « quod est (attinet) ad » particula facta est : « ratione » vel « causa » c. gen. [1]. Ita explicatur illud Ionae 1,7 « cuius causa » et v. 12 « mea causa ». Apud Eccl. autem non ad unam vocem, sed ad sententiam relativam spectat illa particula, ut *necesse* fuerit dici בְּשֶׁל אֲשֶׁר et pro hoc constanti linguae lege, abiecta in extrema voce geminatione, בְּשֶׁל א; verte igitur : « in s. cum eo quod-

1. Cf. אֲשֶׁר לְ 1 Sam. 21,8; 2 Sam. 2,8; Cant. C. 1,1; his locis circumlocutio illa « qui pertinet ad » est pro genitivo.

cumque laborat homo », i. e. quantumvis laboret homo. Potuit autem tam Salomon quam Ionas eam particulam (ex aramaicae exemplo) fingere, vel potius id in illo probabilius est. Aut fuit illa non insolita, sed in paucis litterarum hebraicarum reliquiis non apparet ante illam aetatem. Nam ridenda est quorundam opinio, sciri a nobis posse omnia vel paene omnia, quae Salomonis tempore vel usitate vel paullo audacius potuerint dici. Ceterum in שֶׁ particula evidenter cernitur, quam cupide nonnulli detrudere ad seram aetatem velint Ecclesiasten. De Del. inconstantia modo dixi; nam si quidquam hoc toto argumento efficeretur, constantiae esset, vel eidem Salomoni tribuere et hunc librum et « Canticum », vel hoc item posteriori. *Gesenius* dicit praeter librum Iudicum שֶׁ non inveniri nisi sera aetate; sed בְּשֶׁ iam initio Genesis (6,3 cf. *Del.* ad l.) legitur, opinor, et certe probabile non est, id media (inter librum Iudicum et Koheleth) aetate non fuisse usitatum, cum etiam apud Phoenices et Babylonios antiquos inventum sit.

Difficilius est de אִלּוּ (6,6) et אִי (10,16; 4,10) statuere. Prius autem, cum Esth. 7,4 legatur, non est ex mischna repetendum; praeterea cum non solum Ez. 3,6 reponendum videatur אִם־לֹא, sed אִם cum לוּ iunctum in eodem enuntiato iam inveniatur Gen. 23,13, hae voces facile potuerunt coalescere; cur autem non ante Estherae aetatem? Haberetur aliqua demonstratio, si permagna esset a Salomone ad id tempus librorum copia; nunc fateri vel inviti debemus, nos multa ignorare. — אִי (= vae!) non est apud ullum scriptorem sacrum. Num igitur sequitur, id tempore persico esse usu receptum? Sequeretur etiam, ut Eccl. post Malachiam scripsisset, quod multi certe nolunt; sequeretur etiam, ut Ezechiel, qui in re simillima dixit, הִי pro הוֹי (2,10) et Amos, qui usurpavit הוֹ (5,16), post ceteros omnes scripsissent. « Qui nimium probat, nihil probat »; sic enim potuit Salomonis tempore dici אִי pro אוֹי, ut aetate Ezechielis הִי pro הוֹי, praesertim cum אִי substantivum Gesenii et Fuerstii quoque sententia proprie significet « clamorem ». Fallax est igitur *conclusio*, qua in hac tota disputatione uti solent.

עַל־דִּבְרַת־ (3,18; 8,2; 7,14) pro עַל־דְּבַר (Gen. 12,17; 20,11; Dt. 22,24, ubi etiam sequitur relativum, ut Eccl. 7,14) non ita insolenter dictum est, quia דִּבְרָה est idem quod דָּבָר, cf. Iob 5,8, et עַל־דִּבְרַת legitur Ps. 110,4, quem Davidicum esse Christus ipse testatur (Matth. 22,43 sq.). Cf. comm. Simile est כָּל־עִמַּת (5,15), cum לְעֻמַּת saepe eadem notione usurpetur (Ex. 25,27; 28,27; 39,20...). Omissum est לְ, sed quare dicamus potius ab incerto nescio quo scriptore, quam a Salomone?

Substantiva multa pro adverbiis adhibentur (cf. כָּל־עוֹד Iob 27,3). — Finitimum est חוּץ pro adverbio positum (2,25); cf. מוֹלֶדֶת ח׳ foris natus Lev. 18,9; ad hoc exemplum licuit certe dicere חוּץ מִן = foris ab aliqua re = extra aliquam rem, nec recurrendum est ad mischnam, praesertim cum respondeat chald. בַּר מִן. De vocis *significatione* v. ipsum locum difficilem.

בְּכֵן 8,10 putant valde inusitate dictum esse; sed primum cf. Esth. 4,16; deinde cum עַל־כֵּן, בְּעוֹד et similia inveniantur, quid habet illa praepositionis cum adverbio compositio miri? Tribuunt ei quidem notionem targumicam « deinde », sed nihil est suo loco aptum praeter : « secundum hoc, atque ita ». — עֲדֶן (4,3) et עֲדֶנָה (4,2) *Del.* comparat ad mischnicum עֲדַיִן; sed res multo explicatur facilius : Iob 30,24 est לָהֶן et Rth. 1,13 לָהֵן et Num. 14,19 עַד־הֵנָה. Ergo עֲדֶן est עַד־הֵן = usque huc, adhuc; mischnicum illud longius abest. — כְּבָר (*octies*) substantivum vel adiectivum antiquissimum est, quia femininum derivatum Gen. 35,16 et 48,7 legitur; pro adverbio non invenitur nisi in libris rabbinicis et apud Eccl. (idque persaepe) et aramaice; nomen proprium est apud Ezechielem. Cum autem alia eiusdem radicis vocabula complura sint (velut כַּבִּיר), non est improbabile illud esse proprie hebraicum, et substantivum pro adverbio poni, satis est usitatum. Quod id saepe fit apud Eccl., singulare sane est, item quod, non ut illud fem. de loco, sed de tempore usurpatur. Sed utrumque quia aramaicum est, potuit inde, si opus erat, *tam* a Salomone asciri, quam ab aliquo persicae aetatis scriptore, quem tanto usu scribendi, quanto illum, ad transferenda aliunde vocabula fuisse quasi dispositum nescimus. De reliquo, quicunque hunc librum scripsit, adverbia complura, ut videtur, sibi *fecit*, cf. יוֹתֵר (2,15; 7,16; 12,9. 12, sed v. Esth. 6,6); נַחַת (quies = melius) 6,5, nec est hoc a rabbinis mutuandun; בְּכֵן vidimus, item עֻמַּת־, אִי; לְבַד 7,29 (sed cf. Is. 26,13, Esdr. 1,6; praep. Num. 29,39; subst. Iob 17,16,). Dignum est autem, quod consideretur attente, quam non *tritis* vestigiis huius libri scriptor insistat, quantum sibi fidat, quantum audeat. Nam etsi non pauca fortasse nobis nova videntur, quae ille non novaverit, sed usu consecrata acceperit, tamen et ex iis adverbiis ac particulis, quae modo posui, et ex vocibus aliis permultis et ex *tota dicendi proprietate, sententiarum audacia, iungendarum enuntiationum novitate* cognosci licet, non omnia usitata atque communia esse, quae apud eum reperiantur. Id autem Salomoni an alicui scriptori, qui hunc solum libellum composuerit, magis sit consentaneum, critici parum, ut arbitror, conside-

rant. Praeterea demonstraturum me spero ipsa libri enarratione, quam ad rem tractatam apposite et maxime ad ardorem oratorium exprimendum feliciter illa plerumque sint usurpata; qua re item facilius inducimur, ut magnum aliquem dicendi artificem, qualem Salomonem novimus, potius quam obscurum quempiam et posteriorem scripsisse « Ecclesiasten » censeamus.

II. Sed ad rem institutam redeamus. Vidimus in grammaticis rebus ac particulis non fere esse offensionem, cum alia falso affirmentur, alia non sint eiusmodi, ut iis ita valde commoveri debeamus. Multo minus est momentum in ceteris vocibus insolentioribus. Sane qui a Salomone nihil potuisse peregrini in sermonem induci statuerit simulque persuasum habuerit, non multa de illius aetatis loquendi consuetudine a nobis ignorari, is, ubi viderit, vocabula non pauca esse vel omnino vel ante exsilium inaudita, rem confectam esse existimabit. Nos quia utrumque esse errorem *maximum* putamus, parum effici huiusmodi probationibus arbitramur.

1. Principio ad ea attendi oportet, quae sunt in hebraicis litteris prorsus inaudita, unde existimari liceat, quid habeat ponderis, si quid praeter Eccl. vel apud rabbinos vel apud scriptores sacros aetate postremos tantummodo inveniatur. Etenim qui plurima habeat omnino propria, is alia potuit profecto habere solus ante illos posteriores. Utuntur autem tacite hoc plerumque argumento : quae apud Esdram v. c., vel in mischna usurpentur, non ab antiquis, ea Salomonis esse non posse; quod argumentum per se satis incertum (in tanta paucitate librorum sacrorum) refutatur imprimis iis rebus, de quibus iam sum dicturus.

Proprium « Ecclesiastae » est praeter cetera ipsum nomen קֹהֶלֶת, in quo explicando quanta sit difficultas, omnes norunt, praesertim cum qal huius verbi nusquam legatur. Asserunt tamen, illud ante Esdrae aetatem non potuisse usurpari de *homine*, quia antea id non fuerit in consuetudine Hebraeorum. Quis hoc probabit, cum eiusmodi exempla sint rarissima? Et falso concludi docet nomen עֶלְמֶת, nepotis Benjamini, 1 Chr. 7,8. Ceterum ego nomen *appellativum*, non proprium esse puto et ob alias rationes et quia 7,27 feminine usurpatur (quem locum *mutare* solent); cf. comm. ad 1,1. Nec credibile est (ut semel eo modo, quo multi perpetuo solent, argumenter) usque ad Esdrae aetatem viguisse illius verbi coniug. qal, nec tamen usquam reperiri.

אִזֵּן Pi. (12,9 = expendere) ne talmudicum quidem est; item הוֹלֵלוֹת s. ־וּת (1,17; 10,13; 2,12; 7,25; 9,3); חֲתֻחִים (12,5); טַחֲנָה (12, 4, sed טְחוֹן Thren. 5,13); יִגְעָה (12,11), כִּשָּׁרוֹן (2,21; 4,4; 5,10) לַהַג (12,12); מֵרוֹץ 9,11 (pro מְרוּצָה); סָכָל (10,6, et סִכְלוּת 2,3; 7,25; 10,1...;

1,17 שׁ׳); עֲצַלְתַּיִם (10,18); רְאוּת (5,10); שְׂדֵה (2,8); שַׂחֲרוּת (11,10); שְׁתִי (10, 17). Sunt etiam multa quae modo omnino singulari usurpata sint, cf. חוֹלָה (5,12. 15), עָשָׂה (6,12), רָדַף (3,15), atque ita porro.

2. Non mirum igitur alia esse nonnulla, quorum apud posteriores tantum scriptores vel sacros vel profanos exempla sint.

a.) In sacris haec fere sunt : בָּטַל (12,3), זְמָן (3,1), כְּשֵׁר (11,6), מְדִינָה (5,7), מַדָּע (10,20), סוֹף (3,11; 7,2; 12,13), סָכָל (10,3 et identidem), פֵּשֶׁר (8,1), פִּתְגָם (8,11), רְעִית (septies), רַעְיוֹן (ter), שָׁלַט (2,19; 8,9), sed שַׁלִּיט (8,8; 7,19; 10,5) iam Gen. 42,6, contra שִׁלְטוֹן (8,4. 8) tantum in mischna; תַּקִּיף (6,10), sed verbum ipsum Iob 14,20; 15,24, Koh. 4,12.

b.) Apud profanos : גִּיבֵּץ (10,8) targumicum est, ipsum quoque verbum (de forma cf. סוּגַר = claustrum Ez. 19,9; עוּגָב Gen. 4,21); חֶסְרוֹן (1,15) mischn., sed חֶסֶר, unde facile derivatur, Prov. 28,22; 10,21; it. חֶשְׁבּוֹן (7,25. 27. 29; 9,10), sed propria significatione 2 Chron. 26,15 atque ut urbis nomen saepe in libris Moysis; יִתְרוֹן (saepe), sed abiecto ן in nomine proprio Ex. 3,1; הַכְשִׁיר (quasi nomen adhibitum 10,10), ipsum qal Esth. 8,5 et derivata Ps. 68,7; Prov. 31.19; לָוָה (= comitari 8,15), sed niph. cum praepos. simili notione Gen. 29,34; Num. 18,2. 4, cf. דָּבַק c. accus. Gen. 19,19, cum soleat aliter construi; מְלֵאָה (= gravida 11,5), sed facilis est translatio a vi usitata; עִנְיָן (saepe) aram. et talm., sed facile fuit derivare ex radice usitata; הִשְׁתַּכַּח (8, 10, pass.), talmudicum, sed hithp. pro pass. iam Iud. 20,15. 17; שְׁפֵלוּת (10,18) targumicum, sed leniter inflexum ex שֶׁפֶל (10,6, Ps. 136, 23), cf. שִׁפְלָה Is. 32,19; adde כָּנַן (= laedere 10,9) aram.; sed vocem difficilem esse constat eamque Iob 35,3 idem valere censet Fuerst; praeterea אֲבִיוֹנָה (12,5), cuius simillimum אֶבְיוֹנָה talmudicum est.

III. Denique ne quid videar praetermittere, iuvat aliqua minuta componere, quae aliquando putantur habere speciem inusitatam. אָדָם (7, 28) non videtur proprie idem esse, quod אִישׁ; nec אָבַד (3,6) « amittere »; nec חֵפֶץ (saepe) « res » (comparant Is. 58,3. 13); nec חוּשׁ (2,25) « sentire, frui » (ad quod conferunt Iob 20,2). Vide de his comm., item de מַלְאָךְ (5,5), quem volunt esse « sacerdotem », מָשַׁךְ (2,3), quod nonnulli reddunt « delectare », נָהַג (ib.), quod vertunt « se gerere ». Praeterea : אֲסוּרִים (7,26) legitur Iud. 15,14, cf. 16,21. 25 (sing.); ad בְּחוּרוֹת (11,9; 12,1) cf. בְּחָרִים Num. 11,28, ad מְסִכָּן (4,13; 9,15. 16) vocem derivatam כִּנּוּת Deut. 8,9. Quod הַיָּלִים

(10,10) « vires » designare videtur, comparandum est Is. 30,6 (ubi plur. sonat « opes »); מִשְׁלַחַת (= missio 8,8) de re missa adhibetur Ps. 78,49, id quod est audacius; בִּיעָתִים (5,1) etiam Ps. 109,8 legitur, immo sing. pro adiectivo usurpatum v. Num. 26,54. 56; יָפֶה (3,11; 5,17) facile ad ordinis pulchritudinem transferri, linguae paene omnes comprobant; כְּאֶחָד (11,6) non modo Esth. 2,64 et Is. 65, 25 invenitur, sed eadem notione כְּאִישׁ אֶ Iud. 20,8; בִּיר (9,1) pro בְּאֵר (Deut. 1,5) singulare videtur, sed antiquitus etiam בּוֹר pro בְּאֵר dictum nemo ignorat; פַּרְדֵּס (2,5), vox omnino peregrina, etiam Cant. C. 4,13 usurpatur; בֶּן־חוֹרִים (10,17) quid habeat miri, non assequor, nec בֵּית עֹלָם (= habitatio perpetua mortuorum, vel sepulchrum? 12,5), cf. Iob 17,13; 30,23; Is. 14,18. Nec singulare est בַּעַל compositum cum כָּנָף (10,20) et לָשׁוֹן (10,11), cum similia multa sint; paullo audacius בַּעֲלֵי אֲסִפּוֹת (12, 11) de omnibus, qui congregati sunt, dicitur, sed v. Gen. 14,13 « domini foederis » pro omnibus foederatis; נְכָסִים (5,18) v. Ios. 22,8; זִכְרוֹן (st. abs. 1,11; 2,16) omnino respondet voci חֶשְׁבּוֹן, quae ut nom. propr. saepe apud Moysen; דּוּעַ (12,3) non modo apud Hab. 2,7 legitur (pilel), sed eius derivatum דִּוְעָה Is. 28,19. Postremo quod abstracta (in ־וֹן ־וּת, ־ָן) valde frequentantur, nec abhorret a veterum more (ea obiectio satis superque refutata est ab aliis cf. *Mot.* « Sal. et l'Eccl. » H. p. 349 sqq.), et in hac *philosophica* disputatione nihil prorsus habet inusitati.

IV. Atque ita conscripsi, ut potui optime, quidquid non omnino absurde allatum est, quo ostenderetur, ipsum scribendi genus alienum esse a Salomonis aetate. Nunc quid tandem de iis omnibus sit existimandum, breviter dicam :

1. Non est dubium, quin multo *cupidius,* quam oportuit, in contrariam partem tendant etiam prudentiores v. g. *Del.;* non enim tam multa vel falsa vel levissima atque contemnenda protulissent. Quidam studio etiam ridiculo in hunc fere modum loquuntur : *innumerabilia* esse, quae evidenter postrema tempora designent, sermonem *totum* corruptum esse barbarismis et valde iam similem mischnico, *plurima* saecula intercessisse inter Proverbia Canticumque et Ecclesiasten, ne *tentandam* quidem veteris opinionis defensionem. Unam *Zoeckleri* vocem refero, indignam homine litterato et prudenti, ipso quoque Zoecklero, cui multis in rebus laudem scientiae prudentiaeque libenter tribuerim, indignam : « Aramaismos », inquit, « paene *singuli* versus afferunt *aliquot* » (p. 115). Aramaismos non ita multos demonstra-

veris; sed ille, quidquid singulare est, eo nomine videtur appellare! Affert ipse 19, e quibus aut nullus aut pauci non sunt dubii; omnes supra posui (tantummodo de 3,11 v. comm.).

2. Ipsam *normam* (id quod supra dixi) recte iudicandi deseri, nunc, opinor, cognoscitur. Nam sunt non ita pauca, quae e solis libris *antiquissimis* illustrentur, in mediis usque ad persica tempora nihil habeant simile, v. supra בְּחוּרוֹת, מִסְכֵּן, כְּאֶחָד, נְכָסִים, שַׁלִּיט, יִתְרוֹן; quidni igitur, si argumentum obiectum valet, Koheleth possim Moysis fere aequalem dicere? — Alia nusquam reperias, ne apud rabbinos quidem (voces circiter quindecim); quando igitur haec inventa putemus? — Quae apud Esdram, Danielem... usurpantur (totidem fere), ea aramaica solent appellari; at quo iure, si *forma* ipsa verborum est hebr., ut in בָּטַל, פֵּשֶׁר, זְמָן, עֲבָד (cf. similia אֱיָל Ps. 88,5, קְרָב Iob. 38,23, אֱסָר Num. 30,5), שָׁלַט, תָּקַף atque ita porro? — Quia in Proverbiis eiusmodi vocabula (ut aiunt) non sunt, idcirco illa Salomonis esse facile patiuntur, in Cantico, ubi plura sunt, dissentiunt inter se, Malachiam, item Aggaeum, Zachariam, quos nihil habere commune cum Eccl. plerique concedunt, tamen *eadem* aetate scripsisse volunt : num hoc est constantiae, si quidem illud ex sermone argumentum est tam firmum? — Aramaismi nonne libris *paene omnibus* aspersi sunt[1]? Nonne Canticum Deborae et Ps. 68 singularitate dictionis proxime accedunt ad « Ecclesiasten »? Nec longe absunt « Ruth », « Ionas », « Iob ». — Qui ex postrema aetate talmudica multa repetunt, cur non, ut *Graetz*, paullo ante Christum scripsisse Koheleth affirmant? — Denique tacite semper sumunt, *nostrum* esse diiudicare, quid Salomonis aetate licuerit usurpari; id quod est absonum. Duae circiter partes quintae operum Ciceronis biblia hebr. amplitudine aequant : ecce tibi tota moles litterarum hebraicarum, quae ex mille annis exstat!! Unde deducenda sunt etiam illa omnia, quae *post* Salomonem vel sunt scripta vel ab adversariis putantur. Quantulum igitur restabit? Non est magnae profecto prudentiae, sed insignis temeritatis velle statuere, quid quoque tempore dicere licuerit; nostrum est, non libros ob dictionis proprietatem traiicere, sed hanc ex illorum aetate discere. Frustra queritur *Del.*, si Koheleth sit Salomon, non fore ullam historiam linguae hebraicae. Quid si sit ita? Quae enim sciri non possunt, non oportet affirmari.

3. Non nego, quaedam admirationi esse. Sed nisi fallor *haec* fere

---

1. *Hirzel* chaldaismos reperisse sibi visus est in *Genesi* 10, in *Exodo* 8, in *Levitico* 5, in *Numeris* 4, in *Deuter.* 9, in *Ios.* 2, in *Iudic.* 9, in *Ruth* 5, in libris *Samuelis* 16, totidem in *Psalmis*, complures in *Prov.*, cf. *Schaef.* p. 141.

sola aliquam vim habent ad persuadendum, librum sero esse ortum:

יְהוּא pro יְהִי; sed ו tam antiquitatem sapit quam aramaismum, et א etiam ob alias rationes addi v. exempla Ios. 10,24, Ioel 4,18, Is. 28, 12, et de iussivo cf. comm. ad 11,3, et huiusmodi locos : Ps. 25,9; 9, 10; Prov. 20,22; Os. 6,1; Gen. 4,12... Quod *Del.* confert mischnicum יְהֵא, longe abest.

בְּשֶׁל אֲשֶׁר; sed, *si* ad similitudinem aramaicae dictionis בְּדִיל דְּ effictum est, cur id non tribuamus Salomoni?

אִלּוּ et עֲדֶנָה ob solam *compositionem* movere dubium possunt; sed cf. מִלְמַעְלָה, בִּלְעֲדֵי, מַדּוּעַ (ex מִן + לְ + מַעַל + ־ָה, Gen. 6,16; 7,20); partes compositae certe prorsus hebraicae sunt. Praeterea in huiusmodi rebus, quae ad *orthographiam* pertinent, non est dubium, quin procedente tempore nonnulla, etiam in antiquissimis libris, a descriptoribus mutata sint; nam et incredibile est a Moyse usque ad extrema tempora scriptionem verborum sibi constitisse et indicia multa demonstrant, rem contra se habuisse.

כְּבָר singulare est ob *frequentiam* (octies); itaque huius rationem ex usu aramaico libentius repetam, quam ex copia linguae sacrae; quamquam יוֹתֵר quoque quater usurpatur et tamen omnino hebraicum dicendum est. Saepe etiam usurpatur הוֹלֵלוּת (quinquies) et tamen solius est Ecclesiastae, cf. כִּשְׁרוֹן et סִכְלוּת.

קֹהֶלֶת difficile ad explicandum, sed *hebr.* est; item אִזֵּן, nisi etiam מֹאזְנַיִם Lev. 19,36, Iob 31,6 velis dicere aramaicum; porro סֶכֶל, cf. הִסְכִּיל (= stulte agere) et סִכֵּל (id.) in lex.; praeterea שַׁחֲרוּת (a capilli nigredine), חֶסְרוֹן...

Sit aramaicum, quidquid aliquo modo peregrinum videtur : מַחֲנָה, לַהַג, שִׁדָּה, גּוּמָץ, עִנְיָן, סָכַן, עָשָׂה (cum לֶחֶם 10,19, cf. Dan. 5,1 עֲבַד, et יָמִים 6,12), זְמָן, quamquam cf. in cod. samar. Gen. 11,6 et Deut. 19,19 (Fuerst) כָּשֵׁר, סוֹף (sed verbum v. Is. 66,17; Am. 3,15), פֵּשֶׁר, רַעְיוֹן, תָּקַף. Sint, inquam, haec aramaica et unum alterumve ex superioribus — quis autem demonstrabit? — sed quis ea ad Hebraeos transtulit? Dicunt atque affirmant, nec Salomonem, nec quemquam post eum usque ad exsilium fere id potuisse? An quidquam minus certum? Unde illa sunt aramaica, quae ex ceteris libris etiam antiquissimis afferuntur? Sed de hoc sic existimo sentiendum :

4. Linguae semiticae quam sint inter se affines, vocabulorum quoque communione, nemo est qui nesciat; hebraicam et aramaicam (in Chaldaea et Syria) dialectos potius quam linguas appellaveris. Itaque ni-

hil facilius erat, quam unam ab altera multa mutuari, ubi primum exstitit frequens populorum commercium. Cuius rei magnum exemplum est, quod Hebraei exsilii tempore sermonem totum chaldaico commutare coeperunt, ita quidem ut hebraicus paullatim emoreretur. Sed nihil potest esse perversius, quam existimare, ab exsulibus Hebraeis primum cognitum esse aramaicum. *Abraham* natus est in אוּר כַּשְׂדִּים et a patre Thare eductus Haran, « ut irent in terram Chanaan »; inde mortuo patre ille Dei iussu iter institutum persecutus est (Gen. 11,31-12,5). Non dubitant igitur plerique, quin Abraham locutus sit antiqua lingua Aramaeorum vel Chaldaeorum. Haran quoque urbs non afuit longe ab Ur; nam illa quoque regio patria Abrahami et propinquorum eius dicitur : Gen. 24 ipse uxorem optat filio *Isaac* « e *terra* sua et cognatione sua » (v. 3 sq.), et adducta inde est Rebecca, soror Laban. *Iacob* patriarcha duas Laban filias duxit uxores in Mesopotamia ibidemque undecim genuit filios; ipse Aramaeus dicitur vagus Deut. 26,5 (hebr.). Certum est igitur minime ignotum fuisse aramaicum (qualicunque tum fuit forma) patriarchis, etsi Abraham canaaniticam (hebraicam) linguam ita addidicit, ut eam tamquam praecipuam ad posteros transmiserit. Ita factum est, ut Moyses (post longissimam Hebraeorum commorationem in Aegypto) et *hebraice* scripserit et tamen *aramaica* multa assumpserit. Illud notabile est, quod videntes cibum e coelo pluentem Hebraei exclamarunt מָן הוּא « *quid* est hoc? » כִּי לֹא יָדְעוּ מַה־הוּא « quia nesciebant, *quid* esset » ac propterea dederunt ei nomen מָן « quid » (Ex. 16,15. 31). Unde intelligitur *multitudinem* usurpasse vocem *aramaicam* tempore Moysis, quae ante Danielem non inveniatur in litteris sacris. Quis igitur non videat aramaicum apud populum viguisse in quibusdam vocibus etiam communissimis? Moyses sane illam interpretans statim adiungit מַה, ut appareat non eum populari, sed politiore uti sermone. Quid ita? Fortasse, quia Aramaeorum *litterae* etiamtum nullae erant, sed Canaanitarum atque Phoenicum valde inter se affinium florebant.

Quodsi fingamus post reditum Hebraeorum in Palaestinam *interisse* omnino aramaicum[1], nonne *excitari* necesse fuit tempore Davidis et Salomonis? Complures gentes civitatesque aramaeas in illius cessisse ditionem testatur 2 Reg. 10,19, ut Salomon imperaret a Thaphsa (ad Euphraten) usque ad Gazan (3 Reg. 4,24; cf. Gen. 15,18).

1. Quamquam id factum esse vel idcirco improbabile est, quod populi victores non solent a victis (praesertim paene ad internecionem *deletis*) linguam mutuari, nisi animorum cultu sint omnibus partibus illis inferiores.

Huic Iudaei fabulati sunt septuaginta notas fuisse linguas, aramaicam utique satis certum est. Porro Chaldaeos dicendum est illa aetate praestantes fuisse scientia ac litteris (*Mot.* II 327 sqq.; *Schaef.* p. 145); coniectura igitur sit probabilis, Salomonem eorum et libros adisse et sensim sermone tinctum esse, praesertim cum ibi copiam maiorem particularum, quibus in doctorum disputationibus definiri accuratius iungique artius cogitata solent, et vocabulorum rebus ad scientiam pertinentibus aptorum inveniret. Non puto sine huiusmodi aliqua causa comparatam esse eius sapientiam sapientiae non modo Aegyptiorum, verum etiam *filiorum Orientis* (3 Reg. 4,30, hebr. 1 Reg. 5,10). Habuit etiam commercia ad scientiam spectantia cum exteris; « veniebant enim de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis et ab universis regibus terrae, qui audiebant sapientiam eius » (ib. quattuor versibus post). Regina Saba ad eum adiit (ib. 10,1), rex Hiram aenigmatis cum eo certasse dicitur (Ios. contr. Ap. 1,17). « Canticum Canticorum » plenum esse aramaismorum dicunt complures et tamen concedunt Ewald, de Wette, Hirzel, Hitzig id esse conscriptum paullo post Salomonem, alii, esse ipsius opus; nonne igitur dicemus eius aetate atque adeo per ipsum potissimum in litteratorum consuetudinem inducta esse illa peregrina? Adde quod fuit mercium quoque frequens commutatio Salomoni cum Aramaeis, non minus profecto quam cum Aegyptiis et Ophir; postremo quod artifices peregrinos ad opera construenda, mulieres famulosque variarum gentium ad domestica ministeria arcessivit.

5. Sed quod supra concessimus, *interisse* ante Salomonem inter Hebraeos notitiam linguae aramaicae, id ipsum nunc paullo diligentius videamus. *Hirzel* quot in libris Iudicum, Ruth, Psalmis (et Samuelis) inesse aramaismos existimasset, p. 32 n. diximus. Sed ut id omittam, ex ipsius linguae hebraicae proprietate intelligendum puto, alium fuisse litteratorum, alium populi sermonem. Inauditum est enim ac prorsus incredibile, linguam quampiam, quae in perpetuo usu versetur, praesertim antiquitus, cum non tam pervulgata esset legendi scribendique apud universum populum consuetudo, non multo plures maioresque pati mutationes, quam in hebraica factas cernimus a Moyse usque ad Malachiam. Nihil dico de scriptionis ac pronuntiationis diversitate — eam enim *recensionibus* librorum sacrorum fere sublatam esse pridem mihi persuasi, — sed de grammatica differentia, vocabulorum inflexione, iungendorum vocabulorum ratione. Ubinam usquam tanta fuit aequabilitas? Ego quidem non arbitror quidquam simile in ulla gente repertum esse. Ipsi nos, qui usu litteratorum tamquam tyranno, ut aiunt, coercemur, nonne vel scriptam linguam una ho-

minis aetate aliquantum mutari oculis cernimus? Quid vero de multitudinis sermone fieri necesse est et manifesto deprehendimus? Quare statuendum omnino censeo, scriptorum linguam a cotidiana, ut fit apud omnes fere gentes, satis multum discrepasse, atque etiam *maius*, quam solet plerumque, utriusque fuisse discrimen apud Hebraeos. Aliter, quod *tanta* ultimo prophetae cum Moyse similitudo intercedit, nescio unde intelligam. Comparetur enim gallica lingua praesens cum ea, quae viguit XIII saeculo, italica hodierna cum Dantis « Comoedia », germanica recens cum ea, qua usi sunt XV saeculo. Et tamen quanto maior hic, quam apud Hebraeos, librorum copia intercessit, qua quidem maxime solet linguae aequabilitas conservari. Quodsi dixeris religione adductos Hebraeos Moysis linguam pro sacra custodisse, id rem non explicat. Nam dum vivit lingua, in *motu* est, ut omnium gentium usus declarat, atque eo ipso emoritur, si, ut aqua conglaciata, immobilis consistit. Interim autem lingua vulgaris, etsi litteratorum consuetudine opprimi videtur, vivit tamen et movetur, aquae similis sub glacie fluminis decurrentis, et, ubi litterae doctorum defecerunt, de integro quasi renata apparet, usque dum denuo e vulgari sermone nova lingua politior a doctis effingatur. Hic perpetuus est linguarum processus. Velut latina, quam in historicis, poetis, oratoribus legimus, non prorsus usitata atque communis fuit, ut inter omnes constat, sed ad Graecorum exemplar polita atque ficta; ipsum etiam metricum systema ab illis translatum fuit. Interea vivebant varii gentium omnium imperii Romani sermones proprii, atque ubi illa e litteratorum quodammodo manibus delapsa interiit, recenti quasi viriditate se extulerunt et novarum linguarum (italicae, gallicae, hispanicae) fontes exstiterunt. Sed ne apud doctos quidem illa *latina* lingua (*romana* populi fuit) ita aequabilis per pauca saecula permansit, ut hebraica a Moyse usque ad Davidem ac, si paucos libros excipias, usque ad Malachiam.

Quae cum ita sint, illa hebraica lingua omnino dicenda est fuisse litteratorum, non vulgaris atque communis, et ab hac tam diversa, ut eius habitus iam non admodum ipsa similitudine *affici* posset. Sed linguam popularem sive dixeris ab initio colorem quendam servasse *aramaicum* sive fluente tempore *ipsam per sese* esse immutatam, certe Salomonis aetate fuit illi politiori dissimilis. Iam vero Salomon, quemadmodum Hebraeorum commercia cum variis gentibus vel fieri passus est vel potius ipse instituit, sine dubio in linguae quoque sacrae proprietate atque integritate servanda minus fuit curiosus; nec aut hoc aut illud *continuo* reprehendendum existimo; fortasse enim id temporis ipsius ratio postulabat. Mixti enim erant regni eius incolae

eorumque magna pars aramaice loquebatur, ipsi Hebraei vulgo utebantur sermone tritiore, cotidiano autem commercio multis locis Aramaei et Hebraei utrumque sermonem *vulgarem, si* erat valde dissimilis, iam aliquatenus aequaverant : quid igitur mirandum est, quod Salomon sacrae linguae aliqua admiscere vel *aramaica*, vel *popularia* coeperit? Non existimo curiosius inquirendum esse, quae utrique generi vocabula annumeranda sint; sed facile concesserim aliqua esse utriusque, quamquam pauca esse vidimus. Rursum igitur hic concludamus, non necessario Ecclesiasten ad postrema tempora differri, eiusque rei argumentum satis probabile, ne dicam certum, e linguae ratione peti non posse. Nam Salomon et scivit aramaice et habuit, cur vel aramaica vel popularia scriptis suis intexeret.

6. Notam fuisse dialectum aramaicam *ante exsilium* politioribus, haec quoque demonstrant. Ad Ezechiam regem cum legati regis Assyriorum venissent cœpissentque tres viros ab illo constitutos alloqui hebraice, hi oratorem syriaca lingua dicere iubent : « Intelligimus enim » Is. 36,11 et 4 Reg. 18,26; nec proprie interpretum illi munere, sed aliis fungebantur (ib. paullo ante). Ergo doctiores in ipsa urbe Ierusalem facile utebantur lingua syriaca, etsi eam populus urbis, ut ibidem dicitur, non facile intelligebat. Quid igitur de aliis multis locis iudicandum, in quibus perpetua erat utriusque gentis communio?

Porro exsilii tempore aramaicum prorsus in vulgarem omnium notitiam venisse ex Esdr. 4,8-6,18; 7,12-26; Dan. 2,4-7,28 evidenter cognoscitur; quidam ex Neh. 8,8 eruere volunt, tum iam paene ignotam vulgo hebraicam linguam fuisse. Id quidem non facile dixerim; sed fieri non potuisse censeo, ut Hebraei, suarum rerum tenacissimi, linguam patriam, qua omnes eorum libri sacri conscripti essent tam *brevi* commutarent ea lingua, qua eorum inimicissimi (Ps. 136,8 sq.) uterentur, nisi dudum magna fuisset sermonis vulgaris utriusque gentis similitudo transitusque facillimus. Et sane mirum esset, per eam gentium communionem, quam a Salomonis aetate fuisse apertum est, non effectam esse linguarum quoque aliquam commixtionem. Itaque exsilium expectandum non est, ut tempus conscribendo « Ecclesiastae » aptum inveniatur[1].

7. Praeterea id est dicendi genus in hoc libro usurpatum, id etiam argumentum, ut popularia et aramaica inseri, minime fuerit alienum. Philosophos, poetas, oratores multa solere novare quivis scit; modo

1. Non habui hic rationem inscriptionum cuneiformium, quarum lingua satis longe distat ab aramaica; sed quoniam de hac ipsa lingua (Assyriorum et) Babyloniorum nova quaestio est difficilis, ex illis argumenta contra ea quae dixi afferri non debent.

eos necessitas compellit, modo audacia abripit, modo animi commotio ad quaerenda vocabula nervosa invitat. Sed omnes illas personas simul sustinet Koheleth; Salomonem autem, scriptorem sapientissimum et exercitatissimum (1 Reg. 5,9-14, Vulg. [3] 4,29-34), eo iure usum esse, quod omnibus conceditur, cur non libenter fateamur? Sunt autem in vocabulis modisque loquendi supra allatis, quae facile sit modo philosopho, modo poetae, modo oratori tribuere. Huic ultimo popularia maxime consentanea sunt, velut אלו, עדנה, si litteratorum morem nondum ad eiusmodi contractiones progressum dixeris, item כבר sive aramaicum sive tantum vulgare esse existimes. Sed nolo in re incerta diutius morari; illud dicere institueram : regem Salomonem vel ut veri investigatorem, qualem se toto libro praebet, vel ut carminum artificem, qualem fuisse et Proverbia et maxime « Canticum » ostendunt, vel ut oratorem popularem, qualem fuisse videmus 3 Reg. 8,1 sqq., ea potuisse novare, quae nobis in hoc libro nova videntur[1].

Accedit, quod ipsum argumentum quam latissime patet atque omnibus populi ordinibus accommodatum in iis versatur rebus, quae ad usum vitae cotidianum maxime pertineant. Plus audeo dicere : non modo Hebraeis, verum etiam gentilibus (Aramaeis) est consentaneum, atque hos quoque alloqui Koheleth mihi persuadeo. Singulare sane exemplum hoc quidem; sed primum a Salomonis ingenio non abhorret, utramque populi sui partem communiter alloqui — non enim, ut David pater et Samuel, caute secernebat segregabatque Hebraeos ab exteris —, deinde eius rei magna indicia sunt in ipso libro. Nomen enim Iahve nusquam, Elohim tricies septies usurpatur, et loco aliquo e Deuteronomio repetito, cum illic identidem esset positum Iahve, cf. comm. ad 5,3 sqq., hoc nomen *omissum* est; nec usquam *id* attingitur, quod populi electi erat proprium. Nam illa Deuteronomii verba et Genesis (Eccl. 3,20) sic adhibentur, ut non sit necesse, de Lege cogitare; omnes enim gentes vota esse sancte servanda et hominis esse corpus terrenum, persuasum habebant. Item 7,29 (Vulg. 30) ita significatur primum Hevae peccatum, ut non videatur id a gentilium opinione alienum esse, praesertim cum vel Graeci e primae mulieris (Pandorae) peccato mala omnia derivaverint. De reliquo *studiose* vi-

1. Oseam *Eichhorn*, Isaiam *Del.* suo arbitrio inflexisse linguam concedunt; immo vero in libro Ionae *Keil*, in libro Ruth *Bertheau*, in Genesi *Del.* plurima esse singularia dicunt, cum tamen hi libri, ut alii multi, in simplici *narratione* versentur. Quidni igitur suo usum iure Salomonem quoque concedamus, aut quid eius omnia verba in Proverbiis aliisque libris antiquis reperire volumus? An Eccles. eum se praestat, ut eum aliena vestigia tantum sectari iudicandum sit?

tata esse arbitror, quaecumque revelationem Mosaicam significare possent; contra omnia aptissime sic instituta, ut hominibus recta ratione utentibus contemptus rerum mundanarum ususque virtutis persuaderetur. Iam vero ad conciliandos Aramaeorum animos nihil fuit accommodatius, quam ipsi sermoni aliqua aspergere aramaica, vel ita dicamus : sua sponte scriptorem, cum omnibus loqueretur, aliqua, quae omnium essent communia, usurpasse.

8. Postremo, cum hunc librum tractarem, tanta *compositionis artisque* admiratione me captum fateor, ut aegre crediderim, eum non a scriptore aliquo peritissimo atque exercitatissimo (qualem novimus Salomonem) profectum esse. Sed cum id difficile sit aliis persuadere — diverse enim in ista re sentiunt diversa ingenia, — ea autem, quae huc spectent, e commentariis facilius cognoscantur, nunc plura dicere omitto. Satis autem dicta sunt, unde appareret, *potius* affirmare licere, *nihil* inveniri in « Ecclesiaste », quod Salomonis aetate non omnino fuerit usitatum, quam negare, eum a Salomone *potuisse* conscribi. Pauca enim sunt, quae *probabiliter* abiudicare possis a *communi* et *integra* veterum scriptorum consuetudine. Proxime igitur, rebus omnibus aequo iudicio expensis, ad verum videmur accessuri, si Salomonem, variis adductum rationibus, nonnulla novasse existimabimus. « Canticum » autem atque ipsa « Proverbia » non tanto intervallo ab « Ecclesiaste » distant, quanto v. c. « Fausti » Goetheani pars altera a priore, ut minime repugnet, quominus unius sint scriptoris. Ceterum similitudo inter « Ecclesiasten » et « Canticum » atque « Proverbia » multo est maior, quam nonnulli putarunt, qui praeiudicatis opinionibus ad ea comparanda accedunt atque illud potissimum negligunt : si ullo in libro, certe in hoc, improbabile esse scriptorem aliena sibi affinxisse : ita *proprie* usquequaque loquitur. Cf. quae a *Schaef.* p. 133 sq. 136 sq., *Mot.* II p. 255, *Cornely,* Introd, II 2 p. 166 sqq. disputata sunt.

Ad *alterum* argumentum veniamus, quo probare student Persarum aetate librum esse conscriptum. Negant Salomonis aetate tales fuisse *vexationes innocentium,* quales 3,16; 4,1; 5,7; 10,5... describantur, aut negant, eas ab ipso rege, cuius esset illis occurrere, in hunc modum potuisse describi, contra sub Persarum ditione huiusmodi crudelitatem in usu fuisse cotidiano. — At quis existimet, non saepe, etiam Salomone illo sapientissimo regnante, in tanta regni amplitudine ea evenisse, quae omnibus et temporibus et locis frequenter fieri novimus? Quis illum ipsum putet tam aut ignarum aut superbum fuisse, ut id

non ultro fateretur? Porro is, qui usque ad illum locum 3,16 nihil nisi errata sua enarraverit, cur non confiteatur, sua quoque negligentia potuisse accidere, ut iniuriae multis locis innocentibus inferrentur? Quamquam id *ipsis verbis,* ut fecit antea, non dicit, nec omnino proprie de regum vitiis, sed de Dei iniquitatem permittentis severitate loquitur, ut suo loco demonstrabo; nec de suo regno solo agit, sed *perpetuo* repetit, huiusmodi res « *sub sole* » fieri, ut absonum videatur, amplissimam miseriae humanae contemplationem unius regni angustiis concludere. Cf. *Cornely,* Introd. II. 2 p. 165.

Denique non assequor, cur non propriam quoque in Salomonico fuisse rationem querelarum existimemus. Sane libenter dederim, non sic, ut aliquando apud barbaros, iniquitatem illic quoque pervagatam esse. At scimus veram sapientiam non ita diu perseverasse in Salomone; necesse fuit profecto illud voluptatis luxusque studium, quod in se ipse castigat (c. 2), etiam ad rei publicae prosperitatem deminuendam magnopere pertinere. Et praedixerat ipse Deus, qualis futura esset populi conditio regibus imperantibus; nam cum illo flagitante paene invitus permisit, ut reges haberet, haec praefatus est : « Nunc ergo [tu, Samuel] vocem eorum audi; verumtamen contestare eos et *praedic eis ius regis,* qui regnaturus est super eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat ad se regem, et ait : Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis : *Filios vestros tollet* et ponet in curribus *suis* facietque *sibi* equites et praecursores quadrigarum *suarum* et constituet *sibi* tribunos et centuriones et aratores agrorum *suorum* et messores segetum et fabros armorum et curruum *suorum. Filias quoque vestras* faciet *sibi* unguentarias et focarias et panificas. *Agros quoque vestros* et vineas et oliveta tollet et dabit servis *suis.* Sed et *segetes vestras* et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis *suis. Servos quoque vestros* et ancillas et iuvenes optimos et asinos auferet et ponet in opere *suo. Greges quoque vestros* addecimabit *vosque eritis ei servi. Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem* » (1 Reg. 8,9 sqq.; cf. explicationem loci apud de *Hummelauer,* Comm. in libros Sam. p. 100 sqq.) Quaedam huiusmodi David rege facta novimus; quid Salomone, non dico sapiente, sed *iam insipiente* evenisse existimabimus? « Suscitavit Dominus », inquit Script., adversarios Salomoni (3 Reg. 11,14. 23. 31); sed sine dubio ipsa quoque ei stultitia fecit inimicos hisque magnae partis populi conciliavit animos. « Venit Ieroboam et *omnis multitudo Israel* ad Roboam, dicentes : *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis;* tu itaque imminue paululum de imperio patris tui durissimo et de iugo

gravissimo » (ib. 12,3 sq.). Neque dissentire videntur consiliarii seniores (v. 6 sq.), nec Roboam infitiatur (v. 11) : « Pater meus posuit super vos iugum grave, ego autem addam super iugum vestrum ; pater meus cecidit vos flagellis, ego autem caedam vos scorpionibus », et populus, hoc accepto responso : « Quae nobis pars in David? » Ingens hic apparet labes imperii regii ; an arbitrabimur *levibus de causis* eiusmodi rebellionem et a domo David, immo vero ab ipsa domo Dei et urbe sacra secessionem contigisse? Itaque manifestum est, a Salomone post errores suos resipiscente minime alienum fuisse, cives ad patienter ferendam in vita civili iniquitatem graviter cohortari.

Ceterum, ut modo significabam, errant, qui de solo regno Salomonis eius esse disputationem opinantur. Quo errore passim in aliis quoque locis explicandis falluntur interpretes. Sed, ut ostendam, cum singulos locos enarrabo, *omnino generatim* hominum errores qui « sub sole » fiant, Koheleth proponit ac vituperat, ac vere dici licet, eum omne genus alloqui humanum ; ipse in clausula libri se id praecepisse fatetur, quod in *unumquemque cadat hominem* (זֶה כָּל הָאָדָם). Quod senserunt nonnulli interpretes, et *Aben Ezra* (in extremo comm.) argute eloquitur : « Quod in Gen. c. 1-2,3 non usurpatur nomen Iehovae, hoc ipsum mysterium est libri Koheleth ». Iam vero plerique interpretes, ubicumque species aliqua oblata est, unde possint ad *certa quaedam tempora* verba accommodare, ad id viribus omnibus incumbunt ; saepe autem, ut in uno exemplo vidimus, in magnum errorem ipsi se inducunt. Videbantur enim, quae de vexationibus innocentium dicta sunt, valde consentanea esse aetati Persarum ; itaque protinus concludebant, Salomonis aetati aliena esse, qui est error insignis ; praeterea non attendebant, quae paullo ante (c. 2) de incredibili luxu atque magnificentia disputata sunt, *minime* convenire exsulibus atque captivis vel etiam e servitute dimissis ; nec hoc animadvertebant, improbabile esse, etiam philosophandi cupiditatem (1,13 sqq.) a scriptore et hanc quidem *primam* studium reprehendi, cum tamen exsules et exsilio vix liberatos sine ullo probro non ita acriter pupugerit studium investigandi in omnia, « quae fiunt sub sole ». Atqui haec omnia *unam* efficiunt ac *perpetuam* disputationem ; cohaerere igitur oportet et suo tempori (si quidem alicui tempori certo accommodata sunt) tam unum quam alterum optime congruere. Nonne aptius dicas Salomonis aetati ea omnino convenire? Res manifesta videtur, praesertim cum nullo modo scriptor indicet *se ipsum* passum iniurias, sed ceterorum contemplatum iniurias doluisse. Certe quidem is, quicumque librum composuit, Salomoni omnia consentanea esse existimavit ; idem enim, qui usque ad 3,16 Salomonis fert personam, pergit

dicere : « Vidi sub sole in loco iudicii impietatem ». Volunt quidem nonnulli ita turpiter alucinatum esse scriptorem, ut Salomonem fecerit vexationes exsulum Hebraeorum deplorantem! Habeant sibi!

Concessit *Hengstenberg* satis obscure, immo vero perperam, temporis persici conditionem describi. Recte quidem; nullius enim aetatis res perspicue proponuntur, nisi quod ab initio Salomon suum sapientiae studium, deinde voluptatis ac splendoris consectationem dolens fatetur, deinde vidisse se sub sole, i. e. cognovisse in hoc mundo magnam esse vanitatem ac nominatim aequitatem saepe omnem perverti. De reliquo *nihil prorsus* perspicue de certis vel personis vel rebus dicit. Itaque in commentario ne tentandam quidem *historicam* explicationem existimavi. Principalis certe verborum sententia nusquam ad rerum veritatem praesentem spectat; significationes aliquas subobscuras non negaverim, de quibus mox videro. Errare puto, qui v. g. 4,13 sqq. certum quendam regem ab adolescente regno expulsum designari opinantur, vel qui, ex 4,8 concludentes scriptorem liberis caruisse, argumentantur eum Salomonem non esse. Ne illud quidem concesserim, 2,18 sq. scriptorem suum (cf. אַנִי) haeredem significare (cf. comm.); aut recte forsitan alii quoque affirmarent, 12,12 eum filium ex se natum appellare. In eodem genere est, quod quidam ita censent : quoties suadeatur regis observantia, toties certum quendam intelligi; non convenire autem, Salomonem ita de se ipso loqui (5,8; 8,2 sqq.; 10,16. 20). An v. c. etiam 10,17 idem rex, qui 10,16. 20, designatur? Immo vero aut de rege *generatim* agitur, id quod Sapienti satis consentaneum est (ut Prov. 29,4. 14. 17 aliique loci ibid. demonstrant), aut rex est universi Rector mundi, cf. supra p. 19 n. 5 *Curiositatem istam historicam multis arbitror impedimento fuisse, quominus veram verborum sententiam perspicerent,* ut suis locis ostendam in comm. Quid opus est 7,26 (27) quaerere, quaenam mulier potissimum videatur obversata Koheleth? Omnem arbitror veram loci intelligentiam ista quaestione [illegible]diri.

Initia « pharisaeismi » quid[illegible] deprehendunt, quod 4,17 et 5,1 sqq. putant vituperari quandam levitatem in sacrificiis, precationibus, votis eorum, qui nihil nisi externam captent speciem pietatis. Falsam audeo dicere totam explicationem; sed si vera esset, nonne simillima saepe (etiam in Proverbiis Salomonis) inveniuntur? An etiam idcirco, quod divitiarum vanitas ac turpitudo avaritiae graviter proponitur, liber Salomonis esse non potest? Communia sunt ista vitia omnium aetatum.

Morositatem iramque Eccl. castigat; id optime sane congruit exsulibus; an minus aptum est, eam a Salomone attingi, si volebat toto libro

demonstrare, quam vana et iniqua essent omnia sub sole? Ista consideratio omni, opinor, tempore vim maximam ad irritandos affligendosque hominum animos habuit. Aut sequeretur, ut psalmi 37 et 49 et 73 ob eam ipsam causam exsilii tempore scripti essent.

מְדִינָה 5,7 de provincia s. satrapia pers. dictum volunt; quo iure, si 3 Reg. 20,14 sq. de provinciis regni Salomonici (cf. ib. 4,7) usurpatur? At vox ante exsilium nusquam legitur adhibita, inquiunt; isto enim loco primum invenitur. Respondeo verisimile non esse aliud ibi nomen positum esse atque illud ipsum, quo rem a se institutam Salomon appellavit; praeterea vox prorsus hebraica est (a דִּין); denique perperam sumunt pro explorato, libros Regum atque ipsa Paralipomena non magnam partem ex tabulis publicis priorum temporum deprompta nec, quae in iis scribantur, posse esse valde antiqua (cf. v. c. locum p. 37 n. 6 ex Isaia allatum, quem historicus ad verbum exscripsit, ut alia item e libris antiquis transtulit). — « Multorum scriptionem librorum » (12,12) indicium dicunt recentissimae aetatis. Annon Salomon ipse multorum fuit scriptor librorum? Nonne multos e *suis* potuit dicere inutiles? Nam si forte « tempore vanitatis suae » scribere perrexit, nonne probabile est, scripsisse cum libros profanos, inutiles, vanos? Disputavit « super lignis a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete; et disseruit de iumentis et volucribus et reptilibus et piscibus » (3 Reg. 4,33, hebr. [1] 5,13). Nullam ei iniuriam feceris, si eum his ut operibus magnificis (Eccl.2), vanitatem sectatum suspicatus eris. Saltem sacros (s. inspiratos) non fuisse omnes istos libros et carmina et parabolas (eodem illo loco uno versu ante) satis probabile est. Licuit igitur omnino hunc suum ultimum librum opponere suis minus utilibus. — Sunt qui Koheleth idcirco recentissimae aetatis censeant, quod valde perspicue doceat immortales esse animos; sunt, qui idcirco, quod de immortalitate dubitet, « Sadducaeismi » crimen in eum coniiciant. Utrumque praeiudicatis opinionibus nititur (cf. supra p. 11 sqq.).

Incredibile paene est, 1,12 : « Ego rex eram (fui) », afferri serio ad demonstrandum Salomonis mortui umbram (!) in hoc libro loquentem induci. הָיִיתִי, inquiunt, praeteritum est nec de Salomone vivo dici potuit. Sed id facillime explicatur : 1) potest esse pro imperfecto latino, id quod mihi videtur aptissimum : « Eram rex... dedi autem », i. e. « ego qui essem, dedi », cf. Gen. 1,2 : « Terra erat inanis... dixit Deus ». Frustra dicit *Del.* necesse fuisse, ut isto loco Genesis, adiungi fut. cum vav; cf. 1 Sam. 17,34 : « Pascens erat — et venit » רֹעֶה הָיָה ... וּבָא; 2) potest esse perf. pro praesenti, ut יָדַעְתִּי et alia plurima; ipsum הָיָה

pro « est » v. Gen. 46,32. 34; 3) potest esse pro « factus sum » (LXX ἐγενόμην), quod non est ineptum; v. הָיָה Koh. 3,20. — Stultum arbitror ex nomine « Koheleth » argumentari velle idcirco, quod Salomon non potuerit fictum nomen assumere, quia in Prov. et Cantico, Ps. 71 et Ps. 126 suo nomine vocetur. Nimis obscuram dicunt appellationem; at de « filio David rege » (eodem versu) quis tandem dubitare Hebraeus potuit? — Similis est cavillatio, verba « rex in Ierusalem » non potuisse scribi a Salomone, quod alibi semper « rex Israel » dicatur vel « super Israel » (ut 1,12). Sed 2 Sam. 5,5 legitur : « David in Hebron regnavit super Iudam septem annis et sex mensibus; *in Ierusalem* autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Iudam. » Si ita Salomonis fere tempore dicere licuit (iste liber non *multo* post scriptus est, ut longe plurimi fatentur), cur non מֶלֶךְ בִּירוּשָׁלַם? Legitur מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל בְּשֹׁמְרוֹן 2 Reg. 14,23. At negant id dici potuisse regno nondum diviso. Esset haec aliqua difficultas levissima, nisi ratio idonea esset, cur Salomon ita loqueretur; at in hoc rege mirum non est singularem fuisse amorem eius urbis, quam et primus ab initio habuisset sedem imperii et ingenti magnificentia ornasset et templo exstructo Dei etiam fecisset domicilium. Praeterea, si, ut ante explicavi, non solos Hebraeos erat allocuturus nec e Legis praeceptis sua argumenta prompturus, elegantiae fuit in libri inscriptione non dicere « rex Israel » (etsi id nec celare vult et ipsis verbis dicit 1,12).

Occurrunt : non ipsum Salomonem potuisse 12,9 sapientem se vocare, sive quod id magnae arrogantiae sit, sive quod (ut vult *Hengst.*) ipse de se non fuerit ita « *frigide* dicturus ». Hic altera ratio alteri contraria est, neutra flocci aestimanda. Nam et sapientiam de se praedicare licuit ei, cuius *singularis prorsus* sapientia esset omnibus notissima atque ad exteras gentes pervulgata, et si id facit modestius, quam fit 3 Reg. 4,29-31 (hebr. [1] 5,9-11), id liberale est ac laudabile. — Quod in epilogo Salomon *tertia* persona describitur, id indicium manifestum dicunt, alium quendam libri scriptorem hic suam personam assumptam — plerumque enim in ipso libro prima persona loquitur — deponere. At tertia persona ponitur etiam 1,2; 7,27 (28); 12,8 (ante epilog.). Argutiae sunt istae contemnendae, quarum ipsa multitudo ostendere videtur, solida argumenta frustra quaeri.

Manet igitur ac certum est : *primum*, testimoniis antiquitatis « Ecclesiasten » attribui Salomoni idque consensu constantissimo. Nam quod aliquando etiam hoc opposuerunt, eum in bibliis masoreticis a ceteris libris Salomonis seiungi : constat, si forte non apud Iosephum (c. Ap. 1,8), at apud LXX et in Talmude (Baba Bathra 14,2), prae-

terea apud omnes Christianos scriptores (Hier., Melitonem Sardensem, Orig., in conc. Laodiceno, apud Cyrillum Hier., Athan., Epiph., Hil.) « Ecclesiasten » *inter* « Proverbia » et « Canticum » collocari. Est igitur exploratum opinioni veterum canonis quoque ordinem congruere, ut, unde dubitatio petebatur, inde nova exsistat rei comprobatio gravissima. Apud masoretas liturgicas rationes, non temporis valuisse, fatetur Herzfeld Iudaeus (p. 22). Nec haec obiectio renovatur a recentioribus interpretibus. — *Deinde* patet argumentum e dicendi genere petitum valde infirmum esse neque ulla ex parte auctoritatibus comparandum, ceteras autem rationes allatas omnino negligendas esse.

Licet autem ex *ipso libro* petere rationes contrarias. Omitto hic, esse non pauca, quae « Ecclesiastes » cum « Proverbiis » et « Cantico » habeat communia (v. g. cum hoc שֶׁ pro אֲשֶׁר, deinde consuetudinem verba *eadem* sententiasque repetendi, miram audaciam ac difficultatem); illud quoque taceo, mihi quidem videri sermonem ex poetico et oratorio conflatum, circuitus longiores verborum, vim nervosque orationis multo magis Salomoni consentanea, quam scriptori recentiori, audaciam autem ac sublimitatem dicendi stili esse vere *regii*, ut nemo videatur in scriptoribus sacris aptius quam Paulus esse Ecclesiastae conferendus. Sed in huiusmodi rebus difficile esse video alii, quod ipse sentias, persuadere. At maius est, quod ipsius libri testimonium minime dubium habemus, Salomonem esse scriptorem; cf. totam partem primam 1,1-3,15; prorsus congruit auctoris descriptio etiam 12, 9. 10. Quod argumentum his effugiis declinant : Koheleth nescio quem *personam* sumpsisse Salomonis, sive fraude pia, sive simili consuetudine atque est illa historicorum, cum orationes fictas narrationi intexunt. Sed id ut probari videatur, addunt, scriptorem aliquando vel errore vel consilio talia posuisse, quae non convenirent Salomoni et in epilogo alienam personam satis indicasse. Rationes afferunt, quas modo vidimus; quae si quid valerent, aut maximum vitium artis aut ingentem stultitiam scriptoris demonstrarent, qui cum Salomonis umbram induxisset loquentem, postea de persica aetate multa adiungeret. Quamquam ne hoc quidem video, cur mortui potius (cf. quae de 1,12 disserunt), quam vivi Salomonis personam assumpserit; vis enim omnis orationis enervatur, si post mortem demum Salomon rerum mundanarum vanitatem intellexit; immo vero id ne congruit quidem huiusmodi locis 1,14. 17; 2,11. 14... Quodsi vivus dicitur in eam cognitionem adductus esse, cur ut *spectrum* illud 1 Reg. 28, 13 sqq. in scenam prodit praeco vanitatis rerum humanarum?

Sane si Salomon huius libri scriptor est, statui oportet, eum *post erro-*

res saniora consilia amplexum esse. Et quamquam satis esset ad sententiae propositae defensionem, eum non ab idololatria et turpi mulierum amore, sed ab iis vitiis, quae 1,12-2,10 castigantur, ad tempus (ut fit in hominibus) sese ad bonam frugem recepisse, et quamquam nihil aliud requiri in commentario ostendemus (de mulieribus cf. c. 7.), tamen fatemur rectius existimari post *ultimam* morum mutationem librum scriptum esse. An id repugnat? *Sub iudice* adhuc profecto illa lis est, utrum Salomon ab idololatria ad veri Dei cultum redierit, necne. Tacet sane historicus 3 Reg. 11 atque adeo (v. 40) narrat Salomonem insidiatum Ieroboamo, cui Deus ipse (v. 29 sqq.) magnam regni partem attribuisset. Sed non praetermittendum, quod illico additur : « Reliquum verborum (= rerum gestarum) Salomonis... sunt in libro verborum dierum Salomonis ». Non omnia igitur narrat historicus et fortasse ipsa extrema omisit, quae ad « regum » historiam minus pertinebant (cf. 2 Paral. 9,29). Tacet item Ecclesiasticus 47, 14 sqq.; sed fortasse id *unum* spectavit ille, ut de *regno* Davidico diceret, quod Deus misericors (v. 24) ob peccatum Salomonis non delesset. Quae cum ita sint, dubia est illa quaestio ac semper dubia existimata est. Ergo hinc peti obiectio nulla potest.

Sed quoniam ad libri intelligentiam aliquantum interest, in utram partem te vertas, nobis quoque ea de re pauca quaerenda videntur. Censemus autem *maxime* esse probabile, illum aliquando se ab erroribus revocasse atque emendatum hunc librum (unum ex ultimis) scripsisse. Von Essen et Motais Patrum sententias colligentes, *multo pluribus* aiunt visum esse bonum illum exitum habuisse, quam malum. In priore opinione fuerunt : Iren., Greg. Thaum., Hier., Ambros., Hil., Epiph., Cyr. Hier., quos secuti sunt praeter SS. Thom. et Bonav. theologi plurimi. Contra sensisse illi dicunt Cypr., Greg. M., Prosp., Theodoret., quibus multi accesserunt scriptores posteriores, ut Soto maior et Bellarminus. Dubiam dicunt sententiam esse Tertulliani, Augustini, Basilii, Cyr. Alex., Greg. Nyss., Chrysost., Isid., Bern.

Nec sane demonstrat 2,9 : « Sapientia quoque perseveravit mecum » *ante* peccatum scripsisse Salomonem; *separatim* fortasse demonstraret (quamquam Thaum., nec hic solus, suo iure interpretatur : sapientia mihi constitit, cessavit, cf. 4 Reg. 4,6 « stetit oleum »), sed loci recta explicatio convincit, sapientiam intelligi prudentiam humanam (cf. comm.). Nec recte arguunt, mulierum amorem a Salomone fuisse confitendum; nam potuit id verecundia inductus tantummodo generatim velle fateri 2,1-2, aut dicemus id c. 7 extremo fieri satis acriter; multi etiam 2,8 in eam sententiam expli-

cant. Denique sine causa asseritur, enervatum voluptate, deinde frugi factum huiusmodi librum non potuisse componere; nam et gratia Dei praesto erat in tam sancto opere, et ipse sine dubio impellebatur, ut mali exempli pestem publica confessione tolleret.

Sunt autem loci quidam sacrae Scripturae, unde *prudenter* concludas, illum evagatum a virtutis itinere ad sobrietatem redisse. Ut omittam LXX vertisse Prov. 24,32 : ὕστερον ἐγὼ μετενόησα (certe hoc antiquissimae est traditionis testimonium), affero 2 Reg. 7,14 sqq., ubi Deus pollicetur, a Salomone etiamsi « aliquid inique egerit » non ablaturum se misericordiam. Non dico id certum esse argumentum, sed probabilem rationem. Fuerunt qui Prov. 30,2. 3 ita explicandum putarent, ut Salomon resipiscens diceretur illi quoque libro adiunxisse suae insipientiae, i. e. maximorum errorum confessionem. Iudaeos satis communiter existimasse, eum ad Deum conversum redisse, ex S. Hieronymo intelligas licet (ad 1,12 : « Aiunt Hebraei hunc librum Salomonis esse poenitentiam agentis, quod in sapientia divitiisque confisus per mulieres offenderit Deum ») et ex Talmude atque Midrasch Koheleth.

Quae cum ita sint, satis tuta videbitur ista sententia, si prius etiam de uno Scripturae loco, 4 Reg. 23,13 sq. dixerimus. Ubi sic legitur : « Iosias excelsa quoque..., quae aedificaverat Salomon Astaroth idolo Sidoniorum, et Chamos... et Melchom... polluit rex et contrivit statuas et succidit lucos replevitque loca eorum ossibus mortuorum. » At respondere licet : 1) uno versu ante idem Iosias destruit altaria Manassis, qui tamen post poenitentiam in regnum restitutus erat (2 Par. 33,11-13); ergo si ille reliquit altaria, potuit item Salomon, quaecumque eius rei causa fuit; 2) Ezechias rex ante Iosiam « peccatum non commisit » (Eccli. 49,5), at excelsa Salomonis non delevit; itaque idem in Salomone non magnopere est reprehendendum; 3) aliae sunt de ista re quaestiones, quas excutit *Mot.* (« Sal. et l'Eccl. » II, p. 473 sqq.).

Iam igitur licebit « Ecclesiasten », hac subiecta de regis poenitentia opinione, ad *historicam* quoque rationem explicare, id quod suo modo plerique faciunt, nos in commentario idcirco omisimus, quod id ad primariam libri sententiam pertinere non putamus. Sequar autem hoc loco potissimum Motais (l. c. II, 438 sqq.). Ergo Salomon, ubi primum, non sine notabili severitate, regnum a Deo traditum sibi confirmavit, digna rege optimo precatione Deum adiit in Gabaon (3. Reg. 3,4 sqq.) ibique accepto sapientiae dono (v. 12 sqq.; 4,29 sqq. hebr. [1] 5,9 sqq.), templum Domino exstruxit annis septem, idque dedicavit anno ab inito regno undecimo (6,37 sq.). Regiam quoque suam aedificavit tredecim annis (7,1). Atque haec opera grata Deo fuerunt, eis enim per-

fectis Dei praesentia atque alloquio iterum dignatus est (9,1 sqq.). Alia deinde, altera regni sui parte, publica atque utilia opera suscepit (9,17 sqq.). Ne haec quidem ipse Eccl. 2,4 sqq. vituperat. Postremo gloria sapientiae et opum abundantia (cf. 3 Reg. 10) animus eius perverti corrumpique coeptus est, ut tua sponte arbitrere; protenus (c. 11) pergit historicus de amore mulierum et idolorum cultu narrare, ac revera illo c. 10 insignis exquisitaque magnificentia describitur. In 2 Paralip., ubi omnia eodem fere ordine enumerantur, respondet c. 9; etsi de gravioribus eius peccatis nihil ibi attingitur. Sed, ut redeamus ad 3 Reg., peccatum sequitur poenae denuntiatio (11,11); ipsam poenam Deus suscitandis regni Salomonici adversariis (vv. 14. 23. 26) infligere incipit, perficit autem regni parte maxima ad Ieroboam transferenda (v. 29 sq.). Quae res ad Salomonem delata ac sine dubio ad omnes pervulgata est. Iam vero, si quidquam, certe ista rebellio regnique divisio, idonea fuit poena, qua Salomon ad poenitentiam compelleretur. Dixerat autem multo ante Deus 2 Reg. 7,14 sqq., fore ut peccantem Salomonem cum *misericordia* argueret. Licet igitur sperare poenae fructum fuisse poenitentiam.

Videamus nunc, *huiusmodi* poenae ac poenitentiae sintne aliqua in Ecclesiaste indicia. Id necesse erit fateri, nisi *alium ante* contigisse animi morumque mutationem statueris. Nam 1,13-18 vel saltem 2,1-10 scriptor errores satis graves in seipso castigat, qua de re nulla est dubitatio. Sed praeterea mulierum amore (qui quidem ad idololatriam pellexit) se quoque prorsus irretitum significat c. 7 extr., quamquam *cogi* ad id existimandum non videmur. Quid vero, si quam optime congruunt reliqua? Numquam facilius quam in *tali* conditione ac tempore Salomon prorumpere potuit in illas voces: « Vanitas vanitatum et omnia vanitas! » Et illa maestitia, qua tota disputatio quasi imbuta est, consentanea profecto fuit ei, qui post tantam gloriam atque amplitudinem subito concidisset. Senem fuisse scriptorem quivis suspicatur, qui senectutis descriptionem legit, magis autem fortasse, qui universum librum confessionem aliquam esse de *vita perdita* sibi persuadet; ista enim ipsa causa est, opinor, cur explicatis erroribus cogitatio mortis scriptori obrepit 2,15. 16, et odium vitae omniumque actorum suorum vv. 17. 18[a], et dubitatio de herede vv. 18[b]. 19, et desperatio v. 20. Etsi enim isto loco (post v. 11) sensim oratio ad *omnium* hominum communem miseriam transfertur (cf. comm.), tamen et a se orsus est dicere et sibi quoque sine dubio eam meditationem accommodat. Convenit aptissime Salomoni de herede sic loqui ut facit 18[b]. 19; sciebat se duos habiturum heredes Ieroboam et Roboam; fortasse saltem prioris praevidebat stultitiam illam summam idololatriae. Ne-

que enim opus erat Salomonis sapientia ad intelligendum, diviso regno aegre posse constare veri Dei cultum (cf. 3 Reg. 12,26 sqq.); et quoniam ipse Roboam primis annis regni sui ad deorum cultum declinavit (3 Reg. 14,22 sqq.), eum quoque pater fortasse praevidit fore « insipientem », etsi illo loco v. 18[b] voce adhibita אָדָם sententiam istam prudenter velavit. Ib. v. 26 ea, quae sunt de transferendis bonis, acutam habere poterant significationem regni ab ipso Salomone ad Ieroboam translati; illud autem : « qui est bonus in conspectu eius » non obstat, quia tum fortasse ille rectissime dicebatur Deo placere, cum nondum peccasset et divinitus electus esset. Quamquam monere satis non possum, *significationes* has esse obscuriores nec ad principalem sententiam necessario pertinere; quod tanto magis attendi oportet in iis, quae sequuntur a 3,16, ubi scriptor sua persona deposita potius induit communem. Nihilominus, ut dixi, ita fortasse multa enuntiantur, ut simul aliqua ad praesentem rerum conditionem spectantia significentur, eaque seliguntur verba quae ad id idonea sint. Velut temporum enumeratio c. 3, quam nemo non miratur, cum primum legit, potuit significare tristissimum omnium nunc vel adesse vel appropinquare tempus; quae sunt de rege stulto atque adolescente sapiente 4,13 sqq. et de illo sene, cuius bona « alienus » comedat, 6,1 sqq., ea quoque quadrant in ipsum scriptorem, non dico singula verba, sed exemplum generatim. Primam partem 1,12-3,15 patet esse apertam scriptoris confessionem; tectam autem recte dicemus altera parte 3,16-7,29 (Vulg. 30) contineri. Praeterquam enim, quod illis significationibus (include iniustas vexationes et amorem mulierum, de quibus supra dixi) se ipsum *indirecte* reprehendit, animadverti oportet etiam hoc, quam apta ad *reconciliandos* populi animos abalienatos ea modestissima confessio regis, sapientia et gloria eminentissimi, fuerit, quamque etiam ad *Dei* gratiam recuperandam apta eiusmodi sinceri doloris manifestatio. Denique quoniam mea sententia *magna* libri pars eo spectat, ut *reverentia divinae providentiae* commendetur (cf. p. 11), occurrit dubitatio, cur tandem Salomonis aetate necesse fuerit tam praecipue agere de Dei providentia. Nam et si respondere licet, in vita communi hominum nihil videri aut difficilius aut melius, quam mala divinitus immissa patienter ac modeste tolerare, hoc autem esse praeter cetera propositum Ecclesiastae, ut *generatim* vitae bene agendae praecepta tradat doceatque, rebus omnibus huius mundi contemptis, in Dei voluntate acquiescere : tamen ita eminet illa admonitio, ne quid contra maiestatem summi rerum humanarum provisoris vel agatur vel dicatur, ut tua sponte aliam quoque eius rei rationem exquiras. Iam vero poena illa Salomoni propter peccata inflicta et

1915

ipsi et universo populo, ut coniecturam facere licet, longe gravissima accidit nec sane ante ipsum exsilium quidquam Hebraeorum rempublicam durius afflixit, quam regni divisio, quae ad illud viam patefecit. Opportunum fuit igitur demonstrare, quam ineptum esset non « humiliari sub potenti manu Dei » (1 Petr. 5,6), sed de Dei severitate conqueri ac molestius eas calamitates maximas ferre, quae regni divisionem consecutura erant, quam autem vere sapientis esset, ex repentina imperii Salomonici ruina rerum humanarum inanitatem cognoscere. Chaldaeus interpres prophetiam vocat « Ecclesiasten »; sic enim fere orditur : « Verba praesagitionis quam vaticinatus est Concionator Salomon. Qui cum divinationis spiritu praevideret, regnum Roboam, filii sui, cum Ieroboam filio Nabat divisum iri, et imminentem Hierosolymis temploque vastitatem, populumque Israel captivum ductum iri, ait : Vanitas vanitatum mundus iste, vanitas vanitatum id omne, cui ego et David pater operam dedimus, omnia, inquam, vanitas ». Et sane sive proprie *visione* rerum futurarum a Deo est dignatus, sive *indita* sapientia illa omnia prospexit, — id quod non fuit ita difficile, — recte censetur hoc quasi testamento consolatus esse atque confirmasse populum suum, cum proxime immineret imperii dissolutio ac malorum omnium acerbitas. Quis tum Hebraeorum non aliqua diffidentia promissorum divinorum tentaretur, quis non optimis plerumque regibus imperantibus (Eccli. 49,53 « Praeter David et Ezechiam et Iosiam omnes peccatum commiserunt; nam reliquerunt legem Altissimi reges Iuda »), quis tum, inquam, non omne genus iniuriarum atque vexationum vel videret vel pateretur, quis non saepe illis affectibus commoveretur quos Eccl. expressit 3,16-4,3 atque alibi? Quae cum ita sint, sine dubio qui vellet posset ostendere, *nulli tempori magis, quam extremis annis regni Salomonis* hunc librum congruere. Sed plerique alia omnia quam haec exquirunt; ita fit, ut reperire sibi videantur paene omnia Salomonis aetati non esse consentanea. Quamquam, ut dixi, omnino praestare arbitror, antequam ad ipsa verba scriptoris accedamus, omni nos opinione praeiudicata liberare, ut ipsae sententiae pure nudeque enucleentur.

IV. — DE SUBSIDIIS INTERPRETANDI[1].

Ordiri merito a *Vulgata* videmur, qua Ecclesia utitur. Eam omni errore, qui ad fidem ac more pertineat, vacare scimus. Quod est adiu-

1. Cf. *Cornely*, Introd. II 2 p. 201 sqq., et *Aug. Palm*, Die Qohelet-Litteratur (1886).

mento non exiguo in eo libro, qui identidem falsi speciem legentibus obiiciat; securi enim iam v. c. 3,21 interrogative accipimus, cum liceat fortasse hebraicum aliter explicare, nec in iis, quae eodem loco praecedunt vel consequuntur, veremur, ne errore decipiamur. Est autem haec *altera* S. Hieronymi interpretatio, egregium opus, ac priore quae est in eius commentario multo melior; ibi enim pressius secutus erat LXX, minime quidem omnino; sed in Vulgata concinnanda diligentissime hebraicum expressit atque etiam in dictionis elegantia aliquantum studium collocavit, ut nihil ex antiquitate subsidii melioris exstet, ac mirabile sit, quam accurata fuerit notitia linguae, quam perspicax ingenium unius viri, qui tot rebus careret, quibus nos adiuvamur. Tametsi multa, ut identidem fatetur, Hebraeo suo, homini perito, debuit. Nihilominus, ut in opere *humano,* quamvis sine dubio iuvante Divino Spiritu compositum sit, nonnulla probari minus possunt; ipse profecto, qui Iudaeorum non spreverit disciplinam, si viveret, tot nova subsidia explicationis religiose adhiberet. Aliquando more veterum « spiritualem » consectatur intelligentiam, ubi eam loci ratio vel non offerat vel repudiet, v. gr. 1,15 = 7,14; 7,4, ib. 19; 9,1...; alias concinnitatis causa praetermittit, quibus facile careas : 4,2; 5,14... vel verba paullum inflectit, ut magis perspicua sint : 5,5; 7,1. 3. 6. 13; 8,14 sqq... vel addit aliqua idque identidem parum feliciter, ut 4,5 (dicens); 2,21 (alius); 3,14 (idem); 7,12 (utilior *pro* utilis); fit etiam ut consuetudine linguae recentioris Iudaeorum decipi videatur : 3,11 (mundum); 6,5 (distantiam); in locis difficillimis se expedit, *ut potest :* 2,12. 25; 4,14. 17; 5,19; 7,24; 8,2. 13 (sit *pro* erit); 12,11... Plurima sunt, quae verborum, sed rerum nullam habeant differentiam; passim enim politioris orationis studium apparet. Capitum divisionem sero inventum esse scimus; differt autem ab hebraica haec, quae in Vulgata nostra habetur, initio septimi et octavi; utrobique melior est hebraica. Nec Hieronymi esse puto 8,12 verborum collocationem, item 6,9 « *quod* cupias » pro « *quid* cupias ». Semel testatur se aliud in hebraico legere atque LXX (et nos hodie) 8,7 : היה pro יהיה; idem, ut videtur, aliis contigit locis, etsi id probare difficile est, v. g. 3,14, ubi fortasse ad LXX se applicavit. Saepe ex commentario eius cognoscitur, quam non *superstitiose* verbis inhaerescat; multa enim vel ex iis, quae supra posui, vel alia ibi non inveniuntur, sed antiquius habuit sententiam polito sermone reddere, quam verba curiosius exprimere. Ac tamen generatim accuratissime vertit; raro vel in re minima ita declinat ab hebraico, quod nos legimus, ut non possis suspicari, qua ratione declinarit (velut 4,8, ubi omisso גם vera sententia obscuratur). At si velis ex Vulg. hebraicum corrigere,

plurima sint mutanda, quae prorsus ita, ut nos, legisse Hier., ipsius commentarius declarat. Nam etsi ibi *magis* se accommodat ad LXX, tamen nonnumquam vel explicando (ut 8,7, de quo modo) vel etiam vertendo eos deserit (ut 2,12, ubi addit : « Multum enim a Septuaginta interpretibus diversus est sensus »), atque ibi quoque quoad iudicare licet, id praestat, quod in praefatione pollicetur : « Nullius auctoritatem secutus sum, sed de *hebraeo* transferens magis me *Septuaginta* interpretum consuetudini coaptavi in his dumtaxat, quae non multum ab hebraicis discrepabant; interdum *Aquilae* quoque et *Symmachi* et *Theodotionis* recordatus sum, ut nec novitate nimia lectoris studium deterrerem nec rursum contra conscientiam meam *fonte veritatis* omisso opinionum rivulos consectarer. » Iudaeorum quoque et sui potissimum magistri sententiis utitur, ut nihil omiserit, quo verum facilius indagaret. Iam vero in *Vulg.* longius etiam a LXX discessit, etsi v. g. 2,21 eorum auctoritati nimium concessit (alius-homini = ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ); praeterea limanda oratione curavit, ut legi liber sine offensione ac iucunde posset. Dignum profecto exemplum, quod imitemur atque aemulemur.

Ipsi *explanationi* S. Doctoris minor laus debetur; sua enim fuerunt etiam exegesis primordia. Nimis saepe moralem sectatur et mysticam sententiam, non propriam et veram, velut statim 1,6 « spiritum » intelligit non « ventum », sed solis astrorumve spiritum et quasi animam, i. e. vim vigoremque insitum. Nihil tamen evidentius, quam isto loco ventum designari; consulto autem in Vulg. quoque vocem ambiguam « spiritus » selegisse censendus est, ut ipsa illa explicatio verborum ostendit. Porro 1,5 solem prius quidem astrum diurnum esse dicit, sed protenus ad Christum « solem iustitiae » transfert, id quod a loco est maxime alienum. Varia huiusmodi miscet in tertii et duodecimi capitis enarratione (v. infr. comm.). Quae omnia etsi utilia sunt ad pie meditandum, tamen eadem non leve afferunt impedimentum verae verborum sententiae reperiendae et argumentationis universae quasi contextus dispiciendi. Manifestum est autem, conscium sibi saepe ipsum interpretem fuisse, ea utilitatis causa ascita, non e verbis derivata esse. Alio enim *consilio* tum Scripturam explicabant : annectere ad scriptoris verba utilem aliquam amplificationem studebant, ut fieri solere scimus, cum contionatores huiusmodi verbis utuntur. Prodesse *magis* quam docere volebant; itaque ex copiosa Ecclesiae doctrina multa in rem praesentem, levi occasione oblata, transferebant. De reliquo quidquid ille scripsit Doctor sapientissimus, quadam accuratione inter cetera antiquorum eiusdem generis opera excellere solet.

Hieronymum (c. 400, Migne PP. LL. 23,1061 sqq.) latini interpretes sequuntur. In compendia redegisse illius commentarium dicendi sunt, cum nihil afferant novi, *Salonius* (5. saec. M. 53,993 sqq., « descriptus », ut hic ipse ait, ab *Honorio Augustodunense,* M. 172,331 sqq.). *Alcuinus* s. Albinus (c. 800, M. 100,667), *Walafr. Strabo* (illi suppar, M. 113,1115 sqq. « Glossa ordinaria »). Praeterea ex antiquitate exstat *S. Gregorii M.* commentatiuncula de « Eccl. » Dial. IV, 4 (M. 77,321). Interiit *Victorini Petaviensis*, qui fuit s. 4 ineunte, commentarius (Hier. de vir. ill. 74; Victorino *Afro* id opus tribuit *Cassiod.* de inst. div. lit. 5).

Uberrime et eloquentissime *Hugo a S. Vict.* homiliis 19 quattuor capita et dimidium enarravit atque ad mores vitaeque usum accommodavit (12 saec. M. 175,113-256). Item copiose (litteraliter, mystice, moraliter) *Hugo Carensis* O. S. D. (13. saec.) de « Eccl. » disputavit. Scholastice item *S. Bonaventura* O. S. F. (aequalis fere), vir non minore pietate quam acumine, rem exsequitur; in eius opere dividendi subtilitas et perpetuae enarrationis concinnitas cernitur. E posterioribus nominandi videntur *Nicolaus Lyranus* (c. 1325), *Dionysius Carthusiensis* (c. 1470); sed paene instar omnium esse potest Ioann. de *Pineda* S. I. (c. 1620). Atque hic quidem incredibili diligentia omnia undique in volumen plus mille paginarum congessit, et omni subsidio Graecorum, Latinorum, Hebraeorum adiutus, nihil praetermisisse videtur, quod tum praestari posset. Idem tamen versum versui annectere potius, quam universae disputationis continuationem explorare studuit; unde hoc incommodum nascitur, ut plurima probabilia vocans, quae falsa sunt, interdum perturbet magis, quam certo iudicio ducat lectorem. Inter ceteros catholicos, qui inchoata ab Hier. docte persecuti sunt, addere hic placet *Maldonatum* (comm. postumus ed. 1643), Cornelium *a Lapide* (1637), *Bossuet, Calmet...* Ad quos omnes aut complures redire oportet interpretem, ut quae fuerit in Ecclesia de « Ecclesiaste » vel consensio vel dissensio perspectum habeat possitque certa maiorum rectaque vestigia sequi, dubia ac fallacia vitare.

Protestantes in veteris quoque testamenti explicatione communem superiorum aetatum sententiam saepe temeritate potius quam rationum pondere adducti deseruerunt. Neque hic illam solum reprehendo opinionem, quae est de libri scriptore, sed multo magis eas, quae ad doctrinae rationem pertinent, quam rationalistae potissimum deformarunt. Sed iidem interea diligentissime in grammatica incubuerunt, unde fructus postea non contemnendus exstitit.

Nunc ad *Graecos* transeamus. Ille interpres, qui est inter LXX, ge-

neratim scrupulose inhaesit verbis hebraicis, v. g. 5,10 ita reddit : καὶ τί ἀνδρεία τῷ παρ' αὐτῆς ; ὅτι ἀρχὴ τοῦ ὁρᾶν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, id quod intelligere nemo potest, nec aut *Greg. Thaum.* aut *Olymp.* intellexit. Prior explicat : ἀνδρείους ἀπεργάζεται (ἀγαθότης) τοῦ καθορᾶν ἕκαστα τῶν πραγμάτων παρέχουσα τὴν δύναμιν, i. e. « bonitas fortes efficit, res singulas perspiciendi praebens facultatem », quo tota hebraicorum sententia pervertitur. Alter ad *Symm.* confugit, qui recte vertit : Τί γὰρ ἀνδραγάθημα τῷ ἔχοντι αὐτὴν [opulentiam], μὴ εἰ (= εἰ μὴ) μόνον θεωρία ὀφθαλμῶν αὐτοῦ ; « quae fortitudo [utilitas] domino nisi solus oculorum intuitus? » Sed interpres ille superior cum non intellexisset בְּעָלֶיהָ et כִּי אִם prius fecit praepositionem compositam עָלֶיהָ — בְּ (= τῷ παρ' αὐτῆς) et legit אֵם (= mater) idque interpretatur « originem, initium, ἀρχήν » (cf. Ez. 21, 26). *Syllabas* igitur expressit omissa sententia. — Nec facilius intelligentur, quae praecedunt : τίς ἀγάπησεν ἐν πλήθει αὐτῶν vel (ACS^2) αὐτοῦ γέννημα ; (cf. item *Thaum.* et *Olymp.*) At hic coniectura vix assequare, quid legerit interpres ; certe falsum, quoniam negationem addunt *Vulg.*, *Chald.*, *Syr.*, *Ven.* Hic igitur corrupto usus est exemplari. Probabilis suspicio est legisse eum לוֹ pro לֹא, ut aliquando haec duo scimus commutari, scripsisseque αὐτῷ. — Ibidem v. 5 aliud observare licet : vertit מִלְּאַךְ θεοῦ et לִבִּיהּ ἵνα μή, ut facile concludas non nimis fidendum verbis singulis, quamvis *soleat* esse scrupulosus. Atque haec quinque *generatim* dicere licet : 1) non raro talem esse interpretationem, cuius sententia vix eruatur, ut dolendum sit Graecos non esse usos meliore ; 2) pleraque verti ad syllabam ac litteram, ut saltem elegantia careat oratio ; 3) non satis integram scriptionem verborum hebraicorum praesto fuisse interpreti ; 4) fieri *satis* frequenter, ut non syllabas reddat, sed liberius agat ; 5) de prima ac vera verborum scriptione LXX adhuc parum constare, etsi *Tischendorf et Nestle* in meliore editione egregie elaborarunt. Ergo haec vetustissima interpretatio ac prima tamen ad hebraica corrigenda, maxime *ut nunc est in manibus,* scriptione satis *incerta,* idonea non est, quamvis accurate *plerumque* ille exprimat. Sed quod imperfectior est, id quidem sane habet excusationem.

Haec pluribus exemplis iuvat illustrare. Prius idem c. 5 percurro. v. 1 עַל contra graecam consuetudinem interpres reddit ἐπί, sed addit ἄνω (in coelo *sursum*), quod nemo habet veterum, nisi forte id ex Chaldaei paraphrasi eruere licet. In A S et apud Ar. deest ἄνω, sed *Greg. Nyss.* id habet et in altera parte etiam κάτω (quod oportuerat sane addi concinnitatis causa, nisi abesset ἄνω). In dubio res relinquenda. — V. 2 legitur πειρασμοῦ (*Nyss.* πειρασμῶν). Sed hoc *vitium* est vetus ; nam et ce-

teris locis septem constanter περισπασμόν vertit, et *Thaum.* atque *Hier.* in comm. idem exprimunt (φροντίδα, sollicitudinem); *Chald.*, *Syr.*, *Ven.* consentiunt Vulgatae. — V. 3b addit οὖν (etiam *Nyss.*), nisi forte וְ legit idque sic vertit. — Versus 6 ad syllabas expressus non intelligitur : ὅτι ἐν πλήθει ἐνυπνίων καὶ ματαιοτήτων καὶ λόγων πολλῶν, ὅτι σὺ τὸν θεὸν φοβοῦ. — V. 11 : τῷ ἐμπλησθέντι τοῦ πλουτῆσαι... (it. *Olymp.*) nec graece satis perspicuum est nec hebraico respondet. — V. 12 בְּעָלָיו transfert τῷ παρ' αὐτοῦ. — V. 13 ἀπολεῖται (fut.) non respondet אָבַד. — V. 14 retenta hebraica collocatione verborum non graece dicit pro οὐκ.. οὐδέν id, quod contrarium est : οὐδὲν οὔ (duo codices et *Olymp.* recte omittunt οὔ). — V. 15 exspectaveris αὐτῷ pro αὐτοῦ (לוֹ), idque est in B (*Nestle*). — V. 16 legit וְאֵבֶל pro יֹאכֵל, sed nemo e veteribus assentitur, ut vix dubites, quin ille erraverit. Ib. in חָלְיוֹ suff. non exprimit; atque hic, etsi idem faciunt antiqui omnes, aegre tamen tibi persuadeas suffixum ad explicandum perdifficile casu irrepsisse in scripturam hebraicam. — V. 17 legitur εἶδον pro ὃ εἶδον etiam apud *Nyss.*, etsi tres codd. exhibent ὁ ιδον vel ὁ ειδον (ACS[1]).

Satis fere multa haec sunt in uno capite temere selecto, unde appareat, non multum differentiis illius interpretationis fidendum esse, propterea quod omnia accuratissime reddat; hoc enim etsi recte dicitur *generatim*, tamen in re dubia parvi aestimandum, propterea quod saepissime differt ob rationes maxime varias. Similia omnino reperias per librum universum. Pauca insigniora addo :

7,8 legisse videtur מָתְנָיו (= femur eius)[1] et similia habent *Vulg.*, *Syr.*; sed ut nunc legitur in hebr., iam *Chald.* et *Symm.*, estque hoc, opinor, tanto melius, ut verum esse facile existimes. — Antiquam varietatem vide 8,10 יִשְׁתַּבְּחוּ, vel יְשֻׁבְּחוּ; consentiunt Vulg., Aq., Symm., Theod., codd. hebr. circ. viginti; sed hebraicam communem habent *Chald.*, *Syr.*, *Ven.*, nec est facile hanc improbare. — Corrupti videntur in c. 2 vv. 21 et 22; pro לְאָדָם שׁ' vertitur ἄνθρωπος ᾧ, quod explicari non potest; et ὅτι ante μόχθος pro οὗ aut corruptum est aut inepte translatum; in versu proximo τί post ὅτι intercidit, ut rursum sententia nulla appareat. Haec *Hier.* in comm. correxit, nisi LXX aliter legit; sed *Thaum.*, *Nyss.*, *Olymp.* illa corrupta acceperunt, *Nyss.* et fortasse *Thaum.* ἀνθρ. ὅς legerunt (est in S[2]), id quod nihilo melius est. — 2,15 et sententia perversa est et huius explicandae causa novum incisum interpolatum : διότι ὁ ἄφρων ἐκ περισσεύματος λαλεῖ, quod nusquam (nisi apud *Ar.*) exstat. Haec verba in margine ascripta fuisse, illud quoque demonstrat, quod modo ante, modo post καί γε τοῦτο ματ. collocata inveniuntur. — Inutiliter etiam 11,9 inculcata sunt verba ἄμωμος καὶ μή, eodem consilio, ne quid falsi dici videretur. Sed ea *Thaum.* nondum legit, *Nyss.* μή non habet (item ACS[2]), nec utriusque mentionem facit *Hier.*, qui tamen illa superiora in commentarium (non in Vulg.) transtulit. — 2,3 iam *Hier.* dicit legi in quibusdam codd. LXX pro εὐφρ. ἀφροσύνην. quod parum aptum est, exstat autem etiam apud *Thaum.*, *Nyss.*, *Olymp.* — Ib. כְּיַיִן LXX vitiose legerunt pro בְּיַיִן, vertunt enim ὡς οἶνον; contra 4,17 בַּאֲשֶׁר pro כַּ', ib. mire מִתֵּת הַכּ' זֶב' vertunt. Similiter legerunt בַּצֵּל et בַּאֲשֶׁר 8,13. 16; in altero laborasse videntur omnes interpretes praeter *Chald.*, nec facile dubites quin recte apud hunc et in hebr. sit כַּאֲשֶׁר. — 9,10 legerunt כְּכֹחֲךָ pro בְּ', ubi aperte discrepant *Chald.* et *Syr.* — 8,2 difficile illud

---

1. Non recte editur εὐγενείας (ex ABS[2]) pro εὐτονίας (= roboris), cf. comm.

אבי omittitur, quod tamen *Hier.* in hebr. legit, item *Ven.* Id sane omittunt etiam *Chald.*, *Syr.*, sed, ut facile tibi persuadeas, eadem coacti necessitate.

Atque haec nunc sufficiant, ut probetur non ita *multum* fidendum esse iis, quae apud LXX legantur. Quidam, ubi primum aliquid vel facilius vel aptius deprehenderunt apud LXX, quasi pro certo sumunt, id esse amplectendum, obliti, quam saepe illi *inepte* discrepent. In hoc quidem libro, accuratissime ac religiosissime translato, tamen dubium nemini omnia circumspicienti esse potest, quin generatim multo tutius amplectamur ac tueamur, quae sunt in hebr., ad quae ipsa diiudicanda etiam criticum instrumentum satis copiosum praesto est apud *de Rossi* (Var. lectt.).

Inter Graecos enarraverunt « Eccl. », ut traditum est, *SS. Hippolytus* et *Athanasius* (Hier., de vir. ill. 61; Phot., Bibl. 139). *Origenis* (250) hexaplorum reliquias v. in ed. Field (Oxon. 1875), scholia et homiliae interierunt. Pauca habemus *S. Dionysii Alex.* ad 1,1-3,11 (3. saec. M. PP. GG. 10,1577 sqq.). Exstat porro *S. Gregorii Thaum.* « metaphrasis » (+ 265, M. 10,987 sqq.), qua partim sententiae, partim ipsa verba LXX redduntur, ut sequi versuum ordinem plerumque facile possis. Hoc ille habet proprium, ut quaecumque speciem habeant falsi, ea ex insipientium sententia dicta velit [1], deinde ut illam « affliotionem spiritus » ad diabolum soleat referre; sed idem plerumque ipsam verborum sententiam presse sequitur. Post eum *Diodorus Tarsensis* (c. 380, cf. Theod. hist. eccl. 4,23) « Eccl. » explicavit. Porro *S. Greg. Nyss.* homiliis 8 libri initium usque ad 3,13 copiose et oratorie explanavit, quod opus ad legendum perutile ac fructuosum est (c. 400, M. 44,615 sqq.). *Acacium Caesariensem* eodem fere tempore 17 de « Eccl. » libros vulgasse testis est S. Hier. (de vir. ill. 98). *Theodorus Mopsuestiensis* (c. 430) in suo commentaria propheticum negavit spiritum Ecclesiastae atque ob id in V Conc. oecum. damnatus est (cf. *Palm*). *Olympiodori,* diaconi Alex., commentarius exstat valde commodus ac nitidus, etsi solent addi nonnulla mystica (saec. 7 ineunte, ut videtur, M. 93,477 sqq.). *Photius* quoque in « Amphilochiis » aliqua explicat ex « Eccl. » Atque haec hactenus. « Catenam » e graecis interpretibus confecit *Oecumenius* (Veronae 1532). Non multo ante facta est interpretatio *graeca Veneta,* perbona et hebraico presse conformata (quam edidit Osc. Gebhardt, Lips. 1875).

1. Eadem explicandi ratione postea usi sunt multi, v. g. etiam SS. *Greg.* M. et *Bonav.* sed vide etiam *Cornely* Introd. II. 2 p. 158. 177, qui recte negat variari in hoc libro personas loquentium.

Ex Iudaeis primo loco nominandus est *chaldaeus* metaphrastes, qui etsi plurimas admiscet fabulas atque inania commenta, tamen perutilis est interpreti ad id intelligendum maxime, quid tum fuerit in hebr.; est enim testis antiquus. *Midrasch Koh.,* c. 500 compositus, parum utilitatis affert. Enarrarunt « Koheleth » praeterea *Hananus Abadjenus* (c. 570; nihil fere superest, v. *Palm*), *Raschbam* (= Sal. ben Meir c. 1090), *Iarchi* (c. 1100), *Aben Ezra* (c. 1150), David de Pomis (16. saec.)...

Restat ut eos scriptores enumerem, qui nostra aetate (i. e. his annis 40) de « Eccl. » scripserunt atque imprimis sunt consulendi. *Catholici* sunt: *L. van Essen,* Der Prediger Salomos (1856); *F. I. Reusch,* Ueber den Verfasser des Koh. (Tuebinger Quartalschr. 1860); *Gilly,* L'Ecclés. de Salomon (1863); *Bern. Schaefer* (supr. p. 21); *Vegni,* L'Eccl. secondo il testo ebraico (1871); *A. Motais* (supr. p. 21); *Rambouillet,* L'Ecclésiaste (1879); *G. Bickell* (supr. p. 21); *Cornely,* Introd. II 2 p. 155 sqq.

E *protestantibus*, qui in doctrina quidem Ecclesiastae explicanda saepe falluntur, sed ad verborum interpretationem subsidia non contemnenda attulerunt, hi videntur esse optimi : *E. Elster,* Comm. ueber den Prediger Salomo (1855); *E. W. Hengstenberg,* Der Prediger Salomos ausgelegt (1859); *H. A. Hahn.,* Comm. ueber das Predigerbuch (1860); *O. Zoeckler,* Das Hohelied und der Prediger Salomonis (1868); *Fr. Delitsch,* Hoheslied und Koheleth (1875); *Ch. H. H. Wright,* Ecclesiastes in relation to modern criticism and pessimism (1883).

Alios non paucos, ubi occasio oblata erit, nominabo, recentiores potissimum, eos etiam, quos sequendos esse minime censeo, v. g. *Graetz* Iudaeum (1871) et *Renan* (1882); sed fit ut ex iis aliquid utiliter vel mutuemur vel commemoremus. Omninoque ut quisque veri quidpiam attulerit aut secus, sic eum vel laudatum volo vel reprehensum, in grammaticis rebus potissimum; nam in doctrina studiosius cavendum erit ab iis, quos multis opinionibus errare constiterit.

PROOEMIUM 1, 1-11.

Arg. — *Omnia humana vana atque fluxa sunt, at mundi cursus idem perseverat.* Salomon, qui ipso novo nomine assumpto se graviter dicturum pollicetur, inanitatem laborum humanorum deplorat (1,1-3). Celerem interitum hominum cum quadam perpetuitate ceterarum rerum conferens illos magis caducos esse (quodam modo) reperit (1,4-7). Immo eos ne ad intelligendum quidem cursum constantem rerum omnium valere dicit, sed tamquam nova mirari, quae sint veterrima (1,8-11). *Tragice exaggeratur vitae nostrae miseria et opponitur legum mundanarum admirabilitas.*

a) Libri inscriptio 1,1.

« *Verba Ecclesiastae, filii David, regis Ierusalem* ». « Verba » licet interpretari sententias, acute graviterque dicta, *effata*. Nam illa appellatione omne genus vel perpetuae vel intercisae orationis designatur, velut Moysis praeceptiones et decem Dei mandata et Ieremiae vaticinia (Deut. 1,1; Ex. 34,28; Ier. 1,1); ea est autem huius libri ratio, ut sententiose dicta acriterque enuntiata proponantur. Nomen autem « Ecclesiastae » quid sibi velit, perdifficile est dicere, praesertim si hebr. קֹהֶלֶת (femin.) attenderis. Est graeca vox ἐκκλησία multitudinis conventus vel in civili vel in sacra causa congregatus (LXX 1 Par. 29,1. 20; Act. Apost. 7,38; 19,32); ἐκκλησιάζειν apud LXX sonat *vocare coetum* (Lev. 8,3. 4), apud profanos autem scriptores etiam *interesse contioni* vel in ea *deliberare et agere*. Itaque ἐκκλησιαστής significat eum, qui ad audiendum agendumve in contionem venit vel qui eam convocavit. Hoc alterum sequitur *S. Greg. Nyss.;* comparans enim Salomonem cum Christo Domino sic ait (hom. 1) : Ὁ ἀληθινὸς Ἐκκλησιαστὴς ὁ τὰ ἐσκορπισμένα συναγωγῶν εἰς ἓν πλήρωμα καὶ τοὺς πολλαχῇ κατὰ τὰς ποικίλας ἀπάτας πεπλανημένους εἰς ἕνα σύλλογον ἐκκλησιάζων τίς ἂν ἄλλος εἴη εἰ μὴ ὁ ἀληθινὸς βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ; Item *Olymp.* ab initio comm. : Ἐκκλησιαστὴν ἑαυτὸν ἐκάλεσεν ὁ Σολομὼν ὡς πάντας ἀνθρώπους ἐκκλησιάζων καὶ δεσμεύων εἰς ὁμόνοιαν. Ipse

S. Hier. ab *hac* vocabuli notione proficiscens addit alteram *in publico dicendi :* « Ecclesiastes », inquit in principio comm., « graeco sermone appellatur, qui coetum i. e. ecclesiam congreget, quem nos nuncupare possumus contionatorem, quod loquatur ad populum et sermo eius non specialiter ad unum, sed ad universos generaliter dirigatur ». Ad rem hoc quidem de *oratore* contionante optime; nam congregatio multorum in coetum *religiosum* atque *concordem* ut Christo D. rectissime tribuitur, ita de Salomone praedicari vix ulla ratione probabili potest. Ergo in altera vocis significatione sistat explicatio oportet, ut Ecclesiastes a contionali aliqua actione appelletur, quam intelligi oportet (quasi) *oratoriam* scriptoris dictionem. Et sane apud Platonem is qui interest contioni, ἐκκλησιαστὴς vocatur; huius autem est deliberare et iudicare et aliquando *dicere,* atque *Greg. Nyss.* sua sponte incidit (hom. 3) in hanc Ecclesiastae appellationem : ἐκκλησιαστικὴ φωνή, cf. *Ps.-Athan.* Synopsin : Ἐκλήθη Ἐκκλησιαστὴς ὅτι αὐτὸς ἐξεκλησίαζε (i. e. coetum congregavit) καὶ ἐλάλει τὰ τοῦ πνεύματος (i. e. divina contionatus est). De qua tamen interpretatione *Greg.* et *Olymp.,* cum ipsum nomen explicarent, ne cogitasse quidem videntur; nec est illa nisi derivata, neque umquam fortasse notio oratoris directe et aperte in illo vocabulo continetur (Arist. rhet. 1,1 falso affertur in lex.), nec sane proprie *oratio* in hoc libro proponitur. Nusquam enim certam quandam multitudinem appellari videmus, et ipse scriptor primo initio atque identidem de se tamquam de tertia persona loquitur, id quod ab oratore alienum est. Nihilominus aliquam probabilitatem in ea sententia esse, quae Contionatorem *proprie* interpretetur, concedimus; cui suffragantur et veteres Latini post Hier. et Midrasch et recentiores interpretes plerique (etsi hebr. vocabulum novam afferebat dubitandi rationem). *Delitzschii*, qui item a congregandi ad dicendi notionem transit, argumenta iuvat afferre. « Prima quidem », inquit ille, « *congregatoris* appellatio non idonee significat eum regem,qui in hoc libro loquitur. Sed incidit in Salomonis regnum longe gravissimum illud אֵד יִקָּהֵל 1 Rg. 8,1 et 2 Chron. 5,2, congregatio, inquam, populi ad dedicandum die festo praestituto templum novum. Praeter quem locum sane nihil in rebus litterisque Hebraeorum et scriptoribus Veteris Testamenti invenias, quod illud nomen Salomonis spectare videatur. Etsi enim in Proverbiis illud בִּקְהַל 5,14 et 26,26 « coram populo, in publico » interpretandum est, tamen hoc ipsum de publica *Sapientiae* institutione non usurpatur; alia enim, licet similia, de ista vocabula ponuntur 1,20 sq.; 8,1-4; 9,3. At in illa magna dedicatione Salomon non modo *convoca-*

vit populum, sed *contionatus* est, indirecte quidem, cum Deo supplicans templum consecraret, directe autem, cum populo benedicens suaderet, ut fidem Deo servaret 1 (3) Reg. 8,55-61. Quo tempore non modo congregatoris, sed oratoris etiam partes egit; atque ita si doctorem popularem (cf. 12,9) intellexeris, erit istud nomen valde proprium eius regis, quem sapientia et proverbiorum popularium frequentatio fecerunt celebratissimum. » Occurri tamen sic potest : *nulla* in hoc libro indicia esse eiusmodi congregationis, sollemnitatis, admonitionis publicae; deinde in epilogo poni « fili mi », ut in Proverbiis solet, nec « filii mei », ut est in Ps. 33 (34), 12 : « Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. » Nihil porro est quod *proprie ad Iudaeos* spectet, immo nec « gentilium » appellatio invenitur nec « Iahve » nomen, cum tamen « Elohim » triginta septem locis sit usurpatum; denique quis putet oratorem aut doctorem publicum identidem dicturum fuisse : « Dixit Koheleth »? Ergo si velis contionatorem intelligere, eius vocis significatio sine dubio sic est *extenuanda*, ut eum significet, qui *quodammodo magna voce et coram omnibus* sententiam de rerum terrestrium inanitate dicat. Quamobrem ipse Hier. maluit graecam vocem (LXX) quam latinam et in comm. et in Vulg. usurpare. Antiquitus *Aq.*, deinde *Syr.* interpres veriti sunt omnino hebr. vocabulum vertere, *Symm.* ad 12,10 παροιμιαστήν posuisse fertur (sed cf. Field, Orig. Hex.). Fateri igitur oportet parum perspicuum esse, quid proprie sibi velit illa appellatio, si a sola veterum auctoritate proficiscamur.

Sed obscurior est, ut significavi, vox ipsa hebr. eiusque varia interpretatio; incerta enim et vis verbi קָהַל et formae femininae explicatio. Ac verbum quidem ipsum prima coniugatione (qal) nusquam apud scriptores sacros usurpatur, eius tamen participium fem. est קֹהֶלֶת. Passiva et causativa coniugatione (niph. et hiph.) de colligendo coetu hominum ponitur. Iam hanc congregandi notionem multi transferunt ad qal, ut קֹהֶלֶת « congregatricem » sonet. Recte autem existimari licet, si eadem significatio fuisset, scriptorem sibi nomen מְקֻהָלָה impositurum fuisse; cur enim sine causa inusitate loqueretur? Atque etiam verisimilius est, quod alii statuunt (*Ges., Del., Zoeckl., Hahn...*) : vim primam verbi eam esse, ut sonet *clamare, vocare*. Ab hac quoque facilis est transitus ad *convocandi* notionem, nisi quod scriptores de convocando populo constanter utuntur hiphil (passive niph.). Quodsi retineas « clamandi » significationem, iam forma participii valet « clamatricem », et ratio cernitur, cur non hiph., sed qal sit usurpatum; aliud enim valebat hiph., et potuit esse ratio, quare scriptor non קֹרֵא, sed קֹהֶל, quamvis inusitate, dicere mallet : ut vocem in

contione clamantem designaret. Probabile est igitur *hanc* esse nominis vim atque notionem. Quam quidem apte possis ad eum contionatorem accommodare, qui *praeconis* instar *voce maxima atque gravissima* utatur. Quid enim inter oratorem differt, quem proprie dicimus, et eum quem praecoui comparare liceat? Praeconis est non tam alloqui praesentem coronam et tractare cum populo, quae proprie oratoris vel contionatoris sunt, sed statis temporibus locisque edicere aliquid ac promulgare; *suum* potius officium implet, quam auditorum causam agit, nec in eo valde attenditur, utrum ceteri libentes audiant an inviti, multine adsint an pauci. Quae in oratore vel contionatore plerumque aliter se habent. Attamen *aliquando* fit, ut inclamet potius reluctantes, quam persuadendi causa dicat, et testimonium palam det veritati sibi potius consulens quam audientibus. Tum enim quasi praeconium facit, cum « instat opportune, importune » (2 Tim. 4,2), quia ipsi « praedicandi incumbit necessitas » (1 Cor. 9,16). In hunc modum « Sapientia in plateis dat vocem suam, in capite turbarum *clamitat* » ad eos qui « renuunt nec aspiciunt » et ipsa « risuram se in eorum interitu » minatur (Prov. 1,20 sqq.). Huc illud quoque spectat Christi Domini : « Adimpletur in eis prophetia Isaiae dicentis : Auditu audietis et non intelligetis... incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt » (Matth. 13,14 sq.). Praeconem agebat *alia* ratione ille, qui de se dicebat : « Ego vox clamantis in deserto » (Io. 1,23), propterea quod non tam *agebat* cum astantibus, quam palam edicebat ac denuntiabat rem gravissimam. Item ergo Ecclesiastes, qui *exclamans* lamentatur rerum omnium vanitatem quasi praeconio fungitur, cum volentibus nolentibus denuntiat atque inculcat rem longe gravissimam. Rursus igitur concludere licet, « contionatoris » appellationem videri esse paululum inflectendam. Declarat autem ipsius verbi קֹהֶלֶת *usurpatio*, minime negligendam esse clamandi s. exclamandi notionem. Emphasis enim quaedam iis locis, quibus id nomen positum est, manifesto sentitur, evidentius quidem 1,2; 7,28 (hebr. 27); 12,8; sed etiam 1,1. 12 et 12,9, tum quia appellatio huiusmodi non sine consilio profecto gravique ratione assumpta totiesque repetita est, tum quia, si exclamandi notionem subieceris, fit mirum in modum argumento libri consentanea. Atque hoc quodammodo pro firma demonstratione habeo, vocem קֹהֶלֶת aliquo modo ad declamatoriam contentionem vocis referendam esse.

Restat ut de feminina terminatione dicamus, cuius rationem reddere *certam* nemo fortasse potest. Quae esset enim femina persona, cuius se partes agere scriptor diceret, praeter *Sapientiam?* Sed hanc intelligi vetat 1,12 : « Ego, Koheleth, rex Israel fui Hierosolymis », ac porro ea quae de studiis, operibus, erroribus humanis toto libro afferuntur; Sapientia enim nec regis munere fungitur nec « *cum* sapientia » inquirit (1,13) nec bonis mundanis fruitur (2,1) nec pecora aut armenta comparat (2,7) nec denique multis experimentis, quid verum sit, investigat, cum ipsius sit verum omnes docere. — Itaque aliam excogitarunt. Nonnulli enim Koheleth « conventum, consessum, *academiam* philosophorum » esse voluerunt; sed quae erit sen-

tentia huiusmodi locorum : « Ego, Koheleth, rex Israel fui Hierosolymis » vel : « Possedi servos et ancillas... »? Nec ullum vestigium est in ipso libro philosophorum disceptantium atque concertantium, nisi forte 8,1 (Vulg. 7,30), ubi « quaestionis » rogatur solutio. — Quodsi notionem, per se communem s. abstractam, ad ipsum scriptorem retuleris ac feminino *munus* aliquod proprium personae designari volueris, duae erunt explicationes. Aut enim is, qui *proverbia* collegerit, aut is, qui *multitudinem* congreget vel apud populum dicas, intelligetur. Prius autem ipsa vi vocabuli refutatur, quia קָהַל nusquam nisi de coetu *hominum* cogendo usurpatur, nec apte dici potest hic liber collectaneas sententias, h. e. undique congestas vel de diversis rebus enuntiatas continere; *una* enim disputatione de fluxarum rerum vanitate totus absolvitur. Sed ne alterum quidem demonstrari satis potest consuetudini Hebraeorum *communi* congruere. Arabica sane lingua non raro feminina sic de viris usurpantur, ut vel proprietatem eorum insignem vel officium ac dignitatem exprimere videantur; exempla sunt « chalîfatun » *successor*, « râvijatun » *narrator*, « bâqiratun » *investigator*. Quae ita optime explicaveris, si feminina pro neutris (vel abstractis) adhibita esse dixeris; nam haec, omissa singularis personae notatione, gravius enuntiant aliquam alicuius proprietatem. Similia sunt in omnibus linguis. Velut latine licet hominem scelestum gravius appellare *scelus* ac Terentius ausus est etiam « *is scelus* » masculine dicere, quemadmodum קֹהֶלֶת item masculine (uno loco 7,27 excepto) positum videmus. In hunc modum etiam hebraicum nomen proprium הַסֹּפֶרֶת (Esdr. 2,55) scribam eximium, qui quasi ipsa scriptura vocari possit, et פֹּכֶרֶת (ib. v. 57) venatorem significat, ut Seneca (ben. 1,12, 13) « venationem » canes venaticos appellavit. Attamen quia huiusmodi exempla in libris sacris pauca sunt (afferuntur practerea מֹלֶכֶת 1 Par. 7,18 et צֹבֵבָה ib. 4,8 et aliquot, quae participia vel « nomina agentium » dici non possunt), requirebatur certe ad fingendam usurpandamque vocem « Koheleth » ea, qua dictum est sententia, *ratio admodum gravis*. Iam vero non est, cur Salomon modo prorsus eximio appelletur « congregator contionis » et quasi ipsa congregatio, nec « orator » vel « praeco », quasi ipsa eloquentia et praeconium; satis profecto erat simpliciter ac sine tropo vocari vel ecclesiasten, i. e. convocatorem populi, vel contionatorem vel praeconem. Quae cum ita sint, ii, qui formam femininam קֹהֶלֶת illo modo explicarunt, non videntur rationem idoneam reddidisse *inusitatae* locutionis.

Fortasse non communis, sed singularis aliqua notio intelligenda est, licetque suspicari קֹהֶלֶת (cf. p. 60 ima) idem valere atque קוֹל (vocem). Prudenter etiam dixeris haec duo verba ipsa origine cognata esse tum inter se tum radicibus illis indogermanicis, quae sunt in lat. *calare* (convocare) et gr. καλεῖν, ἐκκλησία. Finxit igitur, ut ego mihi persuadeo, Salomon a verbo קהל subst. fem., quod *vocem clamantem* designaret, haberetque et ab origine priscam quandam gravitatem (qualem saepe quaerunt poetae) et ad propriam libri dictionem pulcherrimam significationem. Non igitur veram contionem fingere animo debemus, in qua huiusmodi « vox » audiatur, ut LXX existimarunt, cum verterent « congregatorem », nec « oratorem contionis », ad quam significationem Hier. vocabulum deflexit (etsi id ipse minus aperte enuntiavit, quam posteri; cf. eius verba p. 59); sed sane et verbum קָהַל aliquo modo ad contionem pertinere, et certe dicendi genus huius libri oratorium esse recte dicemus. Sic ergo Salomon lectores i. e. homines universos alloquitur, ut quasi *clamando* eis denuntiet rerum humanarum inanitatem. S. Ioannem Bapt. scimus ob similem

rationem se ipsum appellasse « vocem clamantem », eaque appellatione multo ante Isaias propheta usus est (40,3; cf. ib. vv. 6 et 9).

Femininum revera esse vocabulum קֹהֶלֶת, demonstrat et ipsa terminatio et 7,27, etsi ceteris locis (quia ad virum nominandum nomen transfertur) verbum masculina forma adiungitur. Quod autem LXX ἐκκλησιαστήν, non ἐκκλησιάστριαν vel ἐκκλησιάζουσαν (quae formae sunt in gr. Ven. 1,1. 2; 7,27; 12,8. 9) interpretati sunt, mirum non est; nam metaphoras minus usitatas vitare solent, cf. Ps. 17,3. Iam vero si vox illa feminine accipienda est, nihil relinquitur, nisi ut aut munus perpetuum contionandi designet, aut (retenta « vocandi s. clamandi » notione) vocem clamantem, aut instrumentum aliquod convocandae contionis, velut tubam praeconis. In primo illo quae sint dubitationes, etiam neglecto 7,27, quem locum fere omnes mutant, ex iis intelligitur, quae paullo ante diximus. Ultimam autem explicationem, ut scriptor se Tubam poetice vocaverit, difficile erit multis persuadere. Ergo mediam tenebimus, atque interpretabimur « proclamatricem s. vocem publicam » eiusque appellationis rationem ab affectus vehementia, qua scriptor vitae mortalis miseriam lamentatur, repetemus.

Adiungo aliquot explicationes minime probandas. *Pin.* hanc feminini reddit rationem. « Dicitur Koheleth, i. e. contionatrix, Salomon, quod *tenero et materno affectu* nos omnes instruere velit ad contemptum rerum humanarum. » Cum enim fluctuet aliquando generis notatio in lingua hebraica, ut feminina forma masculinis adiungatur ac vicissim, ille arbitratur, id eo consilio fieri, ut vel in femininis « virile » quiddam, vel in masculinis « molle » significetur. Quod quidem nec generatim demonstrari, nec in singulis locis nisi ratione aliqua manifesta persuaderi potest. Sed in hoc libro quid tandem teneritatis apparet, qua scriptor *insigniter* notetur ac distinguatur? *Zirk.* quoque amabilem quandam lenitatem, *Lorin.* dictionis elegantiam significari putavit; sed si verum quaerimus, oratio Koheleth severa atque aspera fortasse potius et increpatori aptior quam consolatori dici debet. Neque illud recte affirmaveris, *querelas* quodammodo *femineas* effundi; nam etsi queritur Ecclesiastes, tamen ita queritur, ut virum fortem decet, qui nec frangatur luctu nec, quid habeat vita boni, non videat. Itaque haec omnia longe quaesita sunt atque arcessita; ex proprietate autem ipsius libri maxime insigni derivanda explicatio est; quae quidem in illa *toties repetita asseveratione ac proclamatione doctrinae gravissimae* versatur. Quodsi additam velis etiam notionem maestae lamentationis, haec eodem pertinet, ut scriptor eo gravius et sibi inclamet et aliis inculcet doctrinam propositam, quo eam et a se perniciosius neglectam et a maiore hominum parte negligi solere intellexit.

Pro neutro positum esse femininum et *umbram* significari Salomonis, a poeta quodammodo excitatam, opinatus est *Augusti*, eiusque rei manifesta in ipso libro indicia esse dixit. Ad hunc *Del.*, ut probabiliorem afferret femininae formae rationem, proxime accessit; « non ipse Salomon vivus est », inquit, « qui in hoc libro loquitur, sed umbra ac spiritus eius, cui quidem neutralis appellatio קֹהֶלֶת congruit ». Quae essent in ipso libro indicia, supra vidimus (p. 39 sqq.). — Alii, ut *Iahn*, quasi desperantes, ת finale paragogicum, quod « auxeseos » vocant, esse volunt, cuius rei in arabica lingua fortasse exempla sunt.

Quanta in explicando feminino omninoque nomine Koheleth inter recentiores dissensio sit, vide apud *Knob.* et *Ginsb.* (comm.). Nam, ut genera ipsa indicem,

a) *collectorem proverbiorum* explicarunt post *Grot.* : *Herd.*, *Iahn*, *Heinem.*, alii;

b) *contionatorem* post *S. Hier.* et Latinos veteres : *Knob.*, *Eichh.*, *Augusti*, *de Wette*, *Gesen.*, *Umbr.*, *Del.*, *Hahn*, *Wright*, atque est haec opinio communissima;

c) *consessum vel academiam Doederl., Kais., Nachtig., Bauer...*;

d) *poenitentem Cocc., Schultens, Schroed.*; alii non multum discrepantes :

e) *infirmum ac senem*, ut *Simonis*, *Dind.*, *Schmidt*; horum utrique rem ex arabica lingua sola demonstrant;

f) *sapientiam ipsam* quasi e Salomonis persona loquentem : *Koest.*, *Ew.*, *Hitz.*, *Hengst.*, similiter *Fuerst-Ryssel* (lex.) et *Cast.*;

g) *vocem contionantis Hoelem.* (« Bibelstudien über Qohelet »), qui comparat « vocem clamantis in deserto » (Io. 1,23); eadem ferme nostra sententia est;

h) *cognomen fortasse ioci causa affictum Gr.*; praeterea alii

i) vel his similia vel ex pluribus sententiis conflata proposuerunt.

In forma feminina explicanda non magnopere laborandum iis est, qui sub c, f, g enumerantur; ceteri femininum pro masculino usurpatum censent. Qui officium vel proprietatem constantem intelligendam esse dicunt, non fere demonstrant, *rationem* probabilem fuisse, cur huius libri scriptori potissimum tribueretur collectoris aut contionatoris aut simile cognomen, et cur id feminine potissimum enuntiaretur (a, b, d, e, h).

De Salomonis nominibus. — Non negligenda hoc loco videtur ipsa varietas eorum *nominum*, quae Salomoni in S. Scriptura imponuntur. Nam cum ille Christi Domini typus quidam ac figura testimonio Patrum atque ipsius Ecclesiae declaretur, facile admittas, tot eius appellationes magna aliqua significatione non carere. Sed hic occurrit primum opinio quorundam affirmantium non tam auctoris, quam *libri* nomen esse Koheleth, quod ita et femininum facilius intelligatur et vocis ipsius significatio : nec enim regi convenire munus contionandi. Recte quidem communi plurimorum sententiae obiicitur illud 7,27 אָמְרָה קֹהֶלֶת; oportuit enim, ut ceteris locis et in arabicis « chalîfatun, râvijatun », saltem verbum terminatione *masculina* adiungi, atque aliquid tamen, uti diximus, insolitum habet feminina nominis forma, nisi *ratio* gravior affertur. 7,27 facili quidem utuntur mutatione *Olsh.*, *Bœttch.*, alii, terminationem verbi fem. ה ad Koheleth trahentes; sed *nullus* id comprobat codex apud *de Rossi*, etsi 12,8 sane scriptum est הַקֹּהֶלֶת. Nobis autem minime necesse est, eum locum corrigere, quia primam et veram significationem esse statuimus non Contionatorem, sed Vocem clamantem. Alterum autem, quod opponitur, non potuisse regem doctoris publici sibi officium vindicare, contrario argumento firmiore refellitur : 1,12 multo certe ineptius *liber* dicetur fuisse *rex Israel*; deinde contionatus est David rex non civiliter tantum, sed etiam religiose 1 Par. 28,2 sqq., ubi proposito templi exstruendi consilio mandatoque divino inter alia populum sic cohortatur : « Custodite et perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri, ut possideatis terram bonam et relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum ». Iosias autem rex contionem habuit, quae ad solam religionem spectaret 4 Rg. 23,1 sqq. Prorsus erat igitur in consuetudine Hebraeorum, ut etiam reges de religione ac moribus aliquando in publico dissererent. Multo vero magis scriptori *fingere* licuit huiusmodi contionem in eum modum, quo

fit in Ps. 77 : « Attendite, populo meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei; aperiam in parabolis os meum », vel in Ps. 48 : « Audite haec omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis orbem, quique terrigenae et filii hominum, simul in unum dives et pauper. Os meum loquetur sapientiam et meditatio cordis mei prudentiam. Inclinabo in parabolam aurem meam ». *Sic igitur* intellige affari Koheleth genus humanum, sed commotiore etiam ac severiore affectu. Qui vel sola nominis sui significatione illud omne exordium Ps. 48 videtur complecti. Et ut ad eius significationem quaerendam excitaret, *novum* id sibi affinxit, addensque (in extremo tractatu 12,8) articulum vocabulo indicavit appellativum esse, non proprie personale, in quo forsitan significatio non esset attendenda[1]; denique id iis potissimum locis interposuit, quibus summa totius libri sententia pronuntiatur 1,2 et 12,8; item 7,27, ubi de ea vanitate dicit, quam expertus est periculi plenissimam. Itaque necesse est agnoscere id cognomen ad libri argumentum maxime pertinere, sed esse *scriptoris*. Ut omnia brevi complectar : doctorem se praebet Salomon, mundi contemptum commendantem ac tamquam proclamantem, eaque re insignem prae se fert similitudinem Eius Regis, qui cum esset ditissimus, tamen hanc verissimam professus est et exemplo et doctrina sapientiam : contemnendi res caducas atque amandi paupertatis, laboris, doloris tolerantiam. Sic enim Christus incipit docere et suum populum et universum genus humanum : « Beati pauperes spiritu », cui simillimum est effatum primum Koheleth : « O vanitatem atque inanitatem, universa vanitas »! Nec quisquam Salomone congruentius ante Christum videtur eam doctrinam potuisse proponere, quippe in quo et regia dignitas inauditaque ad id tempus opulentia esset, et probata celebrataque etiam apud exteras gentes sapientia, et tristissimum non modo fastidii rerum omnium, verum etiam ruinae spiritualis experimentum. Ergo si illud constat, in Salomone adumbratam quandam Christi Domini imaginem a Deo demonstratam esse, causa fuit gravissima, cur hunc de despicientia mundi librum scribens nomen sibi novum imponeret, vel potius, ut hoc ei Spiritus S. inspiraret. Ostendant, qui ex ipsa novitate nominis argumentum sumunt, quare Salomoni hic liber abiudicandus sit, in eo scriptore, quem fingunt, melius illam appellationem quadrasse.

Sunt autem alia quoque duo Salomonis nomina, quae manifestum est divino etiam consilio indita esse, ut typus quidam Christi ipsa appellatione exprimeretur. Nam vix natum David pater iussu divino Salomonem i. e. *Pacificum* nominavit; « factus est », inquit ipse, « sermo Domini ad me dicens :... filius qui nascetur tibi erit vir quietissimus; faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum et ob hanc causam Pacificus vocabitur, et pacem et otium dabo in Israel cunctis diebus eius.

---

1. Similibus nominibus articulus additus est 1 Par. 4,8; 7,18; Esdr. 2,55; (cf. ibid. 57 nomen eiusdem generis, sed sine artic.).

Ipse aedificabit domum nomini meo et ipse erit mihi in filium et ego ero ei in patrem firmaboque solium regni eius super Israel in aeternum » (1 Par. 22,8 sqq.). Quorum verborum (cf. etiam 2 Rg. 7,14) certissima interpretatio est in S. Pauli ep. ad Hebraeos 1,5, ut dubitari non possit, quin illa de Salomone, ut *figura fuit Christi*, dicta sint; sequitur ut ipsum quoque nomen Pacifici sit figurativum.

Similis autem ratio est nominis *Ididae* יְדִידְיָה, de quo sic est 2 Rg. 12, 24 sq. : « Vocavit (David) nomen eius Salomon, et Dominus dilexit eum misitque in manu Nathan prophetae, et vocavit (Nathan) nomen eius *Amabilis Domino*, eo quod diligeret eum Dominus (hebr. : propter Dominum) ». Ergo quia a Deo unice est amatus Salomon, nomen ei impositum est *Carus Deo* idque iussu Dei. Quod mirabile est in filio eorum, quos adulterium paullo ante copulavisset; non alio igitur consilio tantus ei Dei amor impertitus videtur, nisi ut esset Eius figura, de quo Pater professus est : « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui » (Matth. 3,17).

Alia nomina ab hominibus inventa, non tamen magna significatione carent earum rerum, quae in Salomone adumbratae atque in Christo completae sunt. *Sapientem* et ipse se appellat (velut in epilogo huius libri, quem explicamus) et posteri eum appellarunt omnes. Sed sapientia Salomoni tanta idque divino quodam miraculo data est sine dubio ob eam causam, ut perfectiorem figuram exhiberet Eius, qui est Aeterna Sapientia Patris.

Vim symbolicam quaerere etiam in יָקֶה et אָגוּר cogi videmur Prov. 30,1, itemque ibidem in אִיתִיאֵל et אֻכָל, porro ib. 31,1 in לְמוּאֵל[1]. Nam si ipsum argumentum duorum capitum consideramus, apparet, ea quodammodo epilogi loco esse. Itaque c. 30 *omnis* sapientia brevibus sententiis quasi memoriae iuvandae causa atque in modum recapitulationis oratoriae colligitur et longiore praefatione ad supremum sapientiae fontem refertur; deinde maternae institutionis laus adiungitur, ut omnes intelligant, secundum Deum parentibus plerumque bene vivendi scientiam deberi. Iam vero « Lamuel » c. 31 quia regis appellatione insignitur, dubitari vix potest, quin ipse Salomon significetur, qui se « Deo sacrum » (לְמוֹ־אֵל) s. « a Deo illustratum » (לְמוּע־אֵל) appellet ac tamen matri quoque sapientiam suam se referre acceptam profiteatur. Pariter ergo capitis 30 inscriptionem sic interpretabimur, ut idem Salomon, totum Proverbiorum librum brevi summa complexus, Deo laudem tribuat, illam autem, quam versibus proximis exprimit humillimam de humana sua scientia existimationem, etiam inscriptione aenigmatica eloquatur. Licebit igitur primum versum ex hebr. sic vertere : « Dicta Assumpti, qui fuit Pii filius, prophetia; oraculum est Potentis ad Mecum-Deus, ad Mecum-Deus ac Roboratum. » In qua inter-

1. Eos sequor interpretes, qui ista nomina ad Salomonem censent pertinere.

pretatione etsi dubia sunt quaedam, tamen sententia efficitur quam aptissima; pergit enim deinde scriptor humanam imbecillitatem atque insipientiam, cui a solo Deo robur atque lux conferatur, explicare idque tam fuse, ut prooemium ad pauca alicuius Agur (ut multi volunt) proverbia affixum hic agnosci nullo modo possit. Contra satis aptum est totius libri summae ita praefari scriptorem, qui cum se pii patris filium a Domino tamquam spicam in agro assumptum et ab Omnipotente, qui secum semper fuerit, confirmatum (deinde a matre quoque fortissima ac prudentissima muliere ab infantia instructum) dicit, modestiam et pietatem tum in Deum tum in parentes maximopere commendat. Quid huiusmodi epilogo eius libri, quo de vera vitae sapientia agitur, esse potest accommodatius?

Sed ne longius digrediamur : haec omnia nomina ad Salomonis sapientiam designandam inventa sunt; quare minime mirum est, « Koheleth » quoque cognomen ob similem significationem adhibitum esse. Exemplum autem praeclarum certumque nominis symbolici (si quis forte de hac tota re dubitat), invenitur Tob. 5,18, ubi se Raphael archangelus vocat Azariam Ananiae magni filium i. e. « Adiutorem coelestem » a « Misericordissimo Deo » tamquam « patre » suo missum. Atque haec de Salomonis nominibus, in quibus detrectari « mysticam » interpretationem fas non est. Viderint autem illi, quos modo significabam, possintne ratione probabiliore in ficto suo posterioris aetatis scriptore nomen novum explicare.

Absolvimus disputationem de nomine Ecclesiastae s. Koheleth. Quod cum ipsam personam non definite notet, adiungendum fuit « filius David », ut statim ab initio dubitatio tolleretur et scriptori auctoritas conciliaretur. Ad ampliorem commendationem valet etiam « rex Ierusalem », quam quidem appellationem ad ipsum scriptorem, non ad David referendam esse, ex eo ipso colligas, quod despicientia rerum mundanarum in rege admirabilior est eaque de causa Koheleth potius, qui de illa dicturus est, quam David rex nominandus fuit. Itaque recte hebr. distinctio maior post nomen Davidis posita est. Quod autem scriptum videmus מֶלֶךְ בִּירוּשָׁלִַם i. e. rex in Ierusalem, quia id nullo alio loco invenitur, aliquo consilio factum dixeris. Per se ea locutio *sedem* regni denotat, atque idcirco verbum מָלַךְ saepe cum בְּ iungitur. Quamobrem, si e minutis indiciis aliquid concludere licet, Koheleth noluit statim ab initio se regem dicere *populi Israelitici*, i. e. electi, quod omnes omnino homines allocuturus erat; dixit igitur se regem et sedem regni adiunxit, sed sua studia Israel soli consecrari et doctrinam e revelata religione Iudaeorum peti, veritus est significare. Mirari certe illud licet, ne semel quidem toto libro nomen Iahve (quod in Proverbiis est frequentissimum) nec ullum indicium cultus religiosi Hebraeorum inveniri; universa enim doctrina

e *rationis* prudenti deliberatione petitur et omnibus gentibus accommodata est. Hoc igitur quoniam sine consilio factum profecto non est atque ad huius operis gravitatem magnopere pertinet, negligendum fortasse non est in singulari illa structura vocis מֶלֶךְ explicanda. Sic enim oportet interpretari scriptores, maxime si ad poeticam dictionem fictionemque propius accedant, ut inusitate dicta aliquid significare existimemus, quod ad sententiam consiliumque totius operis pertineat. Etsi igitur Koheleth infra se regem Israel vocavit, fortasse tamen *deliberate* id in ipsa inscriptione non fecit. Cf. p. 41. 44. — De reliquo si quis velit inscriptionem non auctori tribuere, sed alicui librorum sacrorum dispositori, ut in aliis similibus facere saepe solent, id magnopere improbari non debet, dummodo ne temere fiat; nos probabilem verborum, quae tradita sunt, rationem reddere maluimus, atque ea quae diximus ad reliquum quoque librum recte intelligendum valent. — Salomonem, ut est in inscriptione, scriptorem libri esse quae argumenta demonstrent, vide supra p. 20 sqq.

b) Prooemii pars prior 1,2-7.

V. 2 « *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas* ». Vox ipsa « Koheleth », sive Vocem sive Praeconem sive Contionatorem intelligimus, orationem gravem ardentemque polliceri videtur. Atque hoc quidem interest ut in explanando libro probe meminerimus. Totus enim ad animi motus vehementes exprimendos compositus est, non quod sit proprie aut lyricus aut oratorius, sed tamen sententiarum dictionisque pondere quasi declamatorius atque adeo elatione atque altitudine tragicus. Sic igitur orditur Salomon, ut Moyses olim, cum « verba carminis » maxime sublimis audiente universo coetu Israel pronuntiaret : « Audite coeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei ! » (Deut. 32,1.) Exclamans enim dicit : « Vanitas vanitatum » idemque iterum ac tertio dicit : « Vanitas vanitatum et omnia vanitas » ac nervose interponit : « dixit » s. effatus est atque effatur « Koheleth », i. e. is, qui in hoc libro magna sacri praeconis voce et tamquam tubae alicuius sonitu id, quod ipse sentit atque expertus est, proclamat. Inusitata sunt haec omnia vehementemque animi affectionem significant. Quam exclamationem extenuant ii, qui « vanitas van. » (הֲבֵל הֲבָלִים) cum « omnia » (הַכֹּל) ut subiecto enuntiationis coniungunt : vanitas van. *sunt* omnia ; cui opinioni parum congruit vel ipsa traiectio huius subiecti, quod fuerat extremo loco collocandum, in hunc modum : « vanitas omnia », *non* « omnia vanitas »

(הֲבֶל הֲבָלִים). Est autem « vanitas » (הֶבֶל) aspiratio, aura, vapor inducitque in cogitationem vacuitatis ac mobilitatis. Latine retenta metaphora dicere possis fumum fucumque, quae vocabula de iis usurpantur, quae levia ac futilia, fugacia ac fallacia sunt. Hoc igitur nomine Ecclesiastes inscribere videtur imaginem huius mundi universi, cuius bona pulchra illa quidem sunt, sed eadem fucata potius quam solida. Formula haec « vanitas vanitatum » quodammodo pro superlativo, quo carent Hebraei, adhibetur, ut illa : « sancta sanctorum » s. sanctissimum, « coelum coelorum » s. coelum supremum (3 Reg. 8,27), « canticum canticorum » s. canticum sublime, « servus servorum » s. servus infimus (Gen. 9,25). Intellige tantam vanitatem, qua maior fingi vix possit, quae omnem sui generis notionem exhauriat, quae prorsus nihil sit nec ullo numero habenda omnino. Quod facunde suo modo Hugo a S. Victore (hom. 1) ita amplificat : « Tanto vanitas vanitatum deterior est a simplici vanitate, quanto simplex vanitas ab essentia solida et permanente. Sic per inculcationem legi potest sententia : vanitas vanitatum, vanitas vanitatum et omnia vanitas, ut quasi singula quaeque per se vanitas sint, et universitas ex omnibus collecta vanitas vanitatum ». Unum ergo praesentem affectum vehementissimum secutus per exaggerationem ac superlationem Ecclesiastes « res universas » (הַכֹּל) circumspiciens et colligens, cum in singulis non reperiat, quod consistat ac maneat, aliquanto plenius conatur dicere de universis idque facit tot eiusdem vocis repetitionibus. Velut si dicamus unam aliquam rem numero nullo esse, item alteram ac tertiam, concludamus autem omnes simul prorsus esse nullas atque penitus inanes. Confirmandi vim habet etiam perfectum illud « dixit », ac si positum sit : hoc effatum et pronuntiatum, haec fixa sententia est. Nec prima persona (« ego ») scriptor, sed cum emphasi tertia utitur, ut Deus cum praecipit : « Timebis Dominum Deum tuum » (Lev. 19,14), vel Assuerus, cum Aman interrogat : « Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? » (Esth. 6,6.) Non est hoc igitur demisse loquentis, ut cum Paulus vel alii viri sancti suam personam aliena celare videntur, sed contra auctoritatis est et dignitatis, ut optime quadret audacior, quae sequitur, « Koheleth » appellatio : sic locutus est is, quem hac de re fidenter et tamquam magna voce pronuntiare fas sit. Intercisio etiam principalis sententiae valet ad excitandum affectum, ut nihil praetermissum sit, quo gravior evaderet prima libri propositio.

Sed id ipsum quoque, quod tanta exaggeratione enuntiatur, longe gravissimum est; ferit enim animum a rege Salomone potentissimo, opulentissimo, sapientissimo asseverata rerum omnium inanitas. Sane si qui liber unquam, certe hic in *tragico* versatur argumento. Nam

omnem vitam hominis plenam vanitatis, i. e. inanium studiorum bonorumque esse clamat, idque ita quidem, ut doctrinam propositam, ne falso intelligatur, prudenter *circumscribere* debeamus. Non enim omnia profecto vana sunt simpliciter, sed aliqua fortasse ratione; divina quidem opera et naturalia et supernaturalia reprehendi nefas est, atque in hominum studiis moribusque, in privatis publicisque institutis multa digna sunt, quae laudentur.

Dubitationem tollit ipse scriptor vv. 3 et 4. « *Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? Generatio praeterit et generatio advenit; terra autem in aeternum stat.* » Negat *ex hominum laboribus fructum ipsis in hac terra* ullum manere. In quibus enim studiis et operibus tantopere desudant sub sole, i. e. in hac vita mortali, ea obitu singulorum ipsis prodesse desinunt; nam perpetua vicissitudine alii in aliorum quasi messem intrant. Quid superest, inquit, homini? מַה־יִּתְרוֹן, i. e. qui fructus manet perpetuus? vel : quid ultra (vanitatem) quasi suum homo comparat? Licet enim intelligere יִתְרוֹן vel id, quod ex labore, vel id, quod habita ratione inanitatis, *amplius* restet, ut est illud : « reliquum verborum Salomonis », h. e. id quod praeterea de Salomone desiderare possis. Quamquam illud aptius est, quia hebr. sequitur *in labore suo,* i. e. inter laborandum et in opere perfecto, adde etiam : post omnem laboris molestiam; quandoquidem ut labor, sic hebr. עָמָל et operam in re quapiam locatam et rem elaboratam (cf. 2,18) et molestiam operi adiunctam designat. Pergit « quo laborat » s. fatigatur, non : *quem* (laborem) *suscipit,* ut molestiae notio bis enuntietur; « sub sole », i. e. sub astris, in hac terra, ubi *potissimum* mutantur res et senescunt et intereunt, cum contra in corporibus coelestibus quaedam perpetuitas atque immutabilitas cernatur, et super illa firma sint omnia ac stabilia.

Est autem ratio principalis, cur humana omnia vana dicantur, quod (v. 4) praesens cuiusque temporis hominum progenies cito transit, vel potius, ut est in hebr., perpetuo est transiens et properans ad occasum, ut alteri locum suum et bona omnia cedat; haeredibus enim omnes et posteris, non sibi, laborando provident; sed ne hi quidem ipsi quidquam ut proprium tenebunt, sed ut depositum ad alios transferent; quandoquidem « generatio praeterit et generatio advenit ». Iam vero illud longe tristissimum est, vitas hominum minore stabilitate consistere, quam brutam terram, in qua peregrinantur : « terra in aeternum stat », i. e. suis ponderibus librata vel, ut poetae fingunt (Iob 38,6), suis basibus solidata lapideque nixa angulari, perseverat in aevum minime definitum. « Quid hac », inquit S. *Hier.,* « vanius vanitate,

quam terram manere, quae hominum causa facta est, et ipsum hominem, terrae dominum, in pulverem repente dissolvi? » Atque hic sublimis illa et tragica rerum humanarum contemplatio cernitur, cui soli verba tam *audacter superlata* conveniant. Eatenus enim solum sententia vera est, quatenus praecise mortalitati humani corporis terrae firma permansio comparatur, cum tamen et animi ipsi et animorum honesta studia infinitis partibus maiora sint tota rerum inanimarum universitate. Sed hoc proprium est poetici atque oratorii ardoris, ut affectus vehemens audacius enuntietur et unum aliquid verum, *ceteris rationibus neglectis*, ac si solum veniat in considerationem, exaggeretur. Quod non est veritati contrarium, sed praesenti commotioni eius qui loquitur consentaneum. Profana affero exempla. Horatius (Od. IV. 7, 13 sqq.) sic habet :

Damna tamen celeres reparant coelestia lunae :
Nos ubi decidimus...
Pulvis et umbra sumus.

Item Catullus (5,4) :

Soles occidere et redire possunt;
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Atque in hanc sententiam prorsus censeo tres quoque proximos versus, quos aliter accipere fere omnes solent, explicandos esse, vv. 5. 6. 7 « *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem; lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur. Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat; ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant,* » i. e. Sol oritur et occidit, sed idem brevi post emergit — venti huc illuc versi perflant orbem terrarum, sed in sua quodammodo vestigia brevi revertuntur — flumina in Oceanum nunquam redundantem confluunt, sed eodem alveo currere nunquam desistunt ac renasci perpetuo videntur. In his omnibus Ecclesiastes, qui miseriam mortalitatis considerat, aliquam intuetur verissimam cum ipsa mutabilitate *perpetuitatem*. Nec vero eum ita lamentari prohibet, quod etiam genus humanum regeneratur, ut nunquam prorsus totum intereat. Nam in genere humano recte personae singulorum, in quibus potissimum attenditur vel felicitas vel calamitas, praecipue spectantur, at in ceteris rebus generum perseverationem et legum naturalium constantiam intuemur. Itaque Ecclesiastes, quod v. 3 dixit de « irritis hominum sub sole laboribus », id toto hoc loco explanat : homines subter solem atque in media serie legum natura-

lium, immo vero subter has quoque positos fragilitate et inconstantia esse notabiliore.

Idem censet *Mot.*, interpres valde diligens. Allata enim contraria explicatione, quae est etiam S. Hieronymi, ita dicit : « Le but de l'auteur dans ces quatre versets [4 et tribus proximis] ne nous semble point être de faire une peinture de la *caducité* des choses. Il ne nous représente point, en effet, le vent *cessant* de souffler sur le monde, ni les fleuves taris dans leur source; il nous les montre au contraire roulant incessamment dans le même cercle et continuant leur chemin invariable pendant que les générations disparaissent. Ce qu'il veut faire remarquer, c'est cette invariabilité irrémédiable, cette immutabilité permanente de la loi qui préside à la marche du monde sur laquelle l'homme n'a point de prise ni de puissance de direction. C'est pour cela qu'il fait voir, dans un magnifique *contraste*, les générations succédant aux générations pendant que la terre demeure, que le soleil, les vents, les eaux continuent leur course perpétuelle et constante. » Rectissime sane ; quamquam non putaverim » *hic verbis ipsis* iam attingi a Sapiente illam « impuissance de *direction* » vel « invariabilité *irrémédiable* ». Ad quam demonstrandam spectat quidem tota libri disputatio, et hinc *vanitas* potissimum repetetur laborum humanorum ; sed descriptio ordinis mundani hic proposita nullum verbum continet, quo significetur, hominem leges naturae vel providentiae conari infringere. Id *postea* indicabitur; in prooemio autem ad id via tantum aditusque aperitur. Nec vv. 8 sqq. Mot. recte in eam sententiam interpretatur, opinor, ut homo videatur frustra corrigere velle rerum cursum naturalium; nam in ea prooemii parte *nude* ignorantia, ut in priore imbecillitas hominis proponitur, utraque sane cum perfectione ceterarum rerum a Deo creatarum *comparata*.

Esse hanc nostram (et *Mot.*) interpretationem vel imprimis poeticam et scriptore dignam, testis est *Calderon*, qui hunc totum locum eo quo diximus modo intelligens in sua transfert (« Theatr. mund. », ubi a *rege* hominis mortalitatem facit deplorari).

Singula videamus. Ubi terrae, in summo aequilibrio et, quoad oculis iudicatur, immutabilitate et incorruptibilitate persistentis, mentionem fecit, ita argumentari pergit : *Et oritur quidem* (וְזָרַח), i. e. mobilis ac mutabilis est sol, non immotus ut terra; *idem sol* (subiectum in hebr. non sine causa geminatur) *ad occasum pergit; at* (וְ) *in locum suum* — (hic bene distinctio hebr. zakeph posita est) *anhelat eo, ubi oriri solet.* Vis magna est in locutione inusitata « anhelat » pro « contendit ». Deinde in hoc quoque enuntiato (ut v. 3) ea ipsa verba, in quibus vis praecipua est, formam participii habent : festinans *est* sol

eo, ubi *solet* oriri; contra mutabilitas, quae strictim tantum attingitur et conceditur, verbo finito expressa est. Interruptio autem constructionis post « suum » praeparare videtur audaciam dictionis, quae est in « anhelat », eadem efficit, ut locus, quo *redit* sol, bis exprimatur, qua re egregie confirmatur nostra interpretatio.

Aliter S. *Hier.* et posteri fere omnes. « Sol ipse », inquit, « ille qui in lucem mortalibus datus est, interitum ortu suo quotidie indicat et occasu. Qui postquam ardentem rotam Oceano tinxerit, per incognitas nobis vias ad locum, unde exierat, regreditur expletoque noctis circulo rursum de thalamo suo festinus erumpit... Hoc autem *idcirco* ut doceat, mutationibus temporum et ortu occasuque siderum aetatem labi et interire ». Sed si *interitus* solus designandus fuit, quorsum pertinet, totidem verbis reditionem in locum eundem describi? Itemque est in proximis exemplis. Praeterea inepte supra de terrae stabilitate dixisset, si rerum caducarum *similitudine* probaret, « humanam aetatem labi ». Immo vero *contrario* exemplo et terrae perpetuitas et solis reditio cotidiana et legum ceterarum constantia vitae nostrae fragilitatem demonstrat. Atque hoc consentaneum est ardentissimo affectui, quo scriptor v. 2 est exorsus. Qui *solus* pervadit ea omnia, quae post v. 4ᵇ adiunguntur. Nam cum modo tempore finito coeptum sit : « oritur » (וְזָרַח), quo potest aliquid *fortuitum* designari, sed deinde usus sit participiis, ut *perpetua constantia* intelligatur : iam non ponit (in hebr.) nisi participia in omnibus verbis, ut magis, quam constantes sint leges naturae, sentiamus[1].

Proxima verba non cum veteribus ad solem, sed (ut hebraice nunc legitur) ad ventum referenda arbitror : « fertur ad meridiem et reflectitur ad aquilonem ». Etsi enim haec de *annua* solis declinatione, ascensu ac descensu per eclipsim, intelligi possunt, tamen nescio an id hoc loco artificiosius dicatur; praeterea huic inciso fuerat iterum addendum : *et in orbitam redit annuam,* ne oratio esset turpiter inaequalis. Aptissime autem *venti* motio describitur ad meridiem flexa et ad septentriones et quoquoversus vagans, idque duobus hemistichiis, quia venti versatilitas omnium maxima est, ob eandemque causam praedicata omnia subiecto praeponuntur. Deinde vero nervose additur, repetito iterum (hebr.) extremo loco subiecto : « at in flexus suos est rediens ventus ». Idem dicitur de fluminibus « ruentibus in mare »,

1. Versu iam quarto ab initio, etsi obitus singulorum est potius fortuitis annumerandus, tamen *legis* mortalitatis *constantia* potissimum fuit enuntianda eaque de causa participia usurpata sunt : homines tam constanter intereunt, quam constanter et terra manet immota et cetera in sua vestigia redeunt.

cum tamen « mare (duplicatur subiectum) nequaquam (אין cum repetito pronomine) expleatur » ; atque, ut in oceano, sic in ipsis fluminibus constantem quendam cum varietate habitum observari licet, quoniam *in locum suum*, i. e. eadem regione, eodem alveo, quo abeuntia cernimus, *flumina* (הֵם) *repetunt cursum eundem* (שָׁבִים לִלֶּכֶת).

Adduntur quaedam minutiora.

De *Vulg.* hic duo adverte : Hier. pro vento posuit *spiritum*, apte quidem, sed cum sic explicat : « Sive *ipsum solem* spiritum nominavit, quod animet et spiret et vigeat et annuos orbes suo cursu expleat, ut ait poeta...

Atque in se sua per vestigia volvitur annus,

sive quod et *lunae* lucentem globum et *astra* Titania

Spiritus intus alit... »

Rectius Symm., ut idem Hier. testatur, hunc locum ita interpretatus est : « Vadit ad meridiem et circumit ad boream, perambulans vadit *ventus*, et per quae circumierat, revertitur ventus. » Hier. cum soleat litteram Scripturae presse sequi, aliquando tamen, nec semper feliciter, allegoriam quaerit, quam tantopere adamarant veteres. — Praeterea nota, versum esse ab Hier. « ad locum, *unde* exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant, » quod sic amplificat : « Ecce Ecclesiastes noster... aquas dulces dicit per occultas venas ad capita fontium regredi et de matrice abysso [subterranea] in sua semper ebullire principia ». Ac pergit allegorizare : « Melius autem Hebraci sub torrentium et maris nomine per metaphoram de hominibus significari arbitrantur, quod in terram, de qua sumpti sunt, redeant, et torrentes vocentur, non flumina, eo quod cito intercidant, nec tamen impleatur terra multitudine mortuorum ». Sed nec huiusmodi allegoriae admittendae sunt, licet *alio modo* hic significetur hominum mortalitas; nec illa explicatio probatur, quia longius ascita ne ipsis quidem verbis hebraicis (אֶל־מְקוֹם שֶׁ) offertur; facilius est enim certe interpretari : *ad locum*, vel potius, *ad locum versus, quo* s. *eâ, quâ*.

Hahn indicari vult, homines peccato lapsos nequidquam anniti, ut cursum naturae peccato prorsus depravatae *mutent;* exempla autem proposita *symbolice* accipienda esse, v. g. solis ortum et occasum fortunae inconstantiam interpretandam esse, quam homo corrigere nunc non possit. At *depravatam* esse rerum naturam nullo modo hic dicit Sapiens, immo eam laudat ob constantiam; inanes appellat *hominum* labores. *Rerum* vanitatem, hoc quidem loco, non ostendit nec hominum *conatus* eas corrigendi, nec *symbolice* de sole, fluminibus, ventis loquitur. Similem explicationem proposuit *Hengst.*

De altera parte v. 5 magna dubitatio est, non quae sententia sit, sed quae grammatica verborum structura. Nos supra secundum accentus hebr. vertimus : *At in locum suum, — anhelat eo, ubi oriri solet.* Sic *anhelat* (quod est *anhelans desiderat*, Iob 7,2; Ps. 119,131), etsi grammatice iungitur cum « in locum suum », tamen, quia anhelandi vox hic audacius usurpatur, cum vi quadam lyrica vel oratoria ab illo seiungitur, ut quasi novam incipiat sententiam, voce autem שָׁם resumitur illud « in locum suum »; nam שָׁם etiam verbis motum exprimentibus adiungitur pro שָׁמָּה. Simul tamen idem aliquo modo referendum est ad זוֹרֵחַ, quamquam recte ab eo

maiore distinctione, quam זוֹרֵחַ a שׁוֹאֵף (illic tiphcha, hic tebir) separatur. Omissum est autem ante זוֹרֵחַ relativum, ut saepe. Ad sententiam totius versus nihil interest, si *anhelat*, omisso *eo*, neglecto accentu masoretico, nulla intercisione a verbis « in locum suum » disparatur; ita LXX, *Vulg.* etc., e recentioribus *Herzf.*, *Elst.*, *Hitz.*, *Hahn*, *Del.* Minus probandum est, quod alii ad « in locum suum » audiendum dicunt, e priore inciso versus, בָּא ac vertunt : « et quidem in locum suum » (adde : *pergit*) : *Ewald*, *Zoeckl.*, *Wr.* Iis quidem non est necesse addere relativum; sed structura languet. *Gr.* vocem שׁוֹאֵף mutat in שָׁב אַף, quod *anhelare* de sole dici vix possit. Sed simili translatione Hab. 2,3 positum videmus יָפֵחַ (« visio anhelat ad finem »), estque ratio gravissima in lyrica scriptoris commotione, cui congruunt vocabula audaciora et audacius, ut supra explicavimus, disiuncta atque intercisa; quo eodem pertinere iam ante dixeramus asyndeta, vocum repetitionem, subiecti inversionem (v. 6), usum participiorum, exclamationem (v. 2), denique sententiae ipsius superlationem. Refert autem plurimum, non oblivisci nos, quo affectu concitatus loquatur scriptor, idque *per totum librum;* manifestum est enim, non paucas hoc modo tolli difficultates; eadem de causa modo nobis prorsus languidum videbatur illud « et quidem in locum suum (pergit) ». Illud שׁוֹאֵף *Hengst.* non de quodam labore solis, sed de alacritate recursus intellexit, quod « exsultet ut gigas ad currendam viam » (Ps. 18,6). Displicet, quia quaedam contentio potius quam facilitas currendi exprimenda fuit, quamquam illa contentio perpetuo efficax et, ut ita dicam, victrix est. Modo dicebam, si שׁוֹאֵף *prorsus* separaretur a superioribus, posse ea, quae sequuntur, aliter construi; intellige sic : *anhelans resurgit ibi;* eodem modo dicitur infra de vento : *vertens se et gyrans fertur*, ut alterum participium alteri subordinetur; sed sol *resurgens* non offert speciem anhelantis.

Ea verba, quae sunt de flexu ad meridiem et aquilonem, tamquam de sole dicta proponunt : LXX, *ut solent eorum verba distingui* (non necessario!), item *Syr.*; manifesto : *Vulg.*, *Chald.*, *Thaum.*, *Nyss.*, *Olymp.*, *Midr.*; inter recentiores pauci; ceteri masoreticam distinctionem sequuntur, ad ventum omnia referentes. Explicant autem, qui ad solem spectare dicunt, plerumque de annua eius declinatione; sed de circuitu cotidiano, ut orbita *nocturna* appelletur septentrionalis, *Nyss.* Hic suo iure etiam illa κυκλοῖ κυκλῶν apud LXX iungit cum superioribus. Idem ea, quae sunt de « spiritu », mirum in modum ad animum hominis refert : « Sic ergo tuus quoque animus hunc circularem motum pariter absolvit ». Porro mirere, quod praeter Hier. etiam *Chald.*, *Olymp.*, *Alc.*, *Hugo Vict.*, alii spiritum intelligant *solis* vim vigoremque insitum transfusumque per mundum, item *Raschi* voluntatem (impetum) solis. — סְבִיבוֹת intellige flexus, potius quam circulos, vel saltem verte gyros, i. e. orbitas curvatas atque in se *aliquo modo* redeuntes; עַל ipsam viam notat, in quam fiat regressio : *in gyros suos*, non : *in*, *super gyris suis*.

In v. 7 altero inciso a multis quaeritur, quo currant flumina, in mare, an reflexa ad fontes suos per canales subterraneos. Hoc alterum eos dicere necesse fuit, qui relativum שֶׁ non *quo*, sed *unde* verterunt, aut שָׁם non *eo*, sed *unde* (quorum neutrum, saltem post אֶל־מְקוֹם, admittendum videtur[1]); hi sunt inter recentiores *Mot.*,

1. אֶל־ ante relativum mente addendum est, vel, id quod idem est, relativo ea attribuenda vis est, quae ex superioribus verbis sua sponte offertur. Eodem deducimur comparando Gen. 20,13, ubi אֶל־מ' אֲשֶׁר necesse est vertere : « in quem locum ».

Zoeckl., *Rosenm.*, *Ren.*, *Ginsb.*, alii, item antiquitus *Symm.*, *Hier.*, *Chald.* Contra in *mare* ire ac redire existimarunt, LXX, *Syr.*, *Elst.*, *Hahn*, *Del.* Sed notandum tamen est, apud LXX (et *Olymp.*) esse εἰς τὸν τόπον οὗ, non ὅποι, deinde ἐκεῖ, non ἐκεῖσε. Valent autem οὗ et ἐκεῖ *qua* et *ea*, atque ita intelligi possunt hebr. שָׁ et שָׁם; deinde אֶל־מְקוֹם (εἰς τὸν τόπον) accipi potest pro « ea regione » (qua-eadem), « eodem alveo » (quo). Nam recte censet *Wr.* nihil praeter id, quod *oculis* sua sponte offeratur, asseri a scriptore : flumina sic, ut eunt, ire pergere; nihil de reditu ad fontes huc pertinere; sequitur autem, ut magis de ipso per alveum decursu, quam de effusione in mare ac de ostio sit cogitandum. Quod*si* de recursu fluminum ad capita agitur, non satis apte existimavit *Olymp.*, per nubes, aera, pluviam aquas in fontes refundi; quae explicatio etsi minime ignota antiquis (Iob 36,27 sq., cf. etiam *Nyss.* ad Hexaemeron), tamen alienior est a verbo הָלַךְ; nihilominus hanc interpretationem amplexi sunt etiam *Umbr.*, *Zoeckl.*, *Hengst.*, alii. Convenientius saltem sit dicere, per occultos aliquos meatus refluere aquas ad fluminum fontes, qui *oculi maris* in oriente vocantur, ubi ista opinio et est et fuit pervulgata. Cf. *Pin.*, qui multa ea de re suo modo congessit; quod autem idem acriter defendit, ob verbum שׁוּב locum aliter explicari non posse, certe fallitur, quia illud cum alio verbo coniunctum saepe nihil nisi eiusdem actionis repetitionem designat.

Iam igitur aperta totius loci sententia est. Ecclesiastes ingenti cum affectu rerum omnium vanitatem proclamat; sed eam intelligi vult de *hominum* sub sole laboribus, qui ob eam potissimum causam ad nihilum recidant, quod *ipsis ac singulis* fluxam finitamque afferant vel utilitatem vel voluptatem; quam sententiam moesta comparatione fragilitatis humanae cum *terrae legumque naturalium stabilitate* exaggerat. Sic omnia brevi complectimur :

vv. 1 et 2 : Post inscriptionem, qua se graviter dicturum novo sumpto cognomine pollicetur seque auctoritate regia auditoribus vel lectoribus commendat, universam orationis sententiam graviter enuntiat : Vanissima omnia. Deinde

v. 3 : frustra sibi laborare ac sudare homines sub coelo dicit, et

v. 4 : rationem addit generalem ac primam : mortis necessitatem, nec tamen eam nude affirmat, sed tristissima cum comparatione lamentatur dicitque terram, interea dum homo transeat, immotam persistere; immo

vv. 5-7 : amplius collata rerum, specie tenus mobilissimarum, perpetuitate idem luctuose queritur.

Ergo sententiae principalis probatio una quattuor versibus absolvitur; sed sequitur altera item quattuor versibus comprehensa. Quae quidem est huiusmodi :

c) Prooemii pars altera 1, 8-11.

vv. 8-11 : negat illam constantem rerum agitationem legumque naturalium actionem vel *intellectu humano* comprehendi (nedum

imitatione aequari possit) : ut nec *vita* hominum ullam laudem habeat nec *sapientia;* nam etsi novum nihil est aut fit in mundo (v. 9), sed, si quid videtur tale, fuit certe pridem ante nostra tempora (v. 10) : at memoria eorum inter nos homunculos ἐφημερίους, i. e. qui ad unum diem nati esse videamur, deficit deficietque (v. 11).

Ergo v. 8 « *Cunctae res difficiles* (hebr. *fatigantur*); *non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu nec auris auditu impletur.* »

Omnes res, ita pergit, *in motu ac labore perpetuo versantur*, vel ut pressius vertam, *fessae lassaeque* sunt. Primum דְּבָרִים *res,* non *verba*, ut multi faciunt, interpretari oportet, ut v. 9 demonstrat, ubi (excipiendo) aliqua *res* dicitur videri nova nec in perpetuo illo motu versata. Deinde adiectivum יְגֵעִ, quibus locis invenitur, sonat *fatigatum labore* (Deut. 25,18 : lassi residebant, et 2 Sam. 17,2 : irruens super eum, quippe qui lassus est). Dixit supra Ecclesiastes homines frustra laborare; hic res dicit eo modo, quo demonstravit, labore *non* irrito fatigari. Illa igitur vox יְגֵעִ, quemadmodum existimo, non, ut supra עָמָל, molestiam, qua quis *tabescat,* sed strenuam allaborationem vel molitionem, qua perficiatur aliquid, significat. Quam vim laborandi suique defatigandi in aliqua *effectione* inesse posse adiectivo et verbum comprobat (Is. 47,12. 15, altero loco etiam cum obiecto iungitur, ut *elaborare aliquid*) et substantivum (Iob 20,18 = res laborando comparata; contra v. 22 עָמָל = miser, labore tabescens). Ergo sic intellige : fessae sunt, i. e. ad defatigationem (cf. supra : sol anhelat) in suo munere occupatae sunt. Ceterum mirum in modum de hoc versu interpretes dissentiunt. Multi *verba* (pro *rebus*) intellexerunt et praedicatum addiderunt : *laboriosa* (i. e. laborem afferentia) vel *difficilia sunt;* Vulg. fert : *res difficiles*. Sed si « *verba* » interpretamur : et divellitur hoc enuntiatum a superiore — cum nemo non sua sponte post enumerationem terrae, solis, venti, fluminum voces insequentes (asyndetice iunctas) accipiat pro brevi comprehensione eorum, quae dicta sunt — et infra non verborum, sed *rerum* cognoscendarum difficultas probatur. Porro laborem a rebus ad homines, quibus sint « difficiles » transferre (ut fit in Vulg. et communiter) nec ullo modo cogimur, nec ita melior significatio offertur. Nam sic quoque *asyndetice* id adiungeretur, quod post illa superiora non exspectaveris. Contra solet asyndeton in clausula aliqua, cum plura breviter complectimur, saepe adhiberi. Itaque in hunc modum accipiamus : *Res*

omnes (eo modo, quo v. 5-7 dictum est de compluribus) *in perpetua agitatione laboris sunt.* Deinde per asyndeton subitae acrisque oppositionis hoc additur : *non valet vir* (quamvis navus, hebr. אִישׁ, non ut v. 3 אָדָם) *ad id eloquendum, non satiatur oculus ratione visionis* (לִרְאוֹת), *nec impletur auris auditione* מִשְּׁמֹעַ). Dixi asyndeton acrem signare oppositionem, id quod comprobat *triplex* affirmatio de humanae cognitionis debilitate. Manifestum est autem, sensuum cognitione poetice indicari animi intelligentiam ; adde tamen, eo tristiorem videri intellectus imbecillitatem, quod homo res in *sensus* incurrentes nihilo minus ignarus atque mirans intuetur. Ut pueri ea, quae nondum perspiciunt, saepe admirantes contemplantur, ita homo videns mundi machinam et virium naturalium effectus obstupescit nec, quid dicat, habens admiratione tacita abripitur.

Asyndeto autem explicativo subiungitur vv. 9 et 10 duplex sententia, qua amplificetur prius illud : « agunt agitantque se constanter et aequaliter res universae », deinde v. 11 una, qua repetatur illud alterum : « non valet homo... » Sequitur enim v. 9 « *Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est* », v. 10 « *Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est; iam enim praecessit in saeculis, quae fuerunt ante nos* », v. 11 « *Non est priorum memoria, sed nec eorum quidem, quae postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.* » Ergo sic sunt laboriosae vel actuosae res naturales, ut idem constanter renovando perficiant nec unquam ab eodem opere cessent; etsi enim quaedam nobis invisa inauditaque sunt, ea tamen saepe repetita procreavit ante nos constans naturae industria.

Verborum hebraicorum vv. 9-11 haec est accurata interpretatio atque explicatio : *Id quod fuit, hoc* (idem, הוּא) *est, quod futurum est* (שֶׁיִּהְיֶה = quidquid est praesens vel instans vel consequens = quidquid non est praeteritum, ut vertere possis : hoc idem et est et erit) *et id quod factum est* (= id quod dies procedens creavit) *hoc est, quod fiet* (iterum ac saepius, vel : hoc idem et fit et fiet), *nec quidquam novi sub sole. Est* (sane) *res, de qua quis dicat : vide hoc, istud novum* (est) — (asynd. advers.!) *pridem fuit iis saeculis* (לְעֹלָמִים = si ratio habeatur eorum temporum), *quae fuerunt ante nos.* Vulg., ut LXX, reddit interrogative : « quid est, quod fuit? » (מַה־שֶּׁ). Sed interrogativum cum relativo facile transit in relativum universale *quidquid* ipse Hier. Exod. 32,33 vertit מִי אֲשֶׁר : *qui* = quisquis. — Sequitur comparatio simplicissimi constantissimique effectus naturalis ad intelligentiam humanam ; adiungitur autem asyndeto adversativo. Pulchre

hic אֵין opponitur יֵשׁ ut *est* et *non est* : *Non est* (autem) *memoria rebus superioribus* (antiquis) *atque item* (וְגַם) *posterioribus, quae erunt* (ac sunt), *ne his quidem* (לָהֶם) *recordatio erit apud eos, qui erunt ad extremum*. Rectissime Hier. רִאשֹׁנִים de *rebus* antiquis, non de hominibus accepit; evidenter enim symmetria versus 11 cum 10 poscit, ut דְּבָרִים mente addatur. V. 9 et v. 10 quasi protasis sunt quaedem ultimi versus, et tota verborum comprehensio vv. 9-11 idem copiosius enuntiat, quod v. 8.

Atque ita prooemii pars altera absolvitur, qua *sapientiae* humanae vanitas demonstratur idque acriore etiam animi commotione; tot asyndeta ponuntur, ut prorumpere videatur affectus (in priore parte non fuit ullum asyndeton adversativum, hic tria in hebr. : vv. 8. 10. 11), et ignorantia nostra quadam abundantia verborum (vv. 8 et 11) explicatur, et eo imprimis exaggeratur, quod (duobus versibus mediis) cum tam manifesta simplicitate, tam constanti aequabilitate eventuum naturalium confertur. Illud etiam eodem pertinet, quod in mundo *aspectabili* tam ignari esse videmur; quid enim experiemur in rebus occultis, insolitis, coelestibus? — *Mot.* pro ignorantia conatus irritos hominis corrigendi res a Deo factas substituit, ut antea (vv. 3-7) pro imbecillitate impotentiam dirigendi mundi cursum. Sed id ne hic quidem ex *ipsis verbis* eruitur; nam vv. 8-11 non significatur hominem non posse *facere* quidquam novi, sed non posse res intelligere, etsi nihil novi fiat; deficere autem ipsius *memoriam* et *intelligentiam*, ut nova fieri *videantur*. Nec bene, ut mihi videtur, Mot. hic *similitudinem* hominis et rerum proponi dicit, at supra dissimilitudinem : « Il montre l'humanité subissant la même loi, enfermée, elle aussi, dans un cercle d'action au sein duquel elle roule perpétuellement, lors même qu'elle croit en sortir. » Sed transiri ad rem contrariam, nullum est indicium. Et tamen acute vidit ille, toto *libro* pugnare quodam modo hominem contra mundi ordinem a Deo constitutum, ac necesse esse in prooemio semina spargi reliquae tractationis. Quod potest facilius explicari : in prooemio enim demonstratur summa hominis fragilitas et ignorantia; his opponitur firmitas, constantia, obscuritas rerum a Deo factarum. Iam consequitur, *si* ille transire fines suos conetur et altiora se quaerat, ut opprimatur Dei potentia ac maiestate. Cuiusmodi vanos conatus a v. 12 incipiet proponere.

Vv. 8-11 *paullo uberius enarrantur.*

De v. 8 recte *Rosenm.* : « Omnes res fatigantur, h. e. in perpetua versantur vicissitudine, qua quasi fatigantur ». Nec multo aliter *Gr.*, item *Del.* : « Omnes res in ac-

tione perpetua et quadam festinatione versantur, quam videns defatigari eas dixeris ». Non debet autem in vertendo versu nimis ipsa occupatio efferri, sed presse insisti in ea significatione, quam habet ceteris locis יְגֵעַ; magis enim consentaneum est poeticae Ecclesiastae dictioni, qui supra dixit solem anhelantem currere. Ergo quod *Del.* nude reddit versum : « Omnes res in actu sunt, nullus homo potest eas edisserere... », sententiam reddit, non affectum poeticum. Melius : Labore fatigantur, vel : defatigant se res universae, vel (ut *Wr.*) : « lassatae sunt », quod quidem (ut ipse quoque addit) non ad quoddam animi *fastidium*, refusum in res inanimas, spectat, ac si fatigato hominis animo omnia videantur fatigata (sic voluerat Perowne), sed ad constantem rerum naturalium actionem pertinet, quam poeta dicit earum defatigationem; nihil igitur aut in hunc locum aut in omnem librum ingerendum est fastidii, languoris, mollitiae, quae ab homine strenuo aliena sunt. Exquisitius quam verius, ut puto, *Mot.* vertit : « Omnes res usque ad fatigationem agitatae sunt ab homine » et enarrat ita : « L'homme a travaillé opiniâtrément toutes choses au point de les fatiguer, pour ainsi dire; il a remué et remue encore toutes les questions. » Quam sententiam rursum in his prooemii versibus *latere*, non *expressam* esse nos arbitramur.

Alii vim vocis quasi transitivam esse volunt : *lassans*, *difficilis*, ut *Hier.*, *Corn. a Lap.*; adde *Kimchi*, *Vaih.*, *Zoeckl.* Hic comparat, latine quoque « triste » illud saepe dici, quod afferat tristitiam. Sed nec ceteris locis vox illa sic accipi potest nec ad huius versus rationem est omnino conveniens dicere : res omnes homini afferunt laborem. Nam cum superiora exempla rerum ipsarum laborem et contentionem ostenderint, hic idem intelligi debet, praesertim cum nulla particula iungatur v. 8 cum v. 7; alioquin hiulca fit argumentatio scriptoris, ut tantummodo proverbium proverbio nullo vinculo nexum videatur. Atque repugnat, opinor, quod eodem versu *negatur oculum satiari*; dicendum fuerat, nimia difficultate fatigari atque obtundi, si quidem fatigationem habet rerum contemplatio. Sequitur igitur, ut sensus rerum naturalium perceptione *animum* in avidam nec unquam satiatam cupiditatem (non vitiosam *fortasse*) abripiant. Ergo rerum contemplatio non fatigat, sed acuit animi cupiditatem, sensusque menti servientes nunquam exsatiantur rerum mirabilium cognitione semper imperfecta.

Multi « verba » pro « rebus » vertendum esse censuerunt, estque haec significatio vocabuli hebr. multo usitatior. Ita *graeci* interpretes (etiam Symm. et Aq.; apud LXX, qui hebr. imitantur morem, sane « verba » saepe « res » significant) et *Syr.* et recentiores plurimi. Eorum quidam, ut *Win.*, de *Wette*, *Knob.*, verba dicunt fatigantia, i. e. nimii esse laboris. Sed quoniam non apparet, cur verborum subito fiat mentio. *Hitz.* ea sic explicat, ut intelligatur rerum enumeratio : eundem esse verborum et rerum proprietatumque numerum, et sic verba omnia sive verborum omnium summam afferre fatigationem, ut rerum universarum enumerationem. Quod artificiosius est ac minime necessarium, quia v. 10 et alibi saepe vox illa rem significat, non verbum; et quidem v. 10 prorsus *idem illud inenarrabile*, quod hic, intelligitur. Inter veteres *Symm.* et *Aq.* ponentes λόγους κοπώδεις (κοπιῶσι), LXX ἐγκόπους videntur voluisse « difficiles, fatigantes » interpretari. Ita quidem explicat *Nyss.* : « Quam videt in verbo difficultatem?... Illi ergo sermones, qui suo sunt digni nomine, qui ad animarum fructum hominumque utilitatem diriguntur, pleni sudoris sunt et laboris ac fatigationem affert partus eorum »; vocat etiam κοπιῶντας λόγους, i. e. sermones laborantes, nam huius verbi vis in N. T., unde ille depromit verba Pauli (Tim. 2,2,6 et 1,5,17), haec est : laborare, operam dare. Eundem in modum *Olymp.* : « Omnia verba difficilia sunt, quae de certa rerum notitia proferuntur, quia non possunt homines quantumvis magna pollentes vi ingenii omnem scientiae comprehen-

sionem consequi ». Tametsi illa adiectiva graeca et verbum κοπιᾶν etiam pro passivis vel neutris accipi possunt, ut sonent *lassum, lassari*. Et sane *Greg. Thaum.* scripsit: *modo et utilitate* carere hominum verba vel facta (hoc alterum de suo addidit minime incongrue); e qua explicatione concludendum videtur, λόγους ἐγκόπους intellectos esse : a iusto modo deficientes, ineptos, languidos. Atque eadem fere est opinio complurium recentiorum : *Ew., Elst., Hengst.;* qui languescere dicunt in rerum naturalium explicatione sermones humanos, quod earum pulchritudinem, vim, rationem nullo modo assequantur. Prorsus singulare est, quod habet *Hahn* : verba vi effectrice divina carere eamque causam esse, cur homo, quod velit et optet, adipisci suumque explere desiderium et corrigere mundum depravatum nequeat. *Chald.* interpres difficultatem refert ad praevisionem rerum futurarum.

In tanta opinionum dissensione tenemus 1) vocabulum דְּבָרִים de rebus, non de verbis accipiendum esse; id et linguae ratio admittit et post vv. 4-7 sua sponte offertur et congruit cum vi eiusdem vocis v. 10; contra *verborum* difficultas vel languor nimis subito infertur et eodem versu inepte repetitur (ac si dicas : omnes sermones difficiles vel languidi; non potest homo sermocinari), et praeterea vv. 10 et 11 idem דָּבָר rem denotet necesse est. Deinde 2) verbum יְגֵעִים intransitive vel neutraliter usurpatum arbitramur, quia altera significatio, per se ipsa quoque minus probabilis, non affert sententiam meliorem. Nam etiamsi ad res (non verba) difficultatem molestiamve pertinere dixeris, non apte post v. 7 sic pergitur : « denique res omnes difficiles sunt », quia in ceteris rebus difficultas nulla indicata est, ut nunc addatur : ita de omnibus existimandum esse. Praeterea vim adiectivi neutralem non sic accipimus, ut *verba* sint *languida*, propterea quod nec de verbis nec de eloquendi inopia satis apte hoc loco iniicitur mentio. *Res* vero ipsas languescere etiam minus placet. Hoc enim aut ex taedio hominis in res translato derivatur, id quod nimis mollem ac femineam mundi considerationem demonstrat, aut in rebus ipsis inesse dicitur, id quod declarari vix potest. Unum audiamus eumque habilem eius sententiae defensorem *Pin.* : « Cum talia sint », inquit, « rerum principia et humanae vitae quasi fundamenta, ut assidue agitentur et in orbem agantur [quemadmodum vv. 4-7 descriptum est], quid de ceteris deinde rebus [v. 8] expectandum putas? Omnes enim continua agitatione, inconstantia et motu lassatae sunt... cunctae res multo labore movendi et circumeundi lassatae et fatigatae sunt, difficiles et graves, non tam quod saepe repetant easdem vias, quam quod, si sensum haberent, frustra repetere nollent, multo et irrito labore iam lassatae atque adeo prae sua infirmitate prope iam deficientes et evanescentes ac veluti ruinam interitumque minitantes et ad vivum repraesentantes vanitatem cordis humani, quod quamvis eadem saepe studia eademque voluptatum domicilia iteratis circuitionibus repetat, nunquam inveniet veram animi requiem aut verae gustum voluptatis ». Verum haec argumentatio suum ipsius nescio quod vitium aperit, ut mihi videtur; superiorum enim versuum incerta nec probabili explicatione nititur; contra ex vera sua sponte etiam

versui octavo lumen affertur. In sole, ventis, fluminibus nullus languor aut defectus, nulla vanitas aut vitiositas descripta nec intelligenda est, sed omnia contraria. Quid enim in universo mundo sole celerius, constantius, salubrius, divinius etiam, si ethnicarum gentium sensus spectetur? Ergo si mundi vanitas ostendenda fuit, cur hoc potissimum exemplum allatum est? Nec excusatio ulla praemittitur in hunc modum : ea propono in quibus minimum videatur inesse vanitatis, insit tamen permultum; contra post manifestum interitum hominis exempla minime omnium idonea terrae, solis ceteraque sine ulla interitus significatione, immo vero cum perpetuitatis demonstratione afferuntur. Et re quidem vera in terra, sole, ventis, fluminibus, cum (hominibus aliis atque aliis spectantibus) per saecula omnia maneant, et revirescant vel renascantur, nec admodum immutentur, nihil fere vanitatis cernitur praeter motum, qui tamen sit et pulcherrimus et saluberrimus. Philosophiae ac theologiae rationibus uti debet, qui haec caduca atque manca esse probare velit, quas rationes Ecclesiastes tantum abest ut persequatur, ut eas perpetuitatis demonstratione removere a nostra consideratione videatur. Quae cum ita sint, quod v. 8 pergit : « Res omnes... » nihil potest velle annectere de rerum, sed de hominum vanitate. Nec facile intelligitur, quod habet Pin. : « Haec [ipsius] procul dubio simplex germanaque loci intelligentia et nexus lenissimus et quem videtur indicasse R. Haccados, qui in eo collocat rerum difficultatem et lassitudinem, quod in circulos semper novos agantur, praeteritarum circulationum oblitae ». Nihil hoc aut rebus affert lassitudinis aut homini prudenti fatigationis aut fastidii. — *Del.* quoque et *Wr.* in simili errore versantur, qui quidem rerum inutilem aequabilitatem afferre taedium, et earum perpetuam agitationem transferri in hominem volunt. « Hoc ipsum », inquit ille, « exemplis quattuor ostenditur, inquietam quandam omnique manifesta absolutione ac fine carentem in hac tota mundi fabrica observari eorundem effectuum inchoationem ac repetitionem... Quae agitatio rerum mundanarum refunditur in ipsum hominem, res perpetuo renascentes contemplatione prosequentis; nullus enim sermo humanus ortus interitusque per orbem repetitiones, itiones ac reditiones omnes complecti potest tantaque rerum turba incurrit, ut nec oculus videndo nec auris audiendo exsaturetur ». Sed haec exilis profecto sententia, quae ad demonstrandam rerum inanitatem, in ipso exordio libri, parum sit efficax, minimeque ad id perficiendum opus est tam exquisita et, ut vere res se habet, falsa argumentatione. Verum est enim, effectus illos legum naturalium admirationem potius debere excitare, quam fastidium ipsosque pulcherrimos esse potius quam vanos.

Quapropter hoc sequamur : 1) in vv. 4-7 *humanam* tantum vanitatem, mortalitatis potissimum, contrario exemplo effectuum quorundam stabilissimorum naturae inanimae comprobari, in qua argumentatione illa veritas est gravissima, quod homo, quem immortalem

esse oportebat, nunc corpore studiisque suis terrenis fragilior atque imbecillior est magnis illis naturae molitionibus; 2) eam probationem a scriptore v. 8 resumi : « res *omnes* similiter agunt, agitant, fatigant se (ut sol, ventus, flumina) ad effectus humanis praestantiores efficiendos »; deinde per incrementum argumentationis pergit : « ne ad eloquendum quidem, nedum ad imitandum valet homo; deficiunt enim ipsius cognitionis instrumenta, quibus quantumcumque percipitur atque hauritur, non efficitur tamen perfecta ullo modo comprehensio, propterea quod inexhausta manet rerum multitudo, incognita earum intima natura, stupenda semper mirabilitas ». Itaque hac altera parte prooemii animi humani imbecillitas sapientiaeque vanitas proponitur, itemque contraria rerum inanimarum magnificentia illustratur. Pulcherrime autem sibi constat oratio, qua ostenditur, easdem illas res inferiores, quae illudere videantur hominis *mortalitati,* illudere etiam *ignorantiae*. Atque in hac exaggerata aliquatenus probandi ratione, rursus sentitur ingens illa scriptoris humanam miseriam lamentantis commotio. Nihilominus etsi non *omnia* vera, nihil tamen falsum pronuntiat; nam etsi nostra cognoscendi facultas multo excellentior est rebus omnibus naturalibus atque ad supernaturalia etiam percipienda idonea, tamen ipse Deus retundendae superbiae causa multis in rebus impediri passus est illam facultatem sic, ut turpitudinem ignorantiae non sentire vix possimus; illudunt igitur nobis aliquatenus ipsae res sensus expertes. Apposite autem ad dictionem poeticam scriptor non proprie intellectum, sed sermonem et sensuum perceptionem deficere dixit; haec enim externa sunt et imaginem offerunt hominis in rerum contemplatione tacita obstupescentis et apertis oculis arrectisque auribus tantum *mirantis*. Praeclare igitur id, quod etiam *Elst.* notavit, non additur obiectum verbi eloquendi (hebr. abest illud « eas » v. 8); nescit enim homo quodammodo, quid illud mirabile appellet, atque adeo vox ipsa haeret, ut si velis obiectum addere, vertendum sit *id* vel *illud* (nescio quid), non *eas* (res). Congruit appellatio אִישׁ pro אָדָם, ut apud LXX ἀνήρ pro ἄνθρωπος; intelligendus enim ὁ σφόδρα ἀνδρεῖος, quemadmodum *Olymp.*, vel κἂν ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ὦν τύχῃ, quemadmodum *Nyss.* ait, id quod auget loquentis affectum, de quo recordari semper debemus. Iuvat *Nyss.* amplificationem huius versiculi audire : « Coelum », inquit, « aspicimus, astrorum splendorem sensu percipimus, terram pedibus calcamus, aera ore trahimus, aquam ad naturae usum adhibemus, ignem ad vitae communionem assumimus : at cognoscere si quid horum volumus, quid quidque sit eorum, quae apparent, unde et quomodo subsistat — non valet homo ad loquendum... Neque enim ab ea, quae per oculos animo infunditur, rerum

aspectabilium contemplatione unquam cessat visio, sed semper intuentes, quasi nondum conspicati, ignari manemus earum rerum, quae sensu percipiuntur. Colorem visio pervadere non potest, sed modificatur tantum virtus eius specie rerum externa atque aspectabili, ob eamque causam dicit : Non satiabitur oculus visu nec auris auditione impletur! Auditus enim verba de singulis rebus suscipiens, non habet tamen eam ipse naturam, ut impleatur. Nulla profecto invenitur oratio, quae id, quod quaeritur, accurate perfecteque comprehendat ». Idem S. Pater concludendum esse docet, quanto simus futuri imbecilliores, si velimus res ab aspectu et auditione remotas atque adeo divinas scrutari : « Quaevis », inquit « sermonis sublimitas et magnificentia obscuritas quaedam et silentium est ».

Adverte, non *tam,* hoc quidem loco, de vitiosa, quam de naturali aviditate sensuum agi, et potius supra sensus eminere rerum admirabilitatem, quam cupiditati vitiosae non satisfacere; inopiam autem non in rebus esse nec proprie in sensibus, sed in cognoscendi facultate generatim, neque ad recipiendum, sed ad comprehendendum facultatem deficere. Quamobrem male *Rosenm., Hengst.,* alii in sola vitiosa hominis cupiditate vel in ipsarum rerum inanitate causam positam esse dicunt, cur non exsatientur sensus. Nec enim sensus infimi nominantur, in quibus et cupiditas maxima sit et minima capacitas, sed supremi, qui potissimum intellectui deserviant, ut in hoc esse vitium facilius intelligamus. Deinde vitiosae vel etiam sordidae cupiditatis mentionem fieri, nec verba declarant nec huius est loci; *post* exordium de illa dicetur.

Totus v. 8 quarto respondet, inverso ordine incisorum ; illic : homo labilis praeterit — terra stabilis permanet, hic : rerum fervet constans actio — hominis sequitur ignara admiratio. Illic tribus aliis versibus (5-7) idem inculcatur, hic respondent vv. 9-11; sed forma tamen dictionis paullum differt : illic singulis versibus utrumque contrarium exprimebatur, hic duobus versibus prius incisum v. 8 amplificatur, ultimo (11) alterum incisum. Sed vi non minore humana imbecillitas et octavo et undecimo versu, magna etiam verborum abundantia, pronuntiatur. Nam v. 9 nihil nisi amplificantur illa superiora כֹּל־הַדְּבָרִים יְגֵעִים : res constantem habent et immutabilem actionem, idque ter repetitur : idem et est et erit, idem et fit et fiet, nihil novatur. Nec quod res novitate carent, id in ullo earum vitio ponitur, sed in laude magna; nam rem perfectam immutari vitiosum est. « Perfecta autem », inquit Hier., « mundi administratio ab initio sic est, ut requiesceret Deus ab operibus suis die septima ». Et morosa profecto querela sit, si scriptor novari cupiat quidquam in pulcherrima

ac saluberrima naturae actione; id ei male ab interpretibus attribuitur, toti contrarium argumentationi, qua pudorem homini iniicere vult rerum demonstrata felici constantia.

Illud quoque נַעֲשָׂה (factum est) v. 9 non ad humana opera (ut censuerunt *Pin.*, *Del.*, *Wr.*, *Zoeckl.*, *Elst.*), sed ad effectus naturales referendum est. Latini interpretes promiscue de utrisque dictum volunt; at de homine profecto hic non quaeritur. Sed הָיָה est *esse,* deinde נַעֲשָׂה *effici;* repetitio vim potissimum oratoriam habet. — Verba תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ (sub sole) mira videri possunt, quia hoc toto loco *sol* includitur et includi debet in seriem rerum naturalium, ac tamen hic *excludi* dixeris. Dicendum est igitur, istam formulam, ut iam v. 3 et infra saepius, ipsum etiam solem complecti et sic sonare : *in mundo solari, in hoc mundo, quem sol illustrat regitque.* Cf. Iob 40,12 (7) : « contere impios sub se », i. e. suo loco, in sua sede, suo quasi regno; item ergo interpretare : eo loco, in eo mundo, qui solis est. Aut dicendum est, tropice dici « sub sole » pro « in universo mundo », sed id minus aptum est eo, quod sol paullo ante *proprie* usurpatus est. — V. 10 יֵשׁ opponitur illi אֵין, quod modo praecessit, ac simul illi, quod v. 11 sequitur, et exsistit figura praeclara : *non est* novi quidquam — *esse* quidem videtur — at *non est* nisi per humanam ignorantiam. Acris porro irrisio est in *directa* imitatione verborum, quibus homines admirabundi instar puerorum inter se compellant : « ecce tibi, istuc novum »[1]! atque etiam in asyndeto, quod sequitur : « pridem fuit et quidem frequentissima saeculorum repetitione ante nos factum est », ut hic quoque, quanta sit commotio scriptoris, sentiatur. Item in proximo asyndeto, quasi ita respondeat : « Facilis solutio est dubitationis : memoria deficit! » i. e. in nostra ignorantia tota causa posita est. Prorsus autem abs re est, v. 11 sic intelligere : *homines* in oblivionem veniunt; imo vero *res* oblivione obruuntur; de hominum enim *mortalitate* dictum est priore parte prooemii, hic memoriae debilitas, ex illa consequens, explicanda est. Nec tamen רִאשֹׁנִים pro neutro accipiendum est, sed ad דֹּרֹת spectat, uti symmetria huius versus cum decimo (יֵשׁ־אֵין) exigit; ultima autem vox אַחֲרֹנָה, quae feminina terminatione est, pro neutro ponitur. Quod לָהֶם post ipsum substantivum repetitur, emphasin habet; vult enim scriptor sententiam eo modo gravius inculcare; in simili genere supra exempla complura vidimus, quae cum affectu lyrico vel oratorio coniuncta sunt.

Etiam in his versibus (9-11) explicandis solet idem, qui in priore parte exordii, serpere apud commentatores error, ut mihi videtur,

1. Contra accentum masoret. *Del* et *Zoeckl.* pulcherrimam aequalitatem binarum vocum divellunt, cum hebr. זֶה separant a רִאשׁוֹן et ad duo vocabula proxima trahunt.

manifestus. Velut *Vr.* haec verba affert Senecae, ad *rerum vanitatem* ostendendam accommodata : « Nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia, fugiunt ac sequuntur. Diem nox premit, dies noctem, aestas in auctumnum desinit, auctumno hiems instat, quae vere compescitur. *Omnia transeunt, ut revertantur,* nihil novi video, nihil novi facio. *Fit aliquando et huius rei nausea.* Multi sunt, qui non acerbum iudicent vivere, sed superfluum. » Non est haec sententia, non hic affectus Ecclesiastae. Qui non profecto huiusmodi rerum fastidium viro satis indignum prae se fert, sed ignorantiae nostrae moderatam deplorationem eloquitur. Nec omnia ita transire queritur, ut inutiliter revertantur, sed ex pulcherrima legum naturalium constantia et simplicissima magnificentia pudorem afferri censet homini, qui sua culpa (ob peccatum primum) instabilis sit et eventorum usitatissimorum ignarus. Nec porro negat *a nobis* fieri aliquid novi et vere utile, ac si emendare res ac proficere nullo modo possimus ducamurque nescio qua constanti necessitate, quemadmodum res inanimae. Multo etiam minus Epicuri et Stoicorum recursum per orbem omnium rerum docet, quam opinionem etiam indicari Senecae verbis forsitan dixeris. Itaque *S. Hier.* « Nec putemus », inquit, « locum invenire Epicurum, qui asserit, per innumerabiles periodos eadem et eisdem in locis et per eosdem fieri. Alioquin et Iudas crebro prodidit et Christus passus est saepe pro nobis... sed dicendum, quod ex praescientia et praedestinatione Dei iam facta sint, quae futura sunt. » Quamquam nec hac ipsa excusatione nec ulla alia opus est, cum nihil simplicius veriusque sit, quam quod est in quaestione : naturae leges esse constantes.

Quae commenta de mundi aeternitate ad hunc locum etiam Caietanus proposuerit, vide sis apud Pinedam et a Lapide (ad v. 9). Sed hic ipse quoque, cum suam sententiam declarat, ea affert, quae ab Ecclesiaste aliena sint. « Ecclesiastes hic redit »,inquit, « ad thema ab initio propositum, scilicet, ut probet omnia in mundo vana esse ex eo, quod omnia eant in orbem...; esto futura iis, qui praeterita non viderunt, videantur nova, sunt tamen antiqua, visa et trita iis, qui olim vixerunt... Dicit hoc Ecclesiastes, ut retundat hominum vanitatem vanamque curiositatem, qua vetera fastidientes semper novis inhiant... hoc enim est thema, quod ab initio huc usque probari contendit, esto versu praecedenti *obiter quasi parenthesi* iniecerit aliud vanitatis argumentum, scilicet rerum ad fruendum et cognoscendum difficultatem ». At primum non tam de fruendi, quam de cognoscendi difficultate modo loquebatur; nam « omnes res » necesse est intelligi similes earum, quae ante positae sunt, quae proprie ad *contemplandum* tantummodo invitant; congruit, quod eas ad *eloquendum* difficiles dicit, ac deinde

de *novitate* agit multis verbis, postremo *memoriae* iniicit mentionem. Ergo ne hoc quidem verum est, toto prooemio idem tractari, quandoquidem antea mortalitatem hominis proposuit, quae plurimum differt ab ignorantia. Porro etiamsi verum est, aliquam apparere vanitatem in eo, quod res in orbem eunt, tamen vix intelligitur, cur id tot verbis tam vehementer deploret, quia est sapientissima Dei actione saluberrime constitutum, praesertim cum non in recursu rerum, sed in interitu aliisque rationibus multo manifestior deprehendatur vanitas. Cur igitur in illo uno inhaeret? Cur exempla seligit, quae minimum omnium ostendant vanitatem? Postremo illa moralia de hominum cupiditate et curiositate nusquam adhuc directe proponit, sed potius in sola consideratione fragilitatis humanae versatur; non agit, vel potius, nondum agit admonitorem morumque censorem, ut carminis potius quam orationis formam prae se ferat prooemium. De reliquo non est negligendum, quam apta efficiatur nostra explicatione vanitatis universae, quatenus ad hominem spectet, divisio; demonstratur enim, hominem et corpore mortalem esse et animo ignarum, e quibus duobus consequitur, ut nec vita terrestris nec sensuum aut intellectus bona magni facienda sint. Exordii autem ratio bene servatur, propterea quod nihil adhuc dicitur de *studiis perversis* hominum, sed tantum qualis sit homo, cum Dei potentia, qua regitur mundi cursus, comparatus; ii ergo ipsi, qui inituri sunt quandam inter se pugnam, *Deus rector mundi* et *homo,* descripti sunt, pugna ipsa describetur.

d) Quaestiones communes.

Iuvat etiam de *modo* interpretandi tum prooemii tum libri haec pauca notare. Veteres multi sunt in allegorica de verbis sacris meditatione, quae, etsi utilissima est, nihilominus iusta explicatio atque enarratio dici non potest, ac tamen sua nec utilitate nec ratione quadam subtiliore caret. V. g. « solem » paene omnes accommodant ad Christum Dominum, qui « illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum ». Quod et per se pulchrum et tamen ab Ecclesiastae sententia alienissimum est. Nihilominus hoc tenendum censeo : Salomonis et personam et doctrinam quodam modo adumbrare Christi personam et doctrinam; nam de altero communis semper in Ecclesia persuasio fuit, alterum autem ex illo licet deducere. Itaque non sine causa *Greg. Nyss.* et *Olymp.* Christum dicunt esse verum Ecclesiasten, qui congregarit docueritque Ecclesiam; Eius esse figuram huius libri scriptorem vanitatisque omnium rerum praedicatorem. Sed aliud est *generatim* hanc vel certam vel probabilem adhibere accommodationem, aliud est talia in *enarrando* scriptore tractare, in quae fortuito nescio qua specie

similitudinis pia inciderit mentis cogitatio. Velut sol ille v. 4 re vera sic usurpatur, ut necesse sit eum de re *tantum* creata atque hominibus inferiore intelligi; abhorret igitur ab hoc loco, quae de Redemptore disputant. Praeclare *Hugo Vict.* : « In hoc opere », inquit, « non multum ego laborandum existimo tropologiis sive mysticis allegoriarum sensibus per totam duntaxat narrationis eius seriem perquirendis, praecipue cum ipse auctor hic non tam moribus instruendis vel mysteriis enarrandis intendat, quam cor humanum ad rerum mundanarum contemptum manifesta rationum veritate atque exhortatione evidenti commoveat ». Quamquam idem concedit, « multa [?] huic narrationi mystica inserta... et ex accidenti mystice dicta et spiritualiter intelligenda esse ».

Idem apposite : « Sciendum est », inquit, « hunc librum novum quoddam expositionis genus requirere, quia cum *totus ad commovendos affectus* cordis humani intendat, saepius in eo quasi colloquendo, quam exponendo sermonem formare oportet. Unde necesse est in iis etiam aliquando, quae plana et aperta videntur, diutius verbis immorari, ut ipsa sermonis inculcatio validius tangat et efficacius penetret cor audientis. Qui aliter hanc Scripturam tractare voluerit, etiamsi commode intelligentiae audientium servit, vim tamen proprietatemque non retinens, minus fortassis proficit ad aedificationem ». Magna profecto commotione hic liber scriptus est et ad excitandos animorum motus accommodate; ex quo efficitur, ut commentatori necesse sit illum ipsum ardorem scriptoris apte ad inflammandos animos explicare, aut periculum erit, ne ipsa sententia non integre percipiatur. Etsi enim verum est, in enarrando libro non tam morum fructum, quam mentis intelligentiam quaeri, tamen tanta hic est elatio atque altitudo orationis, ut multa inusitate atque ardenter dicta neglecto illo animi affectu satis explanari non queant. Accedit, quod plurimi *interpretum errores* ex hoc ipso fonte manarunt, et in sublimitate dictionis, affectui accommodatae, una ex praecipuis *libri difficultatibus* collocanda est.

Etiam quaedam *poetica* prooemii ratio interest ut agnoscatur, cum ad recte explicandum Ecclesiasten sit aliquanti momenti. Praeter ardorem illum affectus dictio quoque ipsa singularis est, quae translationum ac figurarum plena sententias sub sensus videtur subiicere et longe a nuda philosophorum disceptatione abhorret. In quo genere *poeticae* orationis etiam hoc pono, quod saepe per singularia proponuntur communia. Ut id exemplo prooemii illustrem : solis, venti, fluminum stabilitas laborque perpetuus describitur, sed haec generatim de *legibus naturalibus* intelligenda esse, etiamsi non adderentur illa : « res omnes... » (v. 8), tamen satis constaret; poeticum est enim singula sub oculis ponere, quibus genera tota illustrentur. Sequitur porro, id quod ad rem magnopere pertinet, leges ipsas naturales amplissime esse accipiendas, ut *universum mundi rerumque* hominis potestati non subiectarum *cursum* complectantur. Quod quidem scriptor nullo adhuc verbo significat, sed tota loci sententia demonstrat. Nam hominum singulorum mortalitas comparatur cum perpetuitate eius ordinis, qui est extra ipsum, quem nec constituit nec mutare

ullo modo potest. Item ignorantia hominis comparatur cum divina sapientia, qui illum ordinem condidit atque administrat; sapientissime enim a Deo omnia facta esse et fieri, profecto scriptor non negat nec huc suam refert vanitatem. Continetur autem divina mundi administratione etiam *malorum* tum in rebus tum in moribus *permissio*. Quae quoniam homo saepe fert aegerrime cupitque corrigere nec tamen potest, sentit sibi molestam illam rerum a Deo vel factarum vel permissarum immutabilitatem. Atque hoc est, quod in toto *libro* enarrando praeter cetera attendendum est, quamquam ipsis verbis prooemii, in quo poetica imagine generatim tantum libri sententia proponitur et fundamentum iacitur reliquae structurae, non perspicue significatur. Sed ipse se scriptor explicat 3,1. 11. 14-15; 6, 10; 7,14 (Vulg.)[1]; 8, 6-8; qui loci si comparantur, clarissimum prooemio lumen affertur. Sic enim fere ibi, si omnia complectare, disputatur : « Deus rebus omnibus suum ordinem constituit, quem homo mutare nequit; quod eo consilio fecit, ut summum mundi rectorem colere disceremus; ipsa quoque intelligentia in quibusdam tenebris detinetur eiusmodi, ut opus Dei enarrare nemo unquam possit, et tamen vetusta sunt, quae fiunt sive voluntate sive permissu Eius, qui fortior est homine; quodsi quae res malae videntur et gravissimo pondere premunt mortales, eas invito Deo quis emendabit »? — Etiam statim versus tertii sententia, si ad universum *librum* accommodatur, simili modo est amplificanda atque ab auctore ipso amplificatur. Labores enim hominis vanos dicit eos potissimum (ut *Mot.* recte explicantem audivimus), quibus *illum infringere ordinem* conetur, vel cupidius scrutando abscondita, vel superbius moliendo grandia, vel acerbius deplorando adversa, vel aliqua cupiditate immoderata transeundo eam, quam Deus mortali homini ipsa rerum natura mundique cursu praefinivit, modestam *mediocritatem* et *patientiam;* quae ut copiose illustrentur, vide, quid maxime queratur Eccl., quid commendet : 1,13. 15; 2,11. 14 sq. 4,6; 5,11; 7,9-11. 22. 24. 30; 8,16. 17; 9,1-3. 11. 12. Quam autem deprimatur atque humilietur homo ea necessitate, qua a Deo concluditur atque constringitur (sive *ipsius* spectatur fragilitas sive *rerum* ineluctabilis incursus) acerrime describitur et quidem cum exaggeratione tragica notabili 3,16-22 : ritu bestiarum in hac terra transigi miserrimam hominis vitam. Illa autem *omnium* studiorum *moderatio* hac poetica *imagine* passim commendatur : satius esse homines edere et bibere, quam alta invito Deo tentare; satius, somni quietem conservare, quam inutili sollicitudine exagitari; satius, agro colendo operam navare, quam suis viribus non consentanea suscipere : 2,24 sqq., 3,12 sq. 22; 5,9-11; 6,7-9; 8,15; 9,7-12. At haec omnia, ut dixi, nondum aperte dicuntur in prooemio, cuius est *fundamentum* praebere reliquae tractationi; quamobrem hic ex altera parte hominis proponitur mortalitas, imbecillitas, ignorantia, ex altera rerum

1. In c. 7 versuum notatio hebr. uno numero differt.

cursusque mundi pertinax quaedam humanisque viribus longe altior stabilitas. Sed quae *pugna* saepe inter hominem legesque mundi s. Providentiae exsistat, id adhuc non tangitur.

Quodsi quis veretur, ne sobria eademque fortia studia, modesto consilio ex Dei voluntate suscepta, parvi fieri ab Ecclesiaste videantur, legat 11, 1 sqq. ubi iubemur omni et tempore et loco, sive opportuno sive importuno, « spargere semen », spes nostras interim Providentiae commendantes, laeti, sed iidem memores, « pro omnibus his a Deo nos adductum iri in iudicium ». Pietatem quoque veram commendat; nam *de Deo cogitantes* vult nos cibo potuque uti (ll. cc.) et omnem ab adolescentia moderari cupiditatem cogitatione *discessus ex hac vita nostri et ad Deum reditus* (12,1 sqq.).

Neque vero illam immoderationem, quam vituperat, continuo ac semper talem concipere debemus, quae cum Dei *offensione* coniuncta sit; immo vero *saepe* ille impetus tantum naturalis est ac peccato caret, *saepe* illud magnarum rerum studium ex errore ignorantiaque proficiscitur, *saepe* ille dolor de vitae molestiis declinari a nobis vix potest. Itaque vanitatis potius atque inanitatis, quam peccati consideratione nos Ecclesiastes in modestiae gyrum redigere conatur : eum, qui se magnum aliquem esse *tacita saltem cogitatione et studio* cupiat ac speret, dehortatur proposita laborum humanorum sterilitate, vacuitate, fragilitate, quam quidem persuadere ei studet mortalitatis et ineluctabilis necessitatis a Deo constitutae meditatione.

Atque hic quaeri potest de universa etiam sententia et tamquam idea libri, sitne v. 2 vere et apte enuntiata. Ipsum enim scriptorem his verbis argumentum totius tractationis vel orationis voluisse complecti, efficitur a) vehementia affectus, qua ea verba interposito etiam cum emphasi nomine suo eloquitur; b) eorundem repetitione in extrema disputatione 12,8 : « Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas »; c) ex eo quod similia toto libro sparsa inveniuntur, velut 1,14. 17 sq.; 2,1. 11. 17. 19. 23 atque ita porro, vel verbis iisdem vel saltem sententiis. Iam vero ex his omnibus locis cognoscitur, res in *terra* (sub sole) positas et in terra *intereuntes* ob id *ipsum* vanas dici; ergo ex fragilitate ac brevitate rerum corruptibilium, quanta sit earum inanitas, probatur. Sed hae omnes *eatenus* vanae dicuntur, quatenus ad *hominis* felicitatem *perfectam* et *permanentem* referuntur; id tum disputatione procedente fiet manifestum; tum ex primo capite cognoscitur, ubi v. 3 labores, vv. 8 sqq. scientia *hominis* vana pronuntiatur. Quae cum ita sint, versum secundum sic, ut dictum est, circumscribi oportet, ut principalis libri sententia recte eruatur. Praeter cetera animadvertendum est, caduca tantum et mortalia, minime vero ea, quae post mortem hominem comitantur, intelligi. Comparatur autem humanarum rerum fragilitas cum stabilitate globi terreni (vv. 4 sqq.) et operum naturae, quae, quamvis mutabilia, *generibus* spectata manent; in eorum singulis autem, cum nihil habeant personale, fragilitas non ita valde attenditur. At illud luctuosum est, *hominem*, quamquam animi immortalitate ac virtutibus et supernaturali etiam elevatione omnibus rebus se scit esse

multo praestantiorem, corpore tamen studiisque terrestribus nec stabilitatem naturae imitari posse nec effectus eius intellectione assequi nec, ut infra patebit, in vera pace, felicitate, bonitate consistere. In his igitur potissimum vanitas continetur. Vanum est enim, ut *Greg. Nyss.* definit, quod in nullo genere utilitatis versatur. Iam vero utilitatem nullam homini summa laborum suorum, cum moriendum est, affert (*quatenus quidem* ipse tempori, non aeternitati servivit); quin immo praesens etiam vitae utilitas nulla dicenda est, quia cito fluit « irreparabile tempus », nec aut cognoscendo intellectus curiositas satiatur, aut operando agendi studium expletur, aut fruendo sensuum cupiditas sedatur, atque adeo infelicior *quodam modo* homo est ceteris vel animantibus vel inanimis, estque haec ipsa causa, cur tam multiplici lamentatione impleat orbem terrarum.

Quae si ante oculos habueris, facile erit de universo libri argumento recte pieque existimare. Sed quoniam ad eius intelligentiam maximopere pertinet, quid de prooemio sentias, idcirco vel necesse vel utile arbitror esse, aliquanto etiam uberius in eo explanando versari. Proponitur enim haec quaestio de secundo versu a plerisque veteribus, qua ratione licuerit scriptori res omnes vanas dicere, cum tamen opera Dei bona sint et ad usum utilem a factore sint condita. « Revera enim », inquit *Nyss.*, « in eum qui procreavit omnia, transeat accusatio, si earum rerum, quae nihil nisi vanitatem habeant, opifex nobis existat Is, qui eas, cum non essent, condidit ». Respondet idem : « Sed quoniam duplici homo constat structura, corpore animoque concurrentibus, vitae autem genera propria his partibus, quae in nobis cernuntur, mutuo sunt attributa — est enim alia animi vita, alia corporis et haec quidem mortalis et caduca, illa doloris expers atque interitus, porro haec praesentia spectat, illa ad aeterna dirigitur — quoniam igitur plurimum differt inter mortale et immortale, inter temporale et aeternum, huc refertur vox Ecclesiastae, non oportere hanc sensuum intueri vitam, quae si ad veram vitam comparetur, nihil habeat veritatis aut firmitatis ». Itaque *animi* studia maxime propria, quae ad immortalem vitam spectant, Ecclesiastes minime criminatur (cf. 12,1-7); de iis dumtaxat, quae in rebus terrenis versantur, loquitur. « Sed nihilominus », inquit ille, « dixerit quispiam, ne illam quidem orationem vacare accusatione Creatoris, a quo sint et animi *et corpora*; quandoquidem si carnis vita reprehenditur, carnis autem conditor Deus est, in illum necesse est huiusmodi vituperationem transfundi ». Respondet : suam etiam sensuum carnisque actioni bonitatem consistere, nisi homo *cupiditate* in eam se totum immergat nec recordetur, qui finis rebus creatis a Deo sit propositus : « Sed haec nemo dixerit, nisi qui nondum ipse sit extra carnem necdum altiorem vitam diligenter suspexerit. Divina enim mysteria quisquis perdidicit, idem perspectum habet, propriam hominis vitam eiusque naturae maxime accommodatam esse illam, quae divinae naturae similitudinem praeferat, sensuum autem vitam, quae organorum actione corporeorum perficiatur, hoc habere a natura ipsa propositum, ut notitia eorum, quae sub aspectum cadunt, in cognitionem eorum, quae cerni oculis non possunt, animum inducat, quemadmodum Sapientia loquitur : A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri (Sap. 13,5). Verumtamen inconsiderantia humana non in iis, quae apparent, videt, quem admiretur, sed visa ipsa admiratur. Quia ergo in tempore agitur et ad interitum properat ista sensuum actio, hoc discimus per hanc vocem sublimem, eum, qui illuc solum oculos intenderit, *nihil* videre. Qui autem his rebus in eius, quod vere est, intelligentiam inductus erit,

et per ea, quae praetervolant, stabilem cognoverit naturam atque in considerationem eius, quod in perpetua aequalitate consistit, pervenerit, is vere perfecteque bonum viderit visumque possidebit. Idem est enim videre illud bonum ac possidere ».

Ex quo efficitur, cupiditatibus hominum ac vitiis potissimum res externas et corporeas sua spoliari bonitate atque utilitate, subiici autem vanitati, et si quid est peius vanitate. Quod eloquenter exsequitur. *S. Chrys.* (hom. 12 in ep. ad Ephes.) illa S. Pauli verba « In vanitate sensus ipsorum » explanans. « Quaenam », inquit, « vana sunt, nisi praesentia universa? de quibus dicit Ecclesiastes : Vanitas vanitatum, omnia vanitas. Dicet quispiam : Si vana sunt ac vanitas, quorsum tandem facta sunt? Si Dei sunt opera, quomodo vana sunt? Ac multa de his disputatio est. Sed audi, carissime. Non Dei opera ille vana dixit; absit. Non est coelum vanum, nec terra vana; absit. Non sol nec luna atque astra et ne nostra quidem corpora. Sunt enim haec omnia valde pulchra ac bona. Quid ergo vanum est? Ipsum audiamus Ecclesiasten profitentem (2,4 sqq.) : Plantavi mihi vineas, comparavi mihi cantores et cantatrices, exstruxi mihi piscinas aquarum; fuerunt mihi greges et armenta, coegi aurum et argentum et vidi omnia vana esse, atque sic ingeminat : *vanitas vanitatum, universa vanitas.* Prophetam quoque audi loquentem : *Thesaurizat et ignorat, cui congregabit ea.* Hac igitur ratione vanissima atque inanissima sunt praeclara aedificia, auri affluentis abundantia, mancipiorum greges in foro se iactantes, gloria ac fastus, elatio animi atque arrogantia. Haec enim omnia vana sunt, quod non Divini sunt, sed nostri opificii. Sed quamobrem vana? Quia finem non habent bonum. Pecuniae vanae, quando in voluptatibus consumuntur; quae vanitate liberantur, si in egenos distribuuntur... Vanum dicimus, quidquid ad nihil est utile. Videamus ergo, ne sint huiusmodi res humanae. *Edamus et bibamus; cras enim moriemur.* Qui finis igitur, amabo te, erit? Corruptio. *Vestiamur atque ornemur.* Qui finis? Nihil. Haec Graeci (gentiles) quoque aliqui sunt philosophati, at aliam sectantes vanitatem. Vitam enim prae se tulerunt asperrimam, sed nequaquam ad finem utilem spectantes inanem gloriam et honorem vulgi aucupati sunt. Quid est autem aura popularis? Nihil. Nam si ipsi pereunt, qui honorant, profecto multo magis ipse honor ». Cuiusmodi mala hominum studia Ecclesiastes, dum argumentum suum persequitur, saepe castigat fontemque vanitatis appellat. Demonstrat enim, frequenter ac paene perpetuo fieri, ut homo « nitatur in vetitum » sequaturque non moderata studia rationis, sed immoderatos impetus cupiditatum. Ita autem in *vanum* omnes conatus, Deo obnitente, recidere. Et in hac quidem vanitate imprimis eius oratio versatur.

Ac tamen in ipso *prooemio* vix quidquam vitii reprehendit, nisi velis v. 8 vitiosam sciendi cupiditatem agnoscere; sed id non est necesse. Item aliis locis plurimis non vitia reprehendit, sed rerum vanitatem deplorat. Alia igitur praeter eas, quae allatae sunt, defensio requiritur. Dicamus oportet deplorationem non continere accusationem, nisi indirecte, refundi autem reprehensionem non in auctorem naturae Deum, sed depravatorem hominem. Est enim praesens mundi rerumque caducarum conditio ex maledicto *peccati* et ex mortalitate, quae peccatum consecuta est, derivanda, ut illa accusatio in ipsum hominem refundatur, non in Deum transferatur. *Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es et in pulverem reverteris* (Gen. 3,17 sqq.). Quam poenam peccati cum et intelligeret et sentiret Ecclesiastes, sancte ac laudabiliter lamentatur mortalium in hac terra miseriam rerumque nunc depravatam conditionem vitaeque terrestris multiplicem vanitatem. Atque in hanc explicationem optime quadrat, quod a mortalitate *primum* ac principale argu-

mentum ad probandam vanitatem petit; nam peccati poena mors est. Alterum quoque, quod ex ignorantia humana derivat (1,8 sqq.), eodem pertinet. Nam ex peccato illud quoque consequitur, ut multo difficilior iam sit in rebus naturalibus perfecta cognitio, tum quia impeditior facultas hominis, tum quia perturbatior ordo rerum est, Dei maledicto et hominum malitiae suppositarum. Quamobrem ipse scriptor uno loco (7,30) omnem Dei iniuriam ab ea vanitate, quam tristissimam expertus est, his verbis excludit : « Hoc inveni, quod fecerit *Deus* hominem rectum, et *ipse* se infinitis miscuerit quaestionibus », i. e. ipse se vanitatibus ac difficultatibus illaqueavit. Atque haec eius verba insigni prorsus loco, in extrema parte secunda totius libri, posita ante oculos habere semper oportet. Ergo etsi vanae sunt res mundanae imprimis idcirco, quod eas homo vano amore, Deo invito, appetit, tamen etiam propterea, quod ipsa mundi vitaeque praesens conditio post peccatum primum depravata est, atque terra iam « spinas nobis et tribulos germinat », cogimurque « in laboribus comedere ex ea cunctis diebus vitae nostrae », usquedum « revertemur in pulverem ».

Nascitur etiam e generali illa hominis tum cupiditate tum ignorantia vitiosa *curiositas*. Ita fit, ut aliis pluribus huius libri locis humana *sapientia* vocetur vanitas, ut in ipso primo capite (v. 13) : « Proposui in animo meo quaerere et investigare *sapienter* (hebr. *cum sapientia*) de omnibus, quae fiunt sub sole. *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum* ». Ad id genus revocantur praeter ambitiosam sciendi cupiditatem nominatim tot falsae philosophiae deliramenta, tot hominum doctorum eorundemque superborum errores, tanta investigatorum naturae adversus divinam revelationem temeritas. Quodsi abest etiam vitii labes, quam manca sit tamen humana cognitio veritatis, in magna saepe sapientiae gloriatione, manifesto apparuit in Graecorum Romanorumque sapientibus. Satis est eorum de immortalitate et de summo bono acerrimas disputationes commemorasse. Recentiora autem tempora quam saepe viderunt etiam omnem scientiam desperantes, quam saepe de gravissimis vitae quaestionibus turpiter halucinantes! Eccl. ex huiusmodi erroribus *unum* potissimum tractat, ut supra explicavi (p. 11) : curiosam de *Providentia divina inquisitionem et criminationem*. Lege exempli gratia 8,9-9,9. Cuius vitii remedium proponitur : moderata laetitia honestusque usus huius vitae bonorum.

Sed praeter triplicem mortalitatis, cupiditatis, curiositatis aliam etiam res ostendunt vanitatem, quae penitus in ipsarum natura posita est, dico *mutabilitatis*. Tales enim a Deo factae sunt, ut in perpetuo motu versentur, oriantur, intereant. Sed haec rebus ratione carentibus cum sint prorsus naturalia, etsi vanitatem veram habent, nullam tamen vel turpitudinem vel ineptitudinem afferunt. In quam rem scite *Hugo Vict.* (hom. 1) : « Naturalem vanitatem, i. e. mutabilitatem, *aptam* dicimus, quod ex ordinata vicissitudine rerum transeuntium maior universitatis pulchritudo constat, maiorique commodo eius instabilitas dispensatur, quia in eo et fastidium rerum varietate mentibus humanis tollitur et decor, ut dictum est, universitatis augetur ». Contra est in homine cui promissa fuerit immortalitas etiam corporis; quo munere ipse se peccando privavit, ut ei iam *turpe* sit mori, rebus *non turpe* interire. Nihilominus Hugo Ecclesiasten in hac quoque rerum vanitate explicanda versari putat; de versibus enim 1,5-7 ita breviter pronuntiat : « Tria ergo quaedam proponere videtur in argumentum *mutabilitatis* omnium : solem, spiritum, flumina, i. e., ignem, aerem, humorem, ut per solem quidem ignem, per spiritum aerem, per flumina humorem, velut a parte totum, significatum intelligatur ». Atque ita de his versibus statuunt paene omnes tum veteres tum recentiores. Nos hanc ultimam vanitatem non considerari ab Ecclesiaste existimamus, nisi quantum in ea hominum studia male ordinata oc-

cupentur et *fallantur*. Recte quidem eatenus mundum totum vocamus fallacem scriptumque legimus (Sap. 4,11 sq.) : « Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia ». Attamen simpliciter ea vanitas deploranda non est. Quamobrem etsi v. 2 fortasse videbitur generatim omne genus vanitatis comprehendi, tamen quinque proximis idem fieri non concedimus. Enervatur enim et effeminatur, ut ita dicam, omnis affectus tristitiae, a quo orditur Ecclesiastes, si brevi post stabilem pulcherrimamque rerum mutationem ab eo deplorari dicimus idque tot verbis tamque acri ipsius stabilitatis atque ordinis notatione. Cur enim (oportet idem saepe dicere, quia ab omnibus fere negligitur) cur non in quolibet exemplo alterum incisum omisit? Nam si forte recte mutabilitas miserabilis dicitur, at minime ipsa stabilitas. Deinde saltem v. 3 (ut iisdem ipsis interpretibus videtur) terrae stabilitas hominis mutabilitati opponitur; itaque nisi idem fiat in vv. insequentibus, tota scriptoris argumentatio perturbetur. Cur non similem discrepantiam, ut in terrae aequilibrio, sic in legum naturalium constantia inveniat? Praesertim cum sic increscat vis probationis, quandoquidem homo, qui modo dictus est globo terrae instabilior, nunc dicetur rebus etiam maxime mobilibus inconstantior. Quam veram interpretationem a *S. Greg. Thaum.* clare enuntiatam invenio. Qui hac circumlocutione verba Ecclesiastae reddit : « Ac mortalium vita conteritur die diei succedente, annique temporibus inter se et conversionibus solisque cursibus definitis, dum res aliae occurrunt, aliae discedunt; cui rei comparari licet fluminum lapsus in immensum maris receptaculum magno strepitu proruentium ». Hactenus mutabilitatem cum mutabilitate contulit, explicatque versuum 5-7 *priora* incisa; deinde contrariam ex secundis incisis comparationem eruit, cum a rebus naturalibus *modum* servari dicit, ab homine non servari : « Et quidem ea, quae propter homines sunt a Deo creata, *eadem* permanent, velut cum e terra gignuntur atque in terram abeunt, vel cum ipsa terra stat firmiter, et sol totam circumiens rursum in suam orbitam recurrit, itemque venti; flumina autem tanta mole in mare decurrentia ventique irruentes nec mare cogunt *modos suos* (fines) transire nec ipsa suas leges infringunt. Atque haec quidem, quae nostram vitam praesentem iuvant, ita sunt constituta; at, quae homo machinatur, sive res sive verba, *modum nullum habent* ». Animadverte, terram a Greg. mediam inter cetera exempla interponi, quod eadem ratio atque comparatio est terrae stabilitatis et definiti ordinis rerum ceterarum. Affectus autem ille primus continua tot contrariorum collatione aptissime, opinor, augetur. In c. 3 nemo non cogitur dicere, tempora omnia a Deo sapienter constituta resque omnes « factas esse pulchras suo quamque tempore » (ib. 11); ostendemus autem, eo ipso loco Ecclesiastae disputationem ad suum redire principium.

Aliquam esse in vulgari explicatione inconvenientiam sensit *Del.* Stabilitatem igitur mutabilitatis interpretatur *fastidiosam* omni *effectu* solido vacuam aequabilitatem; unum enim perpetuo idemque repeti nec perfici tamen quidquam : in hoc esse maestitiae magnam materiem. Sed si verum quaerimus, huiusmodi tristitia languoris ac taedii est nec placere potest; nulla enim ratione nititur. Nec vero similis est illa tristitia, quam nos interpretamur, quamque inesse in versu quarto Del. ipse dicit. Triste enim certe re vera est, in homine perpetuitatem rerum effectuumque naturalium ipsius culpa desiderari. Nec enim vita nostra, postquam peccato facti sumus mortales, solis actati comparatur, sed miserabili brevitate concluditur; nec ea, quae faciunt singuli, plerumque tam magna ac firma sunt, quam ea quae a natura fiunt — at ex solis circuitu cotidiano et annuo quanta in omne tempus utilitas ac salubri-

tas derivatur! Accedit quod, cum *moribus* hominum modus, bonitas, firmitas sua saepe non constet, ingens in vitam perturbatio emanat — at rerum naturalium in suo cuiusque genere aequabiles effectus providentiam conditoris magnopere commendant, et admirationem, non fastidium excitare debent.

Alio modo *Gr.* cum quarto versu ceteros conciliare studet. Hic enim vicissim negat illis verbis « terra autem in aeternum stat » oppositionem ullam cum hominum mortalitate contineri. *Terram* intelligi vult homines eam incolentes. Similem esse igitur sententiam versus quarti ac si dicatur : cives singuli, imo familiae ac populi intereunt, civitas autem vel societas ipsa humana permanet in perpetuum. Quo artificio omnis illa tristitia tragica prorsus removetur. Ipse Gr. ita concludit : « Hac explicatione alia exsistit in ipso prooemio scriptoris sententia, aliud offertur momentum, quod a communi opinione alienum est. Nec enim ad naturae descriptionem nec ad languidam mutabilitatis rerum fragilitatisque miserationem hoc principium pertinet, sed ad firmam mundi universi stabilitatem graviter significandam valet. Etenim mundus ac nominatim humana societas, de qua potissimum scriptor agit, quamquam perturbationis, pravitatis, sceleris plena est, non interit universa; manent enim incolae terrae, ut sol et venti et reciproca maris fluminumque actio manent ». Verum haec mira opinio nec e versu quarto facile eruitur nec totius libri argumentationi convenit nec versibus secundo ett ertio respondet. Neque potest quidquam esse a veritate alienius quam (id quod Gr. affirmavit) Ecclesiasten omnia laeta, nihil autem triste voluisse proponere et laetitiam perpetuam, non luctum ullum commendare. Sed iste locus optime sibi constat atque cohaeret, si vanitatem *mortalitatis* et illo terrae exemplo et ceteris exaggerari dicimus, exaggerari, inquam, lyrica quadam et tragica superlatione, quemadmodum est supra (p. 69 ima) demonstratum. Voluit autem scriptor amplius explicare versum tertium; itaque quartus asyndeto explicativo adiungitur. Ipso illo versu tertio eorum omnium, quae ab homine fiunt, vanitas vel exiguitas affirmatur, confirmatur autem id quod secundo versu paullo generalius enuntiatum est; itaque hic quoque asyndeton est; omittuntur enim in magna animi commotione plerumque particulae, maxime explicativae, sed, ut in vv. 8-11 ostendimus (supr. p. 77) saepe etiam adversativae; id quod idcirco annotatum volui, ut appareret, omnem orationis quoque conformationem propositae interpretationi aptissime congruere.

Supra concessimus secundum versum *fortasse* significare amplissimam rerum omnium etiam naturalem vanitatem; id nunc cognoscitur eatenus verum esse, quatenus ingens scriptoris commotio secundo versu loquatur quidem amplissime; sed si superlationem, quae ab initio maxima est, velimus deducere, sententia eadem sit, quae in versu tertio, qui *explicandi* causa adiungitur. Quaedam hic quoque (v. 3) superlatio agnoscenda est, cum *omnia* hominis sub sole studia atque opera *prorsus* vana dicantur; eaque diutius perseverat, usquedum accuratiore explicatione infra corrigetur, iis locis, ubi vel a prima rerum constitutione omnis pravitas removetur (7,30), vel praecipua vanitas ab hominum cupiditatibus repetitur (v. gr. 2,1. 11), vel laborandi assiduitas (11,1 sqq.) operaque pietatis (12,1 sqq.) commendantur, vel ipse etiam usus rerum externarum honestaque sensuum delectatio laudatur (velut 2,24; 5,17-19...).

Zoeckl. de hominum *operibus*, si quidem a ceteris eorum *studiis* distinguantur, non agi nisi infra recte notavit. Nam v. 3 omnes contentiones vel mentis vel corporis atque adeo etiam dolores (עָמָל) comprehenduntur. Sed idem ille, ut plurimi faciunt, nimis urget, v. 2 ampliore significatione accipiendum esse « de universa rerum natura et cursu eorum, quae in tempore fiunt ». Id quidem non proprie ad huius libri

argumentum pertinet, nec ullo loco tractatur, sed *humanarum* rerum duntaxat inanitas proponitur.

Quae cum ita sint, ea quoque, quae a multis dicuntur de rerum creatarum cum *Deo* comparatione, verissima quidem sunt, nec tamen proprie huius loci. « Possumus », inquit *Hier.*, « coelum, terram, maria et omnia, quae in hoc circulo continentur, bona quidem per se dicere, sed ad Deum comparata esse pro nihilo. Et quomodo si igniculum lucernae videns contentus essem eius lumine, et postea, orto sole, non cernerem quod lucebat, stellarum quoque lumina iubare viderem solis abscondi : ita aspiciens elementa et rerum multiplicem varietatem, admiror quidem operum magnitudinem, recogitans autem omnia pertransire et mundum suo fine senescere solumque Deum id semper esse, quod fuerit, compellor dicere non semel, sed bis : Vanitas vanitatum ». Rectius idem paullo post : « Sive quia vanitati creatura subiecta est [peccato] et ingemiscit, parturit et praestolatur revelationem filiorum Dei ». Quae verba sunt S. Pauli, qui haec quoque addit (Rom. 8,20 sq.) : « Vanitati creatura subiecta est... propter eum, qui subiecit eam in spe [Deum]; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei », i. e. haec rerum vanitas ex hominis peccato derivata nunc illo rerum ordine includitur, quo *Deo volente* homo, cum magno saepe suo dolore, premitur.

Ut omnia denuo complectar : agit Ecclesiastes de humanarum rerum, quae in hac terra fiunt, vanitate, quam ardenti affectu sic auget, ut nihil in iis non vanum videatur invenire. Exsequitur illum eundem locum *tragicum*, quem toties tractatum vel significatum ab optimo quoque scriptore scimus. Ipsi gentiles saepe multumque in ea materia versati sunt. Velut Sophocles (Oed. Col. 1225 sqq. ed. Dindorf.) in hunc modum lamentatur humanae vitae miseriam :

Non nasci summa sors profecto; natum
Illuc redire unde ad lucem veneris
Citissime, fortuna certe est proxima
Nam pueritiae lusus et oblectamenta ubi superavit,
Quis non doloribus circumvenitur, non premitur doloribus?
Caedes, tumultus, rixae, bella
Atque invidia ingruit; denique senectus
Nos ingrata, iniucunda, invisa, imbecilla
Sortitur, ubi universa et maxima
Miseria sedem habet suam.

Atque idem (Oed. Tyr. 1186 sqq.) :

Ah genera mortalium,
Ut ego vos aequalia non natis computo!
Quis homo, quis felicitatis
Nanciscitur amplius, quam
Beatus uti *videatur*,
Ac visus emoriatur?

Eodem pertinet, quod ipse iam Homerus homines δειλούς, μινυνθαδίους, i. e. miseros, brevi vita esse dicit, item ad patiendum factos : πλητὸν μοῖραι θυμὸν θέσαν ἀνθρώποισιν. Quid autem pervulgatius, quam homines quasi proprio nomine θνητούς, βροτούς, mortales appellari? Iam vero plurimum interest ad rectam Ecclesiastae interpretationem a principio accurate definiri eum affectum, quem per totum fere librum expromit, quemque transfundere in lectores cupit, verissimum, altissimum, sanctissimum.

PARS I.

DE PRIVATAE VITAE VANITATE 1,12-3,15.

a) Vana sapientia 1,12-18.

Arg. — Salomon cum mentis oculos in res humanas acriter intendisset, reperit plurimam pravitatem, quae ne emendationem quidem reciperet (1,12-15). De qua re dum meditatur secum, ipsa sapientiae suae consideratione acerbius cruciatur (1,16-18).

Nemini plus fuit otii, quam Salomoni, nemini plura ac maiora adiumenta *cognoscendarum rerum humanarum*. Nihilominus hic ipse sic orditur, ut sapientiae humanae vanitatem gravissime eloquatur : v. 12 « *Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Ierusalem* », v. 13 « *et proposui in animo meo quaerere et investigare* (hebr. : dedi cor meum ad...) *sapienter de omnibus quae fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea* ». *Moderationem omnium studiorum,* in qua commendanda totus liber versatur suo potissimum contrario exemplo usuque commendat. Itaque et hic et infra saepe pronomen primae personae acute effert ac gravitatis causa cognomen assumptum « Koheleth » adiungit; auctoritatem etiam suo testimonio conciliat, cum regali se potentia atque otio usum esse ostendit ad id quod quaereret reperiendum. *Fuisse* se regem dicit, non quod regno nunc careat, sed indicat, qua dignitate ornatus *ante* (pridem) inquisiverit, quasi scriptum sit : Ego qui *essem* rex applicavi, vel : ego eram rex... cum applicavi. Maiorem autem vim habet enuntiatio grammatice independens ad id efferendum, quod intenditur; ceterum secundum sententiam illa verba v. 12 protasin ac fundamentum quoddam eorum quae sequuntur habenda esse, eo fit manifestum, quod toto loco de sola *sapientiae* munere, non de regio officio disputatur. Nulla autem ratione illa opinio nititur, haec verba Salomoni vivo tribui non potuisse; immo vero, cum grandaevus respiceret tempora praeterita, quibus erraverat, nihil attinebat dicere, qua dignitate tum esset, sed qua ante fuisset. Quod autem inusitatius se regem « super » (עַל) Israel appellat, fortasse gravius significat, se praecipua inter omnes

auctoritate et ad rerum investigationem facultate praeditum fuisse, itemque, quod mentionem facit urbis Ierusalem, de splendore opibusque recordamur. Quamquam haec exigui momenti sunt et consilio fortasse carent; at ipsa formula sollemnis pondusque primorum verborum monere debent lectorem, rem minime levem hic induci. « Dedi cor », inquit, i. e. animum *studium*que contuli ad..., nam et לֵב saepe affectus significationem affert et נָתַן apte indicat, impendi et consecrari operam; cf. 1 Par. 22,19 : « Praebete igitur corda vestra et animas vestras, ut quaeratis Dominum Deum vestrum » (תְּנוּ לְבַבְכֶם וְנַפְשֹׁתֵיכֶם). Quo loco item additur לִדְרוֹשׁ = ad *inquirendum*, quo verbo indicantur maxime desiderium et diligentia; *explorandi* autem notio (תּוּר) circumspectionem et lustrationem infert. « *Cum* » vel « *in sapientia* » (hebr., addito articulo definito) gravius dicitur, quam « sapienter »; intellige : rationibus vel ductu sapientiae.

Argumentum autem, in quo investigatio versatur, in quod (עַל) confertur studium, res sunt sub coelo factae (Vulg. et multi codd. hebr. : sub sole) s. rerum mundanarum eventus, in quibus ipsis (הוּא) illa ponitur hominum occupatio s. ille labor (עִנְיָן), quem ad irritum recidere in prooemio dixerat, cui ibidem opposuerat molitionem constantem naturae ab hominis intelligentia longe remotam. Obscure autem (ut nos interpretati sumus) significaverat, ordinem ipsum mundi a Deo constitutum, qui magnificentia *pudorem* iniiceret homini, eundem afferre etiam difficultate *laborem*. Quod hoc loco *aperte* enuntiat : Deus ipso cursu rerum mundanarum, qui vi quadam invicta premit constringitque conatus nostros, paravit, in quo cum labore ac dolore occuparemur (v. 13). Pessimam dicit hanc hominum agitationem, non quod Dei factoris rerum et rectoris sapientiam accuset, sed quia ex hominis vitio, sive naturae id est, peccato depravatae, sive voluntatis, perversa appetentis, enasciter inutilis luctatio contra Dei voluntatem, cum moderari cupiditati suae non potest. Videt igitur Ecclesiastes, quot quantique fiant a mortali imbecilloque homine, Deo invito, conatus; sed eum vana tractare et pascere ventum intelligit v. 14 « *Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce, universa vanitas et afflictio spiritus* » (hebr. pastio s. sectatio venti, aut sine tropo : animi desiderium inutile). In prooemio dixerat : « non satiari oculum », hic idem, sed magis perspicue de desiderio et cupiditate, quibus oculi serviunt, pronuntiat. Addit autem rationem, quod imbecillitate ad leges mundanas (in rebus sive naturalibus sive humanis) infringendas summa laboremus v. 15 « *Perversi difficile corriguntur et stultorum infinitus est numerus* » (hebr. neutraliter : nec quae prava sunt cor-

rigi, nec quae deficiunt redigi ad numeros possunt suos). « Si quid Deus », inquit, « pravum (curvum) vel fecit vel permisit, si quem passus est in mundo esse vel naevum vel defectum, quis potest rectum e transverso facere? quis id, quod nihil est, quasi sit aliquid, digitis computare? » Hoc poeticum simile est vel proverbium, quo acriter depingitur studiorum nostrorum inanitas, non sine concitati affectus exaggeratione aliqua; sed, si prudenter, quid velit scriptor, attenderis, verissime. In nullo enim negotio aut conatu non sentit homo saepissime, angustis terminis suam vel potentiam vel scientiam circumscribi, temporum locorumque iniquitate coepta retardari atque opprimi, quadam quasi fati necessitate humana omnia ad celerem vergere interitum, denique saeculorum fructum vix apparere. Quamvis enim gloriari soleamus generis humani progressione perpetua, nonne frequenter ipsi fatemur, cum omnia aequo animo circumspicimus, *detrimenta temporum cum emolumentis vix aequari?* « Ecce vanitas universa pastioque venti ». Recte quidem Ecclesiastes viri sapientis esse negat *nimium* scrutari, quare « dies superiores meliores his nostris fuerint » (7,11, hebr. 10); inutilem enim affert maerorem. Sed tamen quae causa est, cur tot « laudatores temporis acti » inveniantur, nisi quod de progressu solido ac permanente, qui non compensetur aliquo novo malo, saepe non insipienter dubitamus? »

Rursum hic *tragica* rerum consideratio cernitur. Quae quoniam parum recte aestimari a plerisque solet, liceat hic quoque, ut supra, profana appellare testimonia poetarum. Goethius nonne comparare hominem ausus est

« longipedi cicadae,
Quae semper evolat et exsilit,
Ut suam mox in gramine resumat cantilenam.
Atque utinam in gramine semper se componeret!
In coeno atque luto os vultumque mergit »?

Alius antiquitus ita cecinit de morum depravatione :

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem (Hor. III. Od. 6,45 sqq.).

Non eundem, sed similem animi motum exprimere Ecclesiasten dixeris. Non igitur *omne* verum in huismodi locis, sed *aliquid,* de quo dubitari non possit, verissime enuntiatur; oblivisci autem nunquam debemus, hic non tam philosophorum, sed poetarum modo argumentum tractari et in affectu scriptoris ostendendo esse praecipuum sententiae

explicandae adiumentum. E quo efficitur non magnopere laborandum esse in distinctione accurrata eius veri, quod nemo non sentit, ab eo falso, quod in tam generali enuntiatione contineri videtur.

Atque his tribus versiculis una absolvitur particula demonstrationis primae, quae est de sapientiae humanae vanitate, quam in prooemio a v. 8 proposuerat. Quia enim ab *intellectione* omnes actus humani dimanant, in hac primam inesse vanitatem dicit; cetera autem eius genera ex hac sua sponte consequuntur. Facile est videre, quam apte ab hoc argumento initium ducatur disputationis; nam et *sua natura* primum occurrit quaestio de scientia, non de actione hominis, et ab iis, quae 1,8 sqq. de ignorantia dicta sunt, lenis est *transitio,* et tamen etiam ad argumentum primum ac praecipuum (vv. 1,2-4) optime reditur, cum demonstratur, *inexplicabile ipsi sapienti esse, unde tanta vanitas, tanta sterilitas, tanta fragilitas sit in genere humano,* et cur res ipsae naturales perpetuitate ac firmitate praestare videantur. Ergo is, qui Sapientis laudem egregie esset meritus, cui nihil videretur occurrere posse impedimenti in veritatis pervestigatione, quaerere proposuit de omnibus, quae in hoc mundo aguntur, i. e. nominatim de *hominum* occupatione ac munere laboriosissimo (v. 13) : intellexit (asynd. consecutivum!) omnia inania habenda esse ac ventosa (v. 14) rationemque eius rei esse (asynd. explic.), quod tanta molitione nihil proficeretur (v. 15).

Sequitur altera particula eius argumenti, quod est de sapientia humana : v. 16 « *Locutus sum in corde meo dicens : Ecce magnus effectus sum, et praecessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem, et mens mea contemplata est multa sapienter et didici* » (hebr. mens mea vidit plurimum sapientiae ac scientiae), v. 17 « *Dedique cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam erroresque et stultitiam* (*hebr.* argutias?), *et agnovi, quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus,* v. 18 « *eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, et qui addit scientiam, addit et laborem* ». Illo exitu suae contemplationis maerens subito (asyndeton!) se colloqui coepisse dicit secum ipso de tanta sua sapientia (v. 16), qua diligentissime usus tamen (hebr. asynd. advers. וְיָדַעְתִּי, *Vulg.* et agnovi) nihil aliud repererit, nisi ipsum huius sapientiae studium esse molestissimum (v. 17), propterea quod exacerbaret sua sterilitate animum (v. 18).

Haec igitur particula demonstrationis item tribus versiculis continetur, qui singulis superioribus enuntiationum conformatione prorsus respondent, argumento autem sic differunt, ut illis *rei* consideratae vanitas, his ipsius *considerationis* dolor efferatur. Sed quoniam haec duo hic ad unam sapientiae vanitatem demonstrandam spectant, id-

circo una ex duobus conflatur argumentatio. Cuius priore parte ipsam conclusionem tristissimam suae inquisitionis (rei inventae summam), qualis fuerit, manifestat, altera, quam ex ea ipse perceperit animi aegritudinem; in illa tot hominum labores magna verborum copia (v. 13 et 14), hic item vim sapientiae suae studiique diligentiam abundanter amplificat (v. 16 et 17), unde optime cognoscitur, quid utraque parte maxime velit ostendere.

In singulis vocabulis versuum 16-18 iam non est magna explicandi difficultas. Pronomen primae personae bis positum v. 16 in hebr. (post « locutus » et « ecce » *Vulg.*) ad auctoritatem eius pertinet, qui loquitur; tota formula : *dixi ego*... rei gravitatem significat, item quod sequitur : *ecce*. Verba הִגְדַּלְתִּי וְהוֹסַפְתִּי si separatim concipiuntur, prius hanc vim habet : « magnus effectus sum » (Vulg.), id quod apte respondet versui 12, ut regia dignitas a sapientia distinguatur; sin iunguntur (ut accentus hebr. indicat), in unam notionem coalescunt : magnam feci adauxique sapientiam, i. e. magnam studio nactus maiore studio etiam auxi sapientiam; atque hoc alterum fortasse confirmatur 2,9, ubi illa superior distinctio forma *simplici* (גָּדַלְתִּי) indicatur, quamquam etiam coniugationi hiphil eadem vis (« crevi ») subiici potest; sed quoniam diverse scripsit Sapiens, praestat diverse a nobis explicari. — Qui ante Salomonem fuerant עַל־יְרוּשָׁלַם (i. e. super Ier.) a plerisque intelliguntur reges; sed quoniam de regibus antiquioribus fortasse nulla erat fama sapientiae, praestat generatim intelligi eos, qui *in* (בְּ = עַל) illa civitate praestiterant sapientia, potius quam solos eos, qui civitati *imperantes* eadem laude insignes fuerant; עַל enim praepositio certe etiam de loco usurpatur, in quo aliquid (extensum vel sparsum) invenitur, cf. Ps. 49,12 hebr.; 110,6; Os. 11,11; Is. 7,2; 24,22; 38,20. (Apud de Rossi plus 130 codd. habent ipsum בְּ, non עַל.) Nec ubi sapientia quaeritur, illico de *solis* regibus cogitare omnino consentaneum est; forma quoque verbi impersonalis pro personali convenientior est, si locus domicilii indicatur, quam si dominatio regia designatur, in qua de personis cogitari necesse est. (Quis dicat aut germanice : Alle die es *ueber* Ierusalem gab, aut gallice : Tous ceux qu'il y eut *sur* Jérusalem?) Colloquium illud cum animo, *quod pertinere censeo usque ad finem capitis*, spiritum et vitam affert disputationi, ut cum in scena unius hominis deliberatio privata in voces erumpit. Illud autem hoc loco molestum est, quod vox *cordis* ob inopiam linguae hebr. in ipso cum *corde* sermone repetenda fuit, id quod interpreti omnino evitandum est, itaque latine *animum*, *mentem*, *studium* apte dixeris. — Vocem הוֹלֵלוֹת Vulg. bene reddit *errores*, *deliramenta*, quia forma pluralis videtur respondere singulari ות' 10,13 (ita *Del.*) et הוֹלֵל videtur esse : *in errorem inducere* (ita *Fuerst*). — רַעְיוֹן v. 17 a plerisque prorsus confunditur cum רעות v. 14; sed est, opinor, aliqua differentia, quae in hunc locum optime

quadret. Prior illa forma de *animi cogitatione* s. sollicitudine usurpatur 2, 22 (et 4,16)[1], contra altera de *voluntatis studio*, v. g. 2,11; itaque eo loco, de quo agitur, 1,14 hominum ceterorum *studium*, at v. 17 eius, qui contemplatur, acris *intentio* et sollicitudo intelligi apte potest. רְעוּת igitur magis ad cupiditatem retulerim eius, qui inhiet bonis mundanis, placetque vertere : « pastionem s. sectationem », in quam sententiam Os. 12,2 (hebr.) Ephraim dicitur pascere ventum; explicatur verbis parallelis : *consectatur austrum*. Plura de his vocabulis aliquanto infra. Ultimum incisum v. 18 instar proverbii dictum accurate vertas : « *et* augebit aliquis scientiam, auxerit dolorem ».

De *Vulg.* aliqua notanda sunt. Minoris momenti est, quod v. 13 « occupatio pessima » referri videtur ad ipsam *investigationem*, quam suscepit Ecclesiastes (cf. Hier. comm.). Id eo comprobari dixeris, quod tota hac argumentatione ostenditur, sapientiae studium (immoderatum) vanum esse. Ac tamen nec necesse omnino est, ita interpretari Vulg., nec id melius congruit totius loci sententiae. Illa enim divisio ternorum versuum, quam supra statuimus, et id, quod ex ea nascitur, incrementum argumentationis tollitur, si iam v. 13 ipse labor et dolor *inquirendi* distincte enuntiatur. Quodsi quis existimat, « illa quae *fiunt* sub sole » non apte dici occupationem, hebr. scriptum est vv. 13 et 14 « quae aguntur », « acta factaque » (v. 14 הַמֹּעֲשִׂים שֶׁנַּעֲשׂוּ). Praeterea occupatio a *Deo* constituta filiis hominum *omnibus* minus congruenter dicitur de philosophorum investigatione, quam *pauci ultro* in se suscipiunt. Et quod sequitur « *universa* vanitas » certe ad *omnium* mortalium labores referendum est. Contra v. 17 « quod in his *quoque* » (hebr. *hoc quoque ipsum*) per gradationem spectat ad laborem philosophorum. Ceterum se ipse scriptor explicat 3,10. — « *Afflictio* spiritus » dicitur, ac si רְעוּת derivetur a רָעַע, sed id ob syllabam primam correptam (רְ) probari nemini potest. — In v. 15 rerum perversitas de *solo morum* ordine intellecta est, itemque 7,14; sed hoc altero loco perversio *Dei* opus vocatur, ut videatur potius ad naturae ordinem pertinere. Verum quidem est, eam pravitatem, quam homo cupiat corrigere, non minus, immo vero magis, in morali mundi ordine inesse atque inesse describi ab Ecclesiaste (3,16 sqq. 4,1 sqq. 4,7 sqq. atque ita porro); sed idem tamen coepit in ipso prooemio de physico ordine, *poetica* imagine, dicere et mali permissionem eodem ordine quodammodo *includere*, cuius similitudinem hominum malitia immutabili stabilitate quasi imitatur. Item hoc loco et 7,14 negat corrigi posse, quae Deus perverterit *sive* creando naturam *sive* permittendo malum in moribus, idque imagine hac ob oculos ponit : « curva dirigere et manca suis numeris absolvere nemo potest ». Formam participii masculinam (מְעוּת) pro neutro accipi, non est inusitatum, et videtur magis rem

(1) *Omissa* metaphora (cf. lex.); quodsi additur רוּחַ, ea vox *animum*, non ventum sonat.

aliquam singularem, non, ut femininum, genus totum designare, atque accurate vertere possis : « si quid est curvatum... ». Ceterum pro curvo « pravum » aptius substituitur, quod et de rebus et de moribus dicitur. Recte *Mot.* : « La Vulgate prend cette maxime uniquement dans le sens moral ; mais le contexte nous semble exiger que l'on conserve le sens propre des termes ».

In hac prima disputationis parte (1,12-18), uti ostensum est, eadem figurata dictio, quae in prooemio, servatur, ut intelligentiae humanae debilitas cum rigore quodam immobili eius ordinis, quo mundi cursus dirigitur, comparetur ; intereunt enim, ut ipse homo, sic humana omnia ac ne ad interpellandum quidem ullo modo rerum fluxum eventuumque decursum sapientia sua valent mortales, apparetque non posse eos « contra fortiorem se in iudicio contendere » (6,10) et « omnium operum Dei nullam posse invenire rationem eorum, quae fiunt sub sole, et quanto plus laboraverint ad quaerendum, tanto minus invenire » (8,17.) Eadem etiam vis orationis, quae supra in vocabulis singulis, in particularum omissione, in copia et abundantia, in colloquio ficto, denique in superlatione notabili sententiarum cernitur. Incipit autem vanitatis demonstratio ab ignorantia *etiam sapientium* (philosophorum), ut et radix ultima humanae miseriae (secundum mortalitatem) in intellectus imbecillitate collocetur et ipsa summa vis intelligendi, quae sapientium est, cum inevitabili rerum necessitate conferatur. Itaque brevi : Salomon ille Sapiens suam in pervestigandis rebus studium, aliquanto immoderatius, describit, quemque fructum vel aliis vel sibi sit consecutus, magna animi commotione demonstrat ; talem enim se quasi scenice inducit, qualis tum, cum *ipse erraret,* fuerit, ut illius temporis sollicitudinem, laborem, exacerbationem nos ipsi sentire videamur. Si quid igitur vel hic vel infra durius enuntiatur, id *hac* quoque ratione mitigandum est, quod scriptor non hoc ipsum tantum, quod nunc sentit, verum etiam, quid senserit ante, *narrat* (« vidi, dixi ») ; certe ab illo impetu, illa intemperantia, illa arrogantia (qualiscumque fuit) studiorum, qua aliquando erat abreptus, dudum se liberavit ac iudicia ex huiusmodi affectionibus derivata moderanda esse ipse tacite significat. Duo enim sunt, quae ad recte definiendam sententiam Ecclesiastae iuvant : primum *orationis ardor,* deinde *affectus pristinus,* quo utroque fit, ut quaedam in maius atque adeo in falsum augeri videantur ; tertia accedit norma, quae ex *consequentibus* petenda est. Nam si quando infra (specie saltem) contraria dicentur, evidens fiet, ex iis, quae ab initio ardentius scripta sunt, aliquid esse *deminuendum*. Velut ipsa sapientia 9,13, item 8,1. 5 ; 10,1-3.

12, alibi magnopere commendatur; cogit igitur ratio, ut aliam esse intelligamus eam sapientiam, quam vanam esse supra demonstratum est. Quaedam autem certe *arrogantia* fuit ingenii, etsi fortasse *magno* vacavit peccato, sed arrogantia fuit tamen, qua inductus voluit « res omnes sub sole » excutere et « curvata corrigere » idque tanta suae sapientiae fiducia, quanta v. 16 exprimitur. Sequitur ut naturali hominis imbecillitate cogatur invitus fateri : « Dixi : sapiens efficiar, *et ipsa longius recessit a me* » (7,24 sq., hebr. 23 sq.). *Errores* suos, non omni culpa vacantes, describere Ecclesiaten, in c. 2 fiet *manifestum*. Tertia autem pars libri (c. 8-12) eo magnam partem spectat, ut, quae ante dicta sunt, suis finibus accuratius determinentur, atque iam secunda pars tamquam gradu paullo sedatiore et planiore incedit via, cum prima contra salebrosiore semita decurrat.

Accuratior 1,12-18 *enarratio*. — Ad v. 12 « Hucusque praefatio generaliter de omnibus disputantis; nunc ad semetipsum redit, et quis fuerit, quomodo experimento universa cognoverit, docet. Aiunt Hebraei hunc librum Salomonis esse poenitentiam agentis, quod in sapientia divitiisque confisus per mulieres offenderit Deum ». Ita *Hier.* Recte prooemium absolutum dicit et inchoari demonstrationem, quamquam aliud vulgaris capitum divisio indicare videtur. Nam cum ante generatim hominis studia vana dixerit causasque ultimas, mortalitatem, ignorantiam, rerum immutabilem necessitatem, attulerit, nunc *singulorum* bonorum explorat naturam, vel potius quomodo exploraverit *edisserit;* itaque nova etiam sollemnique formula quasi de integro exorditur et in voce, quae est *ego*, per totam partem primam et amplius (— 4,16) suae disputationis perseverat, ut et argumento et orationis conformatione hic principium demonstrationis signetur. *Bick.* propositionem s. « affirmationem » pertinere censet usque ad 2,2 incl. Quod displicet etiam idcirco, quod 1,12 sqq. error describitur Ecclesiastae, prorsus ut in iis, quae sequuntur; at in propositione affirmatur verum, non narratur factum. Est autem maxime congruum, sapientem Salomonem a sapientiae studio, non, ut c. 2, ab amore magnificentiae principium suae explorationis ducere.

Ultima Hieronymi verba (si cum Chald. et Midr. conferas) indicio esse possunt, iam tum argutius a Iudaeis quaesitum esse de illo perfecto v. 12 הָיִתִי (fui). Licet sane opinari ipsique existimamus, a Salomone sene, totius vitae peccata deflente, hunc librum esse conscriptum (v. supr. p. 46 sq.); sed id ad explicandum huius verbi tempus minime est necessarium ac ne conveniens quidem. Commentum certe illud temere confictum dixeris nec satis consentaneum narrationi verae de Salomonis regno et exitu (3 Reg. 11 et 12), eum *exutum* purpura ac potestate peccata deplorasse atque ita orsum esse : ego *fui* rex. Quamquam fatendum est, quoniam vivo Salomone decretum divinum atque adeo iuris traditio ad Ieroboam promulgata erat,

potuisse aliqua ratione vere dici ab illo nondum possessione ipsa regni spoliato : « *fui* rex ». Ac tamen hoc nulla explicatione adiuncta subito inferri ab Ecclesiaste non est credibile. Ineptam vero fabellam interpes *Chald.* (an quis alius) enarrat, quam speciminis causa exscribo, unde ipsum quoque cognoscas : « Cum Salomon rex sedisset in throno, imperii sui rebus secundis plus aequo elatus edictum Dei transiliit comparavitque equitia, lecticas et equites multos, magnam praeterea auri et argenti vim congregavit et affinitate cum exteris nationibus coniunctus est. Qua re vehementer commotus Dominus in eum Asmodaeum daemonum regem immisit, qui illum regno privaret et annulum de manu eius extraheret; perfectumque est, ut ille vagus et profugus orbem peragraret hominesque increparet rediensque ad provincias et loca terrae Israel neque continens lacrimas sic vociferaretur : Ego Ecclesiastes, olim Salomon appellatus, fui rex... ». Inepta, inquam, fabella est, si historiae fidem, satis apta, si imaginem poeticam spectes. A daemonibus enim regno, i. e. iure regnandi deiectus recte fingitur; quodsi resipiscens, ut recte existimant multi, hunc librum scripsit, is talis re vera est, ut non modo suam gentem, verum etiam totius orbis homines lacrimans affari videatur (v. p. 67 sq.). Alia non absurda fictio est in *Midr.* : « Tria vitae genera degit Salomon, qui rex fuit, deinde privatus, rursum autem rex, item sapiens, deinde fatuus, tum rursum sapiens, item opulentus, deinde egenus, postremo rursum opulentus. Quid ita? Omnia, inquit, ego vidi diebus vanitatis meae (7,16, hebr. 15). Sed R. Onjae opinione primum privatus, deinde rex, denique rursum privatus fuit; et fatuus, deinde sapiens, denique rursum fatuus; et egenus, tum opulentus, postremo rursus egenus, quia dicit : Ego *fui* rex Israel ». De poenitentia Salomonis haec dubitans refert Beda (in Fragm. ad Prov. « De Salomone iudicium ») : « Aiunt libri Hebraeorum Salomonem quinquies tractum fuisse per plateas Hierusalem causa poenitentiae. Item aiunt eum venisse in templum, quod ipse aedificaverat, cum quinque virgis... ut verberaretur;... frustratus [hoc desiderio] a se depositus est a regno ». Cuiusmodi speciem Ecclesiastae si nobis *poetice* proposuerimus, melius certe hunc librum de erroribus, ardentissima oratione perscriptum, intelligemus.

Sed ad explicandam unam illam verbi formam opus non est ambagibus. *Hahn* recte ac simpliciter dicit, versum 12 pro fundamento esse ceteris, qui sequantur, et illius temporis conditionem proponi, quo investigare de rebus humanis instituerit. Quam explicandi rationem probat etiam *Cast.* Idem tamen ipse mavult praeteritum pro praesenti interpretari, ut יָדַעְתִּי, עָזַבְתָּ, שָׂנֵאתָ Gen. 48,19, Ps. 5,6; 9,11 et hoc ipso loco v. 13 נָתַתִּי positum videmus, quae omnia rem factam exprimunt in praesentia perseverantem; *Mot.* quoque : « Je règne depuis longtemps ». Nec profecto apparet, cur (alteram si improbes) istiusmodi explicatio recusanda sit, nisi forte, quia ea perfecta, quae sequuntur non sunt eiusdem generis; sed ob id ipsum fortasse pro וְאֶתְּנָה (cf. v. 17) scriptum est inusitatius perf. cum vav : וְנָתַתִּי, ut notio praeteriti diversa in hoc verbo distinctius significaretur. Nihilomi-

nus priorem explicationem praeferimus, quae videtur ad v. 12, si cum ceteris comparetur, quam optime quadrare, eritque similis ratio, quare vav proximum verbi tempus non mutaverit. — Aliter se LXX expediverunt, cum redderent ἐγενόμην βασιλεύς, idque suo iure, cf. Is. 63,19 et infra 3,20 atque ita saepe. Inter recentiores *Gr.* eandem viam init, quamquam ex hoc versu temere deducit, non haereditate acceptum regnum, sed nescio qua arte comparatum intelligi, ne Salomon videatur libri scriptor esse.

Eodem deveniunt plerique recentiores, qui sine ulla causa idonea negant, illud *fui* dici potuisse de eo, qui regnum etiamtum obtineret : ***Elst.***, ***Hitz.***, ***Zoeckl.***, ***Del.***, ***Wr...***; concludunt librum a Salomone scriptum non esse. Sed profecto Daniel cum scribit : « Eram iuxta fluvium magnum et levavi oculos meos » (10,4 sq.), nec negat nec dicit, se nunc eodem loco esse, sed ubi *tum* fuerit, indicat, ut scena quodammodo actioni, quam narraturus est, paret; nec quod in Ps. 136 (137) legitur : « Super flumina Babylonis *sedimus*... illic interrogaverunt nos », idcirco continuo affirmandum est, psalmum *post* exsilium scriptum esse. Adde quod Ecclesiastes in annos errorum suorum respiciens multo etiam congruentius poterat illud tempus a praesenti seiungere, praesertim si iure iam quodammodo a se ablatum regnum recordabatur. Itaque illam plurimorum recentiorum interpretum conclusionem prorsus falsam existimamus. *An fratres Ioseph, cum pecoribus et armentis in Aegyptum translati, non manent pastores, quia scribitur* הֵמָּה *Gen.* 46,32. 34? Sed quo *tendant* illi interpretes, cum verba detorquent, apparet.

Nec quod v. 12 additum est « in Ierusalem », ullo modo mirum videri debet; poterat enim Salomon (ut 1,1) ad ampliorem commendationem suae doctrinae etiam sedem regni magnificentissimam commemorare, quae ratio non est minus congrua (si quid omnino poeticae et oratoriae rationes valent), quam illud, quod dicere solent : regnum iam *divisum* illa distincta appellatione domicilii regii notari nec ita scribi potuisse nisi a scriptore posteriore (ceterum ex hac opinione saltem etiam illud conficitur, ut idem ille scriptor valde incuriose egerit). Postremo מֹלֵךְ עַל inusitatum quidem est, sed minime inauditum; cf. 1 Sam. 15,26; 1 Reg. 11,37. Versus autem duodecimi momentum bene explicat *Thaum.*, qui haec Salomonem facit loquentem : « Nec vero temere haec modo dico, Ecclesiasten agens, sed quoniam *regnum Hebraeorum Hierosolymis mihi commissum obtinui*, idonee potui de rebus omnibus explorare atque commentari ».

Ad v. 13. Alteram partem huius enuntiati recte de omnium hominum communi labore, non de sapientium disquisitione intellexerunt *Thaum.*, *Nyss.*, *Olymp.* Hic ita disserit : « Quod omnem molestiam homines sufferre coguntur, ut divites fiant aut gloriam adipiscantur aut ventri gratificentur, id magna cum utilitate iis est attributum. Etenim si tamen laborare ad vana fluxaque comparanda non dubitamus, ad quantam progrederemur malitiam, si ea sine molestia nobis obtingerent. Utiliter ergo attributa est laboriosa molitio hominibus. Quod quoniam virtus quoque laborando perficitur,

illud ipsum etiam fructuosum est. Si enim et mala et bona sunt laboriosa ac malum poena, bonum voluptas ineffabilis consequitur, infinitis partibus praestat, virtuti laborem impendere. Honestatis si quis est vere studiosus, nec molitur quidem agitatve multa secundum illud : « Martha, Martha sollicita es et turbaris erga plurima, pauca, immo vero unum est necessarium », quod quidem dicit de praeceptis vel potius de uno caritatis praecepto, quo cetera continentur. Itaque omnino utiliter attributa est homini laboriosa molitio ». His Olymp. verbis praeclare et huius loci sententia et universae disputationis finis describitur. Nam hoc loco agitur de omni illa occupatione et agitatione, quam homines sive bono sive malo consilio in se suscipiunt, cui perpetuam Deus vel poenae vel meriti causa molestiam, cui eidem utilitatem ac saluberrimam admonitionem adiunxit; iam vero sapientis est cetera negotia, praeter « unum necessarium » parvi facere et plurimarum rerum incursu distringi se non pati. Quam *moderationem* sive studii naturalis sive cupiditatis vitiosae Ecclesiastes, demonstrata molitionum humanarum vanitate (nisi terminis a Deo constitutis contineantur) persuadere toto libro conatur. Hebr. vox עִנְיָן quodlibet negotium, quamlibet laboris agitationem sonat (cf. Del. et Wr.). « Verbum *anian* », inquit Hieronymus, « Aquila, Septuaginta, Theodotio περισπασμόν similiter transtulerunt, quod in *distentionem* latinus interpres expressit, eo quod in varias sollicitudines mens hominis distenta lanietur; Symmachus vero ἀσχολίαν, i. e. *occupationem* transtulit ». Sententia certe est : homines multiplici varietate negotiorum distineri praeter necessitatem atque utilitatem, adde etiam praeter Dei voluntatem. Nam Deus permissione potius, quam dispositione homini peccato lapso operosum inutilemque laborem attribuit; *legibus* enim iis, *quibus mundum administrat*, efficit, ut conatus minus recte ordinati ad irritum cadant. Apparet igitur, quam ampla illius v. 13 sententia sit, si ad communem *omnium* hominum sortem actionemque referatur. Id etiam ex recentioribus faciunt *Hitz.*, *Hahn;* aliter autem ceteri plerique, ut iam inter veteres *Hier.* : « Ultra licitum se extendens Ecclesiastes voluit causas rationesque cognoscere... intellexit superfluam curam et sollicitudinem per diversa cruciantem *a Deo hominibus datam, ut scire cupiant, quod scire non licitum est* ». Sed angustius sententiam amplissimam contrahunt; nam eo ipso dolor Ecclesiastae vel maxime incenditur, quod sua contemplatione tantam omnium mortalium miseriam complexus praeter vanitatem nihil videt; *paullo infra* (v. 16-18) *de sui studii vanitate dicet*. Significat autem hoc toto loco (v. 13-18) abundans quaedam verborum copia, quo sensu scriptor commotus loquatur; eodem pertinet, opinor, obiecti insolentior anticipatio. Solent quidem עִנְיַן רָע pro nominativo praedicati accipere, et *relative* adiungere, quae sequuntur « haec occupatio est, quam dedit Deus »), sed quia non est scriptum נָתַן, et vis oratoria maior exsistit, melius est, obiectum illud, non nomen praedicati dicere; recte LXX : περισπασπὸν πονηρὸν ἔδωκεν ὁ Θεός... et *Vulg* : « Hanc occupationem pessimam dedit Deus ».

Ad v. 14. Quam multiplex et perpetua sit ea occupatio, repetitis et ampli-

ficatis versus 13 verbis denuo v. 14 significatur; sed ponitur « sub *sole* », qua locutione toto libro, ut 1,3, naturae constantia opponi solet humanarum rerum fragilitate; deinde haec ipsa fragilitas geminata inanitatis notione nervose exprimitur.

Quod adiunctum est, רְעוּת, varie explicant; placet satis *pastionem* vertere, ut faciunt complures recentiores; similiter Aq. et Theod. (νομὴ ἀνέμου), et Symm. (βόσκησις ἀνέμου), cf. Vulg. Os. 12,2. Ea vox praeter hunc librum non invenitur nisi Esdr. 5,17 et 7,18, ubi *voluntatem* sonat. Atque etiamsi dubitari vix licet, quin illa potius sit prima vis vocabuli, tamen hoc loco *fortasse* rectius eodem modo vertitur. Nam reddunt etiam. LXX προαίρεσιν, i. e. voluntatem, desiderium (1 Esdr. 7,18 : ἀρεστὸν τῷ θεῷ, cf. ib. 5,17). Item omissa vel extenuata metaphora plerique recentiores studium vel captationem dixerunt. Nec certe sentitur vis metaphorica in voce cognata רַעְיוֹן v. 1,17, quam quidem iis locis, quibus et in hoc libro (2,22 et [?] 4,16) et apud Danielem usurpatur (2,29 sq.; 5,6. 10; 7,28) ad intellectum tamen potius, quam ad voluntatem relatam videmus. Iam vero plerique idem utraque forma designari arbitrantur, *Ren.* etiam eodem modo scribendum censet. At eritne verisimile aut scriptorem *paucis versiculis interiectis* alia forma sine ratione usum esse aut quemquam postea ita inepte verba mutasse, ut septies alteram relinqueret (1,14; 2,11. 17. 26; 4,4. 6; 6,9) ter novam substitueret? In secundo capite vv. 11. 17. 26 brevior forma, sed 22 longior invenitur, quo quidem loco non potest nisi de animi cogitatione et sollicitudine accipi. Quae cum ita sint, omnino differe aliquid censeo (sive origine vocum sive usu) et quidem formam pleniorem gravioremque de intenta mentis agitatione (ut apud Danielem), breviorem levioremque aut generatim de omni desiderio et cupiditate (prout illis Esdrae locis) dici aut illam radicis רָעָה notionem exhibere, quae est Os. 12,2, ut vel *pascere*, i. e. consectari vel, *pasci*, i. e. pro cibo captare valeat. Haec ultima quoque distinctio aliquam levem sententiae differentiam affert; prius enim minus in sensum cadit, quam alterum, quod habet etiam significationem famis, i. e. cupiditatis nunquam expletae; de reliquo sic quoque studium inutile designatur. Veteres aliqui vocem ad רָעַע falso referentes « afflictionem animi » interpretati sunt (*Vulg.*, *Chald.*, *Syr.*); *Symm.* 6,9 κάκωσιν πνεύματος; denique Oseae verba « pascit ventum » (Vulg.) apud LXX πονηρὸν πνεῦμα sonant, ac si adiectivum fem. gen. sit ab eadem illa radice ductum. Iuvat notare, a *Nyss.* et *Olymp.* (et *Thaum.*) προαίρεσιν πνεύματος intelligi liberam malae mentis appetitionem; id quod bene ad sententiam totius versus est accommodatum, ut ex Olymp. explicatione cognoscere licet : « Quidquid », inquit, « agunt homines non eorum gratia, quae sunt super solem, i. e. coelestium bonorum, sed terrestrium corruptibiliumque causa, id omne vanitatis esse perspexi. Praeterquam enim quod id cito praetervolat, idem etiam poenam inducit, quandoquidem libero id agunt consilio, non necessitate coacti; spiritum autem (πνεῦμα) animum appellat ratione praeditum eundemque liberae optionis facultate donatum. » Eodem spectat apud *Hier.* « praesumptio spiritus » 6,9. Hoc quidem pressius reddit verba LXX. Potest autem, ut et ceteri et Hier. non a רָעַע vocem derivarint, sed eam notionem, quam nos רַעְיוֹן subiicimus, *usu linguae* probatam, ad רְעוּת transtulerint, ut esset « cruciatus animi »; cf. Vulg. 2,26 « sollicitudo mentis. » Habent etiam Chald., Syr., Ar. tale quid vv. 14. 17 et ceteris; vertunt enim « sollicitudinem, angustiam, contritionem, aegritudinem spiritus ». Omnino aliquod momentum est in eo, quod veteres omnes, exceptis Aq., Theod., Symm.,

רוח de *animo*, nunquam de vento, explicant; itaque quia רַעְיוֹן prorsus ad animum pertinet (2,22 לֵב), prudenter existimes, etiam רעות ad animum, non ad ventum referendum esse, ac fortasse hoc idem sonat fere atque הֲלָךְ־נֶפֶשׁ 6,9, i. e. inutilem vagationem cupiditatis. Sed de Os. 12,2 quid fiet, ubi scriptor ipse רוּחַ explicat de *vento*, voce קָדִים? Confer sis Prov. 15,14, ubi רָעָה videtur explicari verbo בָּקַשׁ, ut vertendum sit « sectatur imperitiam » (Vulg. fert : pascitur imperitia). Porro Prov. 10,4^{b} (quae tamen pars versus in hebr. deest, ut nunc legi solet) respondent inter se « pascit ventum » et « sequitur aves ». Verisimilius igitur omnino iudico apud antiquos Hebraeos valuisse metaphoram, quae apud Esdram (Aramaeos) obscurata erat. De voce רַעְיוֹן idem dicere non audeo; vide paullo supra. Quodsi, ut videtur, in hac exstincta est vis metaphorica, lusit scriptor in duabus loquendi formulis, quarum erat *sententia* similis.

Ad v. 15. In hoc versu, quantum fieri potest, prima ac propria exprimenda est verborum sententia, quae rem sub sensus subiicit, nec statim, ut fit in Vulg., in syriaca et chaldaica interpretatione, ad mores omnia referenda sunt. Nam, ut supra diximus dicendumque est iterum ac tertio, per imagines poeticas fere tota procedit oratio Ecclesiastae, a rebus aspectabilibus similitudines mutuantis; amplius dico : non spectat omnino ad morum ordinem solum argumentatio, sed complectitur omnem mundi cursum e singulorum hominum arbitrio non dependentem. Ut in prooemio conatus liberi singulorum comparantur ad necessarium rerum externarum ordinem, ita toto carmine necessitas quaedam a Dei voluntate vel permissione profecta obstare dicitur molitionibus humanis; nec aut illa necessitas morali *tantum* malitia constituta est, aut in his conatibus illico morum perversitas spectatur, sed potius omnis ille rerum externarum ordo, qui in potestate singulorum hominum non est, poetice fingitur adversarius operum humanorum, veriusque *Deus ipse* cum mortalibus perpetuo pugnare cogitandus est, ut aliis locis imprimisque 7,14 (hebr. 13), perspicue declaratur. Omnino cum prooemio male congrueret reliqua disputatio, si (quod res est) illic physicus induceretur ordo mundi, hic ad solos mores omnia referrentur; ergo potius idem ille ordo naturae et tanquam symbolum eius necessitatis, quae homini obstat, et simul tanquam pars aliquanta eius ipsius necessitatis consideranda est. Itaque eo loco, de quo agimus *curva* illa et *manca*, quae ad Deum sive factorem sive permissorem 7,14 referuntur, non tantum et ne maxime quidem morum vitia sunt, sed ea omnia, quae in praesenti conditione mundi generisque humani prohibent opera grandia, ampla, stabilia fieri; in his praeter cetera hominis mortalitas, imbecillitas, ignorantia numerandae sunt. Atque has aliasque vanitatis causas non ipsum peccatum, sed Deus peccati vindex constituit. Porro immoderatio consiliorum conatuumque nostrorum (quae est ex peccato), etiam in rebus per se non vitiosis facit, ut invito Deo multa aggrediamur, quae exitu felici carere necesse sit. Postremo ipsae pravae cupiditates nostrae malorum in mundo fons uberrimus exsistunt. Etsi igitur verum est, gene-

ratim e peccato, saltem illo primorum parentum, illud manasse, ut coepta plurima ad irritum cadant, tamen ipsa illa curva et manca potius divini sunt operis; nam instrumenta sunt divinae castigationis. Quodsi perfecta mansisset hominis natura, qualem Deus condidit (7,30, hebr. 29) rectaque studia, nulla esset ei acerba contentio cum eo ordine, quem Deus constituit, nec essent conatus irriti aut spes vanae, nec labor molestus, nec dolor ullus, nec mortalitas.

Apparet non esse laborandum, ne qua in Deum accusatio conferri videatur. *Nyss.* verba LXX : Διεστραμμένον οὐ δυνήσεται ἐπικοσμηθῆναι καὶ ὑστέρημα οὐ δυνήσεται ἀριθμηθῆναι significare vult, non posse esse in rebus a Deo pulcherrime conditis [ἐν τῇ κεκοσμημένῃ κτίσει = ἐν τῷ κόσμῳ] quod perversum sit aut deficiat. Sed id ab hoc loco alienissimum est; ratio enim reddenda est, cur omnia humana opera inania sint et cassa. Tantundem dic de hac *Olymp.* explicatione : negari a Salomone quidquam in mundo pravum imperfectumve inveniri. Idem recte quidem dicit, mala morum omnia corrigi posse, ob eamque causam, si locus de moribus intelligatur, ita interpretari oportere : malos, dum in malitia perseverent, emendari non posse. Sed evidens est ab Ecclesiaste sine ulla conditione negari prava corrigi posse, et hanc sententiam esse : non valere hominem ad superanda tot efficientiae suae impedimenta, undecunque ea proficiscantur.

Nec ad rem apte *Elst.* dicit pravitatem illam et imperfectionem in iis ipsis operibus inesse, quae modo vana appellata sunt. Fieri enim tristi quadam necessitate, ut manca sint nec unquam omni ex parte absolvantur, quaecunque ab homine suscipiantur. Assentior, huiusmodi necessitatem induci ab Ecclesiaste, sed hoc ipso versu enuntiari non existimo; immo curva et manca rerum externarum, quoniam correctionem atque emendationem pro hominis desiderio non admittunt, *haec* illam constituunt necessitatem conatibus nostris adversantem. Nam hanc oportuit distincte indicari, ut causa vanitatis intelligeretur; alioquin nervus argumentationis intercideretur. Quae enim in prooemio proposita est, immutabilis rerum externarum constantia, ab hominis ditione ac potestate prorsus exempta, eius hoc loco denuo erat facienda mentio, ut demonstratio evaderet perspicua. Id vero, quod Elst. interpretatur, modo dictum erat : « universa vanitas », post quam exclamationem nimis leiune repeteretur : « in omnibus enim rebus aliquid manet imperfecti », contra gravissime : « obstat enim insuperabilis quaedam necessitas a Deo (7,14) obiecta. — *Cast.* putat *vanitatem* v. 14 propositam tantam dici, ut eius pravitas « sanationem non ferat »; sed huic quoque explicationi opponendum est, nondum esse *causam* idoneam allatam, quare omnia sint vana, huiusmodi autem causam (quae v. 15 proponitur) ipsum nervum esse argumentationis. Adde quod in altera argumenti parte, v. 18, item *causa* vanitatis distincte proponitur.

Recte *Zoeckl.* « Sententia est », inquit, « quemadmodum similia capitis septimi (v. 13, hebr.) verba demonstrant, hominum actionem contentionemve quantumvis laboriosam non posse immutare ea, quae a Deo semel condita constitutaque sint », additque, quae de morum ordine scripserat *Hitz.* : « Homo ea, quae (specie quidem) iniusta sunt in divina rerum administratione, corrigere, quaeque deficiunt aut deficere videntur, perficere aut plena intellectione assequi frustra conatur; conclusus enim ipse quibusdam mundi terminis ac finibus; id, quod maxime esset efficiendum, efficere nequit ». Eandem sententiam verissimam *Hahn* e voce sola מָנָה deducit, quae hoc loco (ut Ion. 2,1; 4,6. 7. 8 etc.) significet *decernere, imperare*, ut verten-

dum sit : « quae desunt, ea *evocare*, *accire* homo non potest ». At vide ne parum apte, ut 1,8, sic hic quoque ex una vocula derivet, quod aliis firmioribus argumentis probari potest.

Sed haec omnia non fato fieri, sed summa sapientia a Deo ordinari vel permitti, multis locis infra significabitur, velut 3,18, ubi Dei saluberrima disciplina laudatur : « Dixi in corde meo de filiis hominum, ut *probaret* eos Deus et *ostenderet* similes esse bestiis » ; 3,14 : « Quae fecit Deus, ut timeatur ». Quam disciplinam, cum tanta humiliatione coniunctam, homo etsi fert aegerrime, scit tamen, si fide doctus sit, propter peccatum a Deo usurpari et ad reprimendas cupiditates vitiosas utiliter dirigi. Monetur enim homo, ne terrena cupidius venetur, ut solida bona appetat, et si quo dolore prematur, eius esse causam peccatum recordetur. « Sedens igitur in foribus Sapientiae Salomon », ut est in *Midr.*, « Israelitas monens ita loquitur : Ego sedens contemplatus sum, quaecunque fiunt sub sole, ecce autem vanitas universa praeter peccatorum poenitentiam usumque *virtutis*. Cum astrologo quoque Rabbini Salomonem comparant, qui in aditu portus assidens admoneat proficiscentes atque adventantes, quo quaeque merces sint dirigendae; cui nonne gratiam habere omnes debent? Atqui talis est Salomon, qui dixit : reperi vana ac futilia, quaecunque sub sole fiunt, praeter peccatorum poenitentiam usumque virtutis ». Cuius admonitionis fructus sit oportet studiorum minus recte ordinatorum moderatio. S. *Cypr.* igitur de fiducia in Deo collocanda agens (adv. Iud. 3,11) hunc ipsum locum affert recteque comparat illa : « Nolite cogitare dicentes : Quid edemus aut quid bibemus aut quid vestiemur? haec enim nationes inquirunt. Scit autem Pater vester, quia horum omnium indigetis. Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius et omnia ista apponentur vobis. Nolite cogitare in crastinum; crastinus enim dies ipse cogitabit sibi; sufficit diei malitia sua... Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tamquam viventes in mundo vana sectamini?... Nolite diligere mundum neque ea, quae in mundo sunt; si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in eo, quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et ambitio saeculi ». Similiter omnino intellige, cum Ecclesiastes iubet supervacaneis abstinere curis vanisque cupiditatibus, « edere et bibere » cum timore Dei, nihil humanum magni ducere. Sed quemadmodum monet Apostolus (Gal. 6,10), ut, dum tempus habeamus, operemur, item ille infra (11,6) : « Mane semina semen tuum et vespere ne cesset manus tua ».

Ad v. 16. Qualis sit ad alteram argumenti partem transitio, optime *Olymp.* indicat. « Loquitur aliquis in animo suo », inquit, « cum intellectum ad ipsam intelligentiam applicans secum sermocinatur ». Modo enim res humanas duce sapientia scrutabatur Eccl. atque inveniebat plenas vanitatis; qui erat ei dolor certe magnus. Nunc in ipsam sapientiam suam reflectens cogitationem, illam quoque intelligit esse vanam, quod novum tantum addat dolorem. Duplex igitur ei ex sapientia tristitia manat; nam haec et in mundo

tristia aperit et ex se ipsa propriam gignit tristitiam, externum malum domestico duplicat. Sed haec duo quoniam separari non possunt in rerum mundanarum pervestigatione, non tam duo proponuntur argumenta, quam unius duae partes, vel potius gradus duo; increscit enim argumentatio : *quia* per sapientiam inquirens atque circumspiciens talia reperit, denique ipsam sapientiam invenit futilem esse. Non illud *potissimum* dici existimo, quod *Hahn* explicat, quaesisse ex se Salomonen, possetne sua sapientia tot mundi malis remedium afferre. Id enim cuiusdam arrogantiae esse videretur, nec infra corrigendi conatum *istum* vanum fuisse queritur, sed ipsam mentis meditationem attulisse maerorem. — Nec ea transitio est, ut *nunc demum* scriptor ad *se ipsum* sermonem transferre videatur, quemadmodum *a Lap.* et, nisi fallor, *Nyss.* intellexit; non enim adhuc de aliis locutus est, sed de se potissimum, cum v. 12 ita orsus sit : « Ego Eccl. rex fui... et applicavi animum ». Bene *Pin.* : « Reflectens mentem et cogitationem ad illud suum familiare studium, varia hominum studia cognoscendi et quasi e sublimi specula despectandi varias hominum sortes, molestia et afflictione spiritus plenissimas, in ea consideratione paululum saltem sustinere et conquiescere voluit et tamen neque tunc quidem ex ea contemplandi contentione voluptatem aliquam percepit, sed potius novam aliquam animi aegritudinem cum ingentis doloris sensu ».

Admirans igitur tam acerbum exstitisse suae investigationis fructum, cuius tandem pretii sit sapientia, se ipsum interrogat : « Ego, ecce »... (hebr.); quae voces ostendunt, quam praeter opinionem sibi illud acciderit, quasi dicat : At ego me magnum aliquem arbitrabar ob mirabilem ac prorsus inauditam sapientiam ac sane viderat mens mea abunde, in quibus feliciter occuparetur, operam quoque maximam in rebus cognoscendis consumpsi — ecce nunc hac auctus sum notitia, me mihi maiorem comparasse luctus materiam!

De sapientia Salomonis, quam ipse praedicat v. 16, iuvat conferre illa tertii libri Regum 10,23 sq. : « Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terrae divitiis et sapientia. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius » et 3,12 : « Dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit nec post te surrecturus sit ». E quibus locis appareret, potuisse *sine iactantia* scriptorem illa de se ipso profiteri; erant enim ad omnes notissima, nec cum tanta maestitia scriptoris humana omnia et ipsam sapientiam *despicientis* satis congruit magna atque insolens gloriatio. Iniuria igitur hanc *Hugo Vict.* sententiam eruit : « Cognovi vanam esse afflictionem, non profutura saluti quaerere; sed nondum cognovi vanam esse elationem de inventis superbire ». Deinde apparet non *solum* tribui a Scriptura tantam Salomoni sapientiam, quantam nemo *rex* assecutus sit — hoc enim de *potentia* et magnificentia generatim et primo loco et altero v. 13 praedicatur, sed, ubi de sola sapientia agitur, 3,12 et maxime 4,29-34 (hebr. 5,9 sqq.) ea etiam in nullo fuisse *homine* tanta dicitur, immo hoc ultimo loco Salomon nominatim cum *sapientibus* comparatur, Ethan, He-

man, Chalcol, Dorda. Quae cum ita sint, non longe quaerendi sunt, quos superaverit; sapientes enim sive reges sive alios intelligit, quotquot ea laude ante se floruerint, addit autem « Hierosolymis », primum ne insolentius (quod tamen vere licebat) omnibus se suae aetatis hominibus praeferre, deinde ne (id quod fortasse non licebat) etiam Abrahamo ac Moyse se sapientiorem ducere videretur.

Neque obstat huic explicationi, quod hebr. legi solet « super (עַל) Ierusalem », ut supra ostendi (p. 101). Itaque interpretati sunt LXX ἔν (item Ven.), Vulg. *in*, similiter *Syr.*, *Chald.*; e recentioribus *Umbr.*, *Hahn*, *Ren.*, *Mot. Cast.*, ut hoc solo differat a בְּ (2,7), quo graecum ἀνά (c. acc. vel dat.) ab ἔν, ut res vel sparsa videatur per locum vel eminere. Ceterum plurimi codd. multaeque editt. hebr. ferunt ipsum בְּ. Plerique tamen omnino de regibus volunt explicari, et quoniam unus David ante Salomonem regnaverit Hierosolymis, de priscis autem illis Canaanitis non sit recordandum, concludunt, huius libri scriptorem posteriorem fuisse Salomone, et hunc quidem Hitz. fatetur rerum fuisse suae gentis ignarum, Zoeckl., Elst... excusant, quod personam Salomonis noluerit ita diligenter in rebus omnibus servare. Sunt enim multi, qui *omni modo* huiusmodi de scriptore praeiudicatam opinionem tueri studeant, reddant autem magis improbabilem ipsis talibus artificiis. Multo melius Sapiens cum sapientibus confertur, aut, si *necesse* sit reges comparare, non, opinor, inepte Canaanitas comparabimus; non enim profecto Salomon ita se ab illis secernebat, ut nobis fortasse videtur, qui illorum ne nomina quidem noverimus (cf. tamen Gen. 14,18 Ios. 10,1); nihil prorsus habet absurdi, illorum quosdam sapientes rerum humanarum existimatores appellari. Itaque quidam interpretes eam opinionem nihil dubitantes amplexi sunt. — Singularem interpretationem proposuit Umbr. : « de omnibus, *quae* facta sunt ante me *in* Ierusalem », qua tamen explicatione rerum mundanarum notitia angustioribus finibus concluditur. [In libris autem manuscriptis plurimis esse בִּירוּשׁ diximus, ut non inepte aliquis suspicetur, errore scribarum (falsa iteratione) potuisse illud alterum עַל poni pro בְּ. Idque fit magis probabile quod in eadem enuntiatione 2,7 scriptum est בְּ, et repetitione vocis eiusdem etiam aliqua asperitas oritur].

Bick. v. 16ᵇ invertendum et post alterum דַּעַת v. 17 collocandum censet. Sic illa vitatur difficultas, quod דַּעַת, si, ut fit vulgo, pro infinitivo accipitur, caret praefixo לְ, atque etiam apte satis *post* וְאֶתְּנָה sequitur illud רְאֵה, quo videtur fructus indicari susceptae considerationis. Sed non minus apte gradus quidem sapientiae significantur, ut רְאֵה fructum designet primi et usitati, deinde autem יְדַעְתִּי renovati studii et intensi, et דַּעַת videtur post לְדַעַת carere posse praefixo aut, si necesse sit, aliter explicari. *Hier.* et in commentario et in Vulg. eum ordinem sequitur, qui nunc est in hebraico (et Chald., Syr., Arab. et LXX ABS). — *Doederl.* דַּעַת pro substantivo accepit et proxima verba pro praedicatis, in hunc modum : at scientia est insipientia ac stultitia; sed si vana est scientia non continuo dicenda fuit insipientia ac stultitia; aliud certe est, quod sequitur : inutilis animi cruciatus. Substantivum id fecit, sed cum חָכְמָה iunxit Syr., ut LXX et Vulg., id quod, neglecto accentu hebr., multo praeferendum dixeris; concinnitas enim orationis pulcherrima efficitur. Contra secundum hebr., ut legitur, vertendum est : « ad sciendam sapientiam et ad scien-

dam insipientiam atque stultitiam »; concinnius alii nunc quoque vertunt in hunc fere modum : « ut scirem, quid esset sapientia *et scientia*, insipientia et stultitia ». Attamen durissimum est infinitivo לָדַעַת addi *idem* obiectum דַּעַת, et fortasse aliter inconcinnum illud vitari potest. — De voce הֹלֵלוֹת multa dubitatio est; LXX παραβολάς, similiter *Syr.* vertit, *Chald.* stultitiam, *Aq. et Vulg.* πλάνας, errores, *Theodot.* περιφοράς, recentiores fere « insipientiam » s. « insaniam », item LXX ipsi 2,12 (παραφυράν) ac similiter ibidem Syr. Convenit igitur paene inter omnes de generali vocis notione, quam ab errando ad delirandum atque furendum traductam esse dicendum est — nisi quod primi illi hoc loco aliud ac 2,12 legisse videntur, fortasse, ut *Gr.* censet scribendum : מְשֻׁלּוֹת; *Ginsb.* תְּבוּנוֹת legendum putat aut hoc verbum cum proximo delendum. Potest autem esse, ut apud LXX παραφοράς legendum sit, *Syr.* autem et *Ar.* errorem LXX secuti sint. Sed *Gr. et Ginsb.* sine causa negant insipientiae mentionem fieri potuisse; recte enim *Hier.* : « Contraria intelliguntur et sapientia prima est, stultitia caruisse; stultitia autem carere non potest, nisi qui intellexerit eam ». Quod autem *Gr.* etiam *Chald.* vertisse « proverbia » (vel similiter) dicit, fallitur; nam ut *Cast.* demonstravit omnibus quattuor locis (1,17; 2,12; 7,25; 9,3) vertit « stultitiam », sed 1,17 praemittit eam alteri דַּעַת.

Quod sequitur שִׂכְלוֹת nunc plerique idem dicunt esse quod ס 2,3. 12. 13; 7,25; 10,1. 13; vertunt igitur « stultitiam » (plus centum codd. hebr. ferunt ס ad 1,17). Contra LXX, *Chald.*, *Syr.*, *Ven.* « scientiam » vel « intelligentiam » interpretantur, item *Gr.* et *Ginsb.* Congruit vocabuli ipsius scriptio; nam שֵׂכֶל est « prudentia », et si verisimile est ס potuisse poni pro שׂ, non item facile admittendum est שׂ pro ס substitutum esse; illud enim ס aramaicum est, sed alterius ratio reddi non potest, praesertim cum 2,12 et ceteris locis omnibus ס scriptum sit. Quodsi verterimus, ut LXX, tota sententia ita se habebit : « Posuique studium in pernoscenda sapientia percipiendisque deliramentis atque argutiis », id quod videtur toti loco aptissimum; evitatur etiam illud inconcinnum, de quo paullo supra; iam enim sapientia bipartito divisa necessario per duo exprimitur; servatur eadem vocis דעת explicatio, etiam accentus masor., denique intelligitur, cur hoc uno loco scriptum sit שׂ, non ס. Melius etiam quadrant, quae sequuntur : perspexi esse hanc ipsam quoque studium ventosum, vel potius secundum vocis רַעְיוֹן apud Danielem significationem, *mentis* laborem inutilem. Licebit etiam דעת *ita* pro subst. explicare, ut genitivos adiunctos habeat : « in percipienda sapientia et scientia errorum atque argutiarum »; facilius enim forsitan nunc, si coniunctum cum iis, quae sequuntur, paullo magis separatur a verbo דעת, tolerabile sit in lingua *inopi*; cf. supra p. 101 de repetita voce לֵב.

In v. 18 LXX verterunt : ἐν πλήθει σοφίας πλῆθος γνώσεως, ac si pro כַּעַס legerint בִּינָה, quam vocem *Cast.* in aliquo codice invenit et subiectam fuisse interpretationi arabicae verisimile est; sed quoniam sententiam habet multo deteriorem, nihil oportet attendi.

Pauca de toto loco amplius addam. Dissentiunt interpretes, quale fuerit hoc studium Salomonis inquirendi investigandique de rebus humanis, in quo argumento versatum sit, laudabile fuerit an contra. S. *Hier.* ita disputat : « Ecclesiastes ultra licitum se extendens voluit causas rationesque cognoscere : quare parvuli corriperentur a daemone, cur naufragia et iustos et impios pariter absorberent, utrum haec et his similia casu evenirent,

an iudicio Dei. Et si casu, ubi providentia? si iudicio, ubi iustitia Dei? Haec, inquit, nosse desiderans, intellexi superfluam curam et sollicitudinem per diversa cruciantem a Deo hominibus datam, ut scire cupiant, quod scire non licitum est. Pulchre autem causa praemissa a Deo data distentio est... idcirco Deus distentionem malam dedit hominibus, ut distendantur in ea, quia prius sponte sua et propria voluntate haec vel illa fecerunt ». Dicit igitur Ecclesiasten voluisse arcana providentiae et iustitiae Dei investigare; recte autem huiusmodi studio suam esse poenam propositam, quae exitu investigationis maestissimo contineatur. Et sane aliquot id genus quaestiones ponuntur iam secundo capite v. 15 sq. : « Et dixi in corde meo : si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest?... » et v. 19-21 : « Haeredem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis... » Minime est igitur a libri universi argumento alienum, ita Salomonis studium explicare, ut fecit *Hier.*, item *Alc.*, *Hugo* Card., *Bonav.*, alii; idem autem erit studium, in quo Iob amicique eius versati sunt, ut occultas rationes invenirent, cur Deus bona malis, mala bonis attribueret. Quo nihil potest in mundi rebus inesse, quod acrius pungat iustorum sapientiumque animos. Sed quoniam nec in hac sola re libri disputatio versatur, nec ii versus, quos adhuc interpretati sumus (quibus unum argumentum absolvi vidimus), id perspicue significant, non recte hunc ipsum locum de sola vitiosa disquisitione divinae providentiae ac iustitiae accipiunt. Quod mox evidentius apparebit.

Alii intelligunt curiosius scientiae studium *generatim*, quod versatum sit in rebus minimis et inutilibus, neglectis maioribus atque gravioribus. Otiosorum autem ac desidum sunt argutiae, nugae, quaestiunculae, quae quidem in quibusdam rebus habent etiam temeritatem. In quos cadunt illa Iesu Sir. 3,22 sqq. : « Altiora te ne quaesieris et fortiora te ne scrutatus fueris, sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quae abscondita sunt videre oculis tuis. In supervacaneis rebus noli scrutari multipliciter et in pluribus operibus eius non eris curiosus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos quoque supplantavit suspicio illorum et *in vanitate detinuit sensus illorum* ». Ut haec ultima verba demonstrant, eiusmodi interpretatio non longe abest a sententia Ecclesiastae, qui toto libro immoderata, infecunda, supervacanea hominum studia probat esse vana. Atque etiam nominatim sapientiam eo loco, de quo agimus, a ceteris studiis segregat. Attamen falluntur, meo iudicio, illius opinionis defensores, cum vel in solas res *exiles et minimas*, neglectis seriis muneribus officiisque, vel *insolita* inflatione animi atque arrogantia inquisivisse Salomonem arbitrantur. Severissime *Hugo Vict.* : « Non solum elata, verum etiam caeca mens ad tantum erroris profundum corruit, ut non solum id, quod inordinatum erat facere, cogitaret, sed etiam id, quod impossibile fuerat, implere se posse praesumeret. Proposui in animo meo — ingens conatus. Et quae? Quaerere et investigare, quaerere ignota et investigare profunda. Quomodo? Sapienter. O cor insipiens! » Sed nec hic

nec infra ab ipso, nec alio scripturae loco Salomonis sapientiae studium *ita valde* vituperatur, et fortasse paullo lenius licebit indicare.

Itaque *Pin.*, Chaldaeo interpreti assentiens, de ea agi putat sapientia rerum humanarum atque divinarum, quam a Deo ardenter precando impetraverit; studiumque eius utiliter positum esse in comparandis hominum coeptis institutisque ad veram animi tranquillitatem ac felicitatem. In eadem sententia fuit *Olymp.*, qui scriptorem ita loquentem inducit : « A Deo datam nactus sapientiam omnem cogitationem meam in considerationem contuli earum rerum, quae sub sole aguntur ». Advertendum censet, Ecclesiasten non inaccessa sibi coelestia, sed sub sole collocata assumpsisse disquirenda ac dicere videri : Non humanis ego ratiocinationibus speculatus sum omnia, sed usus ea sapientia, quam divinitus donatam acceperam. — Paullo aliter *a Lap.*, qui censet *non tam* suo exemplo, quam rerum usu Salomonem velle demonstrare vanitatem. « Hunc esse sensum liquet ex sequentibus, in quibus fuse singulas hominum occupationes, voluptates et studia ordine enumerat ac sese per experientiam in singulis nonnisi vanitatem et afflictionem invenisse commemorat ». Sed obstat, quod proximo capite et amplius, quomodo *ipse* erraverit, narrat, et concludendum videtur, ne primum quidem *sciendi* studium errore vacasse; deinde ubi secum ipso colloquitur, non de aliena, sed de sua sapientia verba facit et suam reperit esse tanto molestiorem, quanto maiorem.

Distinguendum esse dicimus. Salomon dum ceterorum hominum studia v. 12-15 excutit duce sapientia, non est, cur quidquam in ea ipsa re vitiosum esse dicamus, praesertim cum regis sit, multa circumspicere ac multiplicem sustinere sollicitudinem. Quem decet etiam et ornat dolor ex consideratione miseriae communis hominum conceptus. Porro cum suum esse sciat pro viribus elaborare, ut remedium tot malis afferat, intelligat autem, quam sit ipse tanto muneri impar, nihil admirandum est, quod maerens secum ipse deliberet atque adeo expostulet de sapientiae suae sterilitate. Itaque hunc totum locum separatim consideranti nihil occurrit, quare Salomon se ipsum debuerit *tam acriter* incusare, nec id se facere genere orationis indicat. Ac tamen manifestum est ab initio libri et disputatione procedente magis magisque cognoscetur, eum deterrere lectorem ab eiusmodi laboribus, qui iure vani appellentur. Quocirca ne hoc quidem primo vanitatis exemplo quidquam aliud facit nisi improbat quoddam genus occupationis a se susceptum et verbis quoque *aliquam* arrogantiam satis indicat. Non igitur laudabilem *potissimum* regis providentiam et iustam de malis communibus aegritudinem proponit nec verbis talia studia designat, sed magis tamquam privati hominis investigationem narrat, ut non tam regni provisorem, quam *philosophum* omnis veri appetentem agere videatur. Quodsi initio proximi capitis eum viderimus a solius sapientiae studio ad voluptatis ac magnificentiae privatae consectationem deficere, dubitare non poterimus, quin de publica regni provisione sola antea non dixerit; atque ipsa haec transitio ab altiore atque honestiore mentis contemplatione ad viliorem sensuum delectationem atque ad ambitionem, satis demon-

strat, cum a vitioso studio ad vitiosius delapsum esse. Et quoniam toto libro studiorum immoderationem reprehendit, dici necesse est, idem hoc fuisse in eius *sapientia* vitium. Non dixerim continuo peccatum, vel culpam graviorem, sed eiusmodi vitium, quale e naturali hominis cupiditate sua sponte manans vel peccatum affert vel saltem male ordinatam rerum magnarum appetitionem. Utrumque contrarium est voluntati Dei, qui tales conatus ad vanitatem deducit, obiiciens seras quasdam ferreas, quas perrumpere ambitiosa cupiditas nequeat. Quos obices omnes Ecclesiastes illo ordine mundi contineri dicit, qui a Deo constitutus perpetuo illudere videtur hominum conatibus : « Didici quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum; non possumus eis quidquam addere nec auferre, quae fecit Deus, ut timeatur » (3,14). Homo igitur cum duce natura, peccato vitiata, modestiae fines transiens altiora se attingere vel efficere studeat, Deus ipso cursu mundi rerumque mundanarum illum perpetuo reprimit, coercet, coarctat, ut sciat esse aliquem homine fortiorem ipsumque hominem imbecillum, fragilem, humilem. Iam vero Ecclesiastes multiplices conatus describit, quos vel ipse fecerit vel facere homines soleant, ut magnum aliquid perfectumque assequantur; quod quoniam raro fit ita, ut moderationis modestiaeque termini non transeantur, consequitur concursus et quasi conflictus virium humanarum cum ordine mundi a Deo constituto. Deus enim, ut aiunt, non sinit in coelum crescere arbores, et qui Daedaleas sibi affinxit alas, is facile ex alto decidit. Apparet igitur, quale dicendum sit fuisse illud Salomonis studium, quod in cassum recidisse et dolorem exitu infelici attulisse queritur. Nihil est autem, cur *permagnam* in eo studio culpam fuisse dicamus, id quod hic minime eo modo, quo infra saepius, ipsis verbis significat; et sane, si qua in re errat homo, in sapientiae studio videtur esse facilior excusatio, quam in vilioribus. Licebit igitur ita cogitare : Salomonem sapientia a Deo concessa aliquatenus esse abusum, vel de rebus inutilibus curiosius, vel de honestis cupidius, vel de occultis (ut de *Providentia malisque mundi*) arrogantius investigando; peccasse autem nulla re magis, quam inutilitatem laboris sui *molestius atque immodestius ferendo nec divinae voluntati acquiescendo*. — Atque haec de primo capite eo consilio, aliquanto uberius explicavi, ut reliqua proclivius interpretatio decurreret.

b) Vana voluptas, vana magnificentia 2, 1-2, 26.

Arg. — De capitis secundi dispositione summisque sententiis primum videndum est, quoniam mirum in modum discrepant opiniones in singulis ob universae interpretationis varietatem. Prioribus versibus undecim de voluptate laetitiaque et de luxu atque magnificentia tractatur, sed ambigitur, utrum una perpetua argumentatione, an duabus partibus omnino distinctis, i. e. altera de sensuum luxuria (vv. 1-3), altera de operum potissimum magnificentia (vv. 4-11). Deinde sapientiae

stultitiaeque differentia exponitur (vv. 12-17), quod mirere, quoniam is locus videtur capitis primi parte altera absolutus esse. Porro ad laborum opulentiaeque vanitatem demonstrandam redit oratio (vv. 18-23). Postremo moderatus bonorum huius vitae communium usus commendatur (vv. 24-26). Necesse est igitur praeter cetera, qui ordo rerum sit et cogitationum, indagemus. Itaque sit haec nobis totius capitis descriptio proposita, quam deinceps accuratius demonstrabimus :

Inventa atque deplorata iam *sapientiae,* quod est animi summum bonum, vanitate (1,12-18) Ecclesiastes in contrariam appetitionem *sensuum voluptatis* se delapsum narrat et in hac tantam invenisse vanitatem, ut se cito ad paullo altiora studia reciperet (2,1-3). Quibus quidem studiis *magnificentia* operum, *revocata* in aliquam partem laboris sapientia, erat proposita; sed ex *utriusque* laboriosissima nec infelici molitione similis tamen enascitur vanitas atque inanitas (2,4-11). — Iam igitur tribus gradibus omnem ambitum studiorum humanorum percucurrit reperitque *et summa et infima et media* plena esse vanitatis; quid relinquitur, nisi ut ab omni appetitionis immodestia se revocet et in humili quadam sobrietate, qualem Deus, ut supra vidimus, homini praefinivit, acquiescat. Quae conclusio in extremo capite (2,24-26) enuntiatur (cuius rationem illam, quam modo significavimus, tertio capite etiam copiosius explicabit). Sed quorsum spectant, quae media sunt de sapientiae stultitiaeque discrimine (2,12-17) et de ratione vanitatis magnarum opum (2,8-23)? Resp. : Argumenta sunt eorum, quae ante *proposita,* non *demonstrata* sunt. Nam v. 11 breviter dixit tantummodo magnificentiae studium dirigente etiam sapientia ad irritum recidisse; *probatio* sequitur a v. 12. Miratur Ecclesiastes ne iunctis quidem animi internis rerumque externis adminiculis quidquam effici grande potuisse. « Nihilne igitur », inquit « interest inter sapientiam et stultitiam, quandoquidem utriusque pariter effectus inanis est atque cassus? An quia illa duce ac rectrice frustra in magnis operibus elaboravi, ipsa ne ad *subsidiariam* quidem operam praestandam valet? » Hac igitur cogitatione inducitur, ut, quid possit sapientia, stultitiae *comparatione* quaerat; quae idonea certe causa est, cur iterum de sapientiae fructibus investiget, quamquam eam in altiore mentis occupatione infecundam esse iam supra (1 cap.) invenit. Nec mirum quod hoc *prius,* deinde (v. 18) de ipsorum operum vanitate exponit; pupugit enim eius animum, id, quod *maius* fuit in omni sua molitione, inutile evasisse. Accedit, quod, quoniam initio capitis de stultitia *voluptatis* dixit et ne illo quidem loco probationem attulit, haec media pars capitis et *illuc* pertinet (vv. 1 et 2) et ad *posteriora* (vv. 18-23), ut prorsus suo loco

videatur posita. Pulcherrima igitur efficitur rerum cogitationumque dispositio, si quidem hunc ordinem singulatim poterimus demonstrare. Apparet autem, cur totum c. 2 etsi longiusculum est, simul complectar.

1. *Vana atque insana voluptas* 2,1-3.

Ergo versus 1-3 ad sensuum delectationes exclusa et dimissa (cap. 1) sapientia diximus spectare. V. 1 « *Dixi ego in corde meo : Vadam et affluam deliciis et fruar bonis* (hebr. : Agedum experiar te laetitia, fruere bono). *Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas* »; 2 « *Risum reputavi errorem et gaudio dixi : Quid frustra deciperis?* » (hebr. : De risu dixi : insanit! deque laetitia : quid istaec proficit?); v. 3 « *Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam devitaremque stultitiam* (hebr. : et — dum meus me animus reducit ad sapientiam — stultitiam coercerem), *donec viderem quid esset utile filiis hominum, quo facto opus est* (esset?) *sub sole numero dierum vitae suae* ». Iam quod primo versu « laetitiam » ponit, id quidem ambiguum est, sed, quod sequitur « fruere bono » (hebr. רְאֵה בְטוֹב), illud propius attingit, quod volumus, maxime vero v. 2 « risus » et v. 3 « vini » commemoratio. Nam huiusmodi voluptatem ad illa « magna opera » referri, quae a v. 4 describuntur, dici non potest, nisi diversissima iungi confundique affirmes. Itaque *duo* haec sunt : oblectamenta sensuum inferiorum et ambitiosus vitae cultus atque splendor. Congruit autem optime, quod primo capite de superbia quadam intellectus tractatum est. Solet enim humana cupiditas, suprema studia fastidiens, ad infima se abiicere, deinde fortasse media illa amplecti, in quibus « oculorum concupiscentia » versatur [1].

Veniamus ad singula. Prima verba v. 1 similem habent affectum atque 1,16 observavimus : confert secum ipse Ecclesiastes paene desperans, deinde studium sapientiae contrarium arripit; ad eandem commotionem animi pertinet לְכָה־נָּה « agedum ». Proximum vocabulum, ut nunc sunt puncta hebraica, sonat πειράσω σε (LXX). Ergo animum ipsum alloquitur; convenit imperativus רְאֵה בְטוֹב = « vide in bonum », qui hebraismus significat boni experimentum et gustationem. Similia sunt etiam in novo testamento : « non videbit vitam » (Io. 3, 36) et « non visurum se mortem » (Lc. 2,26); in hoc libro, quem explicamus videndi verbum manifesta fruendi potestate usurpatur

(1) In « Fausti » fabula, nemini ignotum est, eodem modo errores hominum maxime communes describi a poetis solere.

6,6 et 9,9, sed cum nudo obiecto iunctum, cum בְּ autem Iob 3,9, in qua structura *apprehensio* rei proprie significatur. *Vulg.* habet « affluam deliciis », ac si scriptum sit אֶנְסֹכָה בְּ = « effundar in laetitiam », quod quidem, quoniam de vini laetitia potissimum agitur (v. 3) ad sententiam aptissimum est (atque ita legitur, omisso dagesch litterae כ, in 20 codd. apud de Rossi); accedit altera ratio, quod dictum est בִּלְבִּי, non ut 1,16 עִם־לִבִּי, quod si premas non videtur animus ipse compellari. At etiamsi imperativus « vide » (hebr. רְאֵה) adiuncta iam *prima* pers. « affluam », quia manifestam ille compellationem continet, fortasse in tanta affectus commotione tolerabilis est, ac minorem difficultatem affert, quia praecedit לְכָה, tamen magnopere dubitandum est, possitne ipsum verbum נָסַךְ de animi effusione poni. Sensit difficultatem priorem Hier. scripsitque « vadam, fruar » pro « vade, fruere ». — Adiungitur altero inciso, qui fuerit experimenti exitus : et ecce (ut 1,14. 16), hoc quoque frustra tentavi. Immo vero etiam indignatus Ecclesiastes stolidum ac turpe appellat nimia efferri ac gestire laetitia (v. 2).

Rursum igitur circumspiciens animo (v. 3) continere se (hebr. *carnem meam*) in vino, i. e. ab huiusmodi sensuum inferiorum se revocare oblectamentis statuit; nam vinum poetice pro exemplo ponitur eorum, quae sunt similia et *generis* eiusdem. « La partie, inquit *Mot.*, » est ici pour le tout : *le vin,* c'est-à-dire la table et ses festins, étant une des grandes voluptés de l'homme, sert à caractériser la volupté d'une manière générale. » Et, dirigente meditatione sapienti (*hebr. :* et erat animus meus dirigens in sapientia), proponit apprehendere, i. e. coercere illam stultitiam sive effusam laetitiam, usque dum videat, quid sit optimum factu hominibus in hac vita mortali. Reditus hic quidam est ad sobrietatem et aliqua cum deserta sapientia reconciliatio ac quodammodo pactio; nam ita se ad nova studia, quae *nec* infima sunt *nec* summa, trahere conatur. De quibus mox viderimus.

Sed tuenda est prius proposita interpretatio verborum, quae est eadem fere in *Vulg.* In trium vocabulorum (in quibus aliquid esse *erratum* probabile est) rei summa vertitur : מָשַׁךְ, בְּחָכְמָה, אֶחֱזֶה. Ea multi sic accipiunt, ut omnino contraria sententia efficiatur. Volunt Ecclesiasten deliberare, ut totum se vino *dedat,* et dum voluptatis quasi flumen *sapienter* (veri Epicurei instar) moderetur, apprehendat, i. e. *percipiendo* experiatur, stultitiam. Sed existimo et posse et oportere locum sic explicari, ut est in *Vulg.* (atque etiam apud LXX, id quod infra ostendam). *Posse* dico : nam מִשׁוֹךְ בְּשָׂרִי verbo tenus significat = « tendere vel trahere carnem meam », cui si ad-

ditur « in vino », apte efficitur sententia sui *re*trahendi, compescendi in potationibus. Nam qui dirigente animo s. ratione (לֵב) attrahi carnem dicit, is sua sponte inducit in cogitationem *refrenatae vi animi carnis,* praesertim si, ut hoc ipso loco, acerrima antecessit increpatio voluptatis; *nemo enim non existimat eiusmodi increpationem continere iam propositum reprimendae corporeae delectationis.* De violenta retractione verbum usurpatum vide Iob 40,25 (*Vulg.* 20). Quodsi velis בָּשָׂר = « carnem » de tota persona accipere, eam tractionem, quae rem ab interitu *servet,* intellige; cf. Gen. 37,28, et saepe. Est etiam alia explicatio (si ista forte displicet), quae eodem redeat. Nam מָשַׁךְ a tendendi ad differendi, procrastinandi significationem transfertur, ut Is. 13,22 (Vulg. 14,1) : dies non elongabuntur, i. e. tempus non differetur, non retardabitur; cf. Ez. 12,25. 27 (de oraculi eventu). Potest igitur eo loco, de quo agimus, haec esse sententia (illi simillima) : differre, remorari carnem, ut parcius vino utatur. Quam optimam *sententiam* teneo, etsi vocis explicatio non est nisi probabilis. Similis est ratio vocis אָחַז. Nam *prehensio* stultitiae cur non possit intelligi violenta, non apparet, et in promptu est locus Iob. 16,12 : « tenuit cervicem meam, confregit me ». Adde quod munus sapientiae, quae paullo ante illud verbum nominata est, sua sponte intelligitur esse : coercere stultitiam. Nam eius officium sic definire, ut sit callida quaedam temperatio et modificatio voluptatis, ne corpus ipsum corrumpatur, id quidem minus probabile videtur. Vix credibile est enim, ita exquisite Salomonem captasse sensuum oblectamenta; Epicureus fortasse quispiam sive unus ex veteribus illis sive ex recentioribus sic usus, immo vero abusus est ratione ad securius hauriendas sorbendasque voluptates; at quis probabile afferet tam insolitae in luxuria sollertiae, si de Salomone agatur, argumentum? Itaque per sese minime verisimilis ista explicatio. Adde quod, qui ita interpretantur, coguntur v. 3 dicere exordium quoddam *insequentis* tractationis (ut facile cernitur); sed in iis non videtur locum habere illa *moderandae voluptatis sollertia;* nam de magnis operibus ibi agitur, domorum exstructione, vinearum, hortulorum, silvularum cultura... Quomodo ista cum v. 3, si illo modo acceptus erit, cohaerebunt? Atqui illi haec omnia amplificationem esse quandam tertii versus necessario dicunt. Nec cum secundo poterunt ista connecti. Quo versu volunt sane exitum experimenti universi *anticipari.* Esto; sed tanto id affectu fieri *ante* illam longiorem explicationem, multo autem minore *post* eam (v. 11), minime congruum arbitror. Contra ipsa animi commotio, unde v. 2 effluxit, declarat, ab initio capitis de maiore ac turpiore vanitate agi, quam ea est, de qua v. 11 illud commune enuntiatur : « vanitas et afflictio animi ». Quod rei valde consentaneum est, si de *voluptatis turpitudine* ab initio, deinde autem de mediocri et communi inter homines cupiditate tractatur. Aptissime etiam rem illam tam breviter quam acriter scriptor sacer absolvit. Quamquam illa quoque stultitiae reprehensio, quae vv. 12 sqq. continetur, *aliqua ratione,* ut ostendemus, haec respicit; eadem etiam vox כְּסִלוּת utrobique usurpatur. Mixtum enim quodammodo ex levi-

tate et ex sapientia studium vv. 4-12 proponitur : cultus ac magnificentiae; ita fit, ut v. 12-17 stultitia cum sapientia *comparetur*. Quae cum ita sint, recte videmur statuere; omnino *oportere* v. 3 eo modo, quo propositum est, intelligi.

Nec aliter accipienda sunt verba LXX : κατεσκεψάμην εἰ ἡ καρδία μου ἑλκύσει ὡς οἶνον τὴν σάρκα μου, καὶ καρδία μού ὡδήγησεν ἐν σοφία καὶ τοῦ κρατῆσαι ἐπ' εὐφροσύνην (-ῃ), i. e. circumspexi, num mens mea ut vinum (legerunt כַּיַּיִן, item Theodot.) carnem meam traheret et dux mihi mens mea fuit in sapientia et ad vincendum contra (ad comprimendam) laetitiam; dicitur autem εὐφροσύνη potissimum de conviviorum laetitia, quae est ipsa (vini) « insania », quam ante reprehendit scriptor; de reliquo et εὐφρ. et ἀφρ- (i. e. stultitiam) scriptam fuisse apud LXX Hier. testatur.

Optime *Thaum.* totius sententiam loci (vv. 1-3) exsequitur. « Haec », inquit, « ita se habere existimans, animum induxi aliud vitae genus capessere ac dedere me luxuriae (τρυφῇ) variasque experiri delicias (ἡδονῶν πεῖραν λαβεῖν). Nunc autem intellexi vana esse istiusmodi universa; quare et risum temere effusum compescui et ad sobrietatem exegi (s. castigavi : πρὸς τὸ σωφρονεῖν ἐκόλασα) voluptatem, quam acerbe increpui. Contemplatus autem vim tantam esse animi, quae sistere ebriam diffluentemque sicut aquam naturam corpoream posset, tantamque efficientiam continentiae, ut cupiditatem adigeret in servitutem, statui inquirere, quodnam esset homini propositum dignum vereque honestum in hac vita bonum, quod consectaretur. » Deinde ad *cetera*, i. e. alia bona conversum esse Ecclesiasten dicit : « Percucurri cetera, quaecunque praeclara existimantur... » *Hier.* quoque in commentario secutus LXX vertit : « Dixi ego in corde meo : veni nunc, tentabo te in laetitia et videbo in bono... consideravi in corde meo, ut traherem in vino carnem meam, et cor meum deduxit me in sapientiam [quarto casu usurpato pro ἐν σοφίᾳ etiam manifestiorem reddit sententiam] et ut obtinerem in stultitiam, donec viderem... » Idque sic enarrat : « Volui vitam tradere deliciis et carnem meam ab omnibus curis liberare et quasi vino, sic voluptate sopire (sic interpretatur ἑλκύειν ὡς οἶνον σάρκα), sed cogitatio mea et ratio naturalis, quam etiam peccatoribus Deus auctor inseruit, retraxerunt me et deduxerunt ad sapientiam requirendam stultitiamque calcandam, ut viderem, quidnam illud esset boni, quod homines in vitae suae possunt agere curriculo. Eleganter autem voluptatem ebrietati comparavit. Siquidem ebrietas evertit animi vigorem, quam qui potuerit sapientia commutare et, ut in quibusdam codicibus habetur, *obtinere laetitiam* spiritualem [hic aliam vim subiicit verbo obtinendi], is poterit ad scientiam rei istius pervenire, quid in hac vita appetendum sit, quid vitandum. » Illud incommodum est, quod Hier. *partem* v. 3 ad eandem sententiam, qua v. 1 explicat; id *post* v. 2 certe non licet.

Animadverte, et omnino ardenter ac poetice scriptorem hunc locum, qui de voluptate est, exsequi et in v. 3 aptissime similitudinem afferre evagantis atque aberrantis voluptatis, ducentis autem et moderantis sapientiae; nam haec similitudo congruit cum ea, quae vv. 13 et 14 explicatur : ibi caeca voluptas in tenebris dicitur errare, at sapientia tanquam in plena luce ambulare et luminoso intuitu viam suam prospicere. Atque hoc quoque ostendere videtur, *aliquo modo* illam inferiorem argumentationem ad initium capitis spectare, et totum caput

secundum etsi, ut monstravi, pluribus constet partibus diversis, eas tamen ita copulari inter se, ut illi sapientiae, quae primo capite est tractata, reliqua studia inferiora communiter opponantur, id quod est prorsus consentaneum. Idem sentiens *Hier.* secundi capitis explicationem sic orditur : « Postquam in multitudine sapientiae et adiectione scientiae laborem et dolorem esse deprehendi et nihil aliud nisi cassum et sine fine certamen [1 cap.], transtuli me ad laetitiam, ut luxu fluerem, congregarem opes, divitiis abundarem et perituras voluptates caperem »; ubi laetitiam nominans et rursus ad extremum voluptates, generatim externa vitae oblectamenta, quae toto capite tractantur, significat, reliquis autem per partes singula enumerat : « luxu fluerem » (1-2), « congregarem opes » (4-6 de opulentia publica magnisque operibus), « divitiis abundarem » 7-8 de iis, quae magis proprie ad domesticum usum habentur). Haec duo posteriora apte comprehendit Ecclesiastes v. 9 : *magnus* factus sum et *opulentus*, additque, id quod v. 3 significaverat, foedus sibi quoddam interea cum sapientia perseverasse. Sed tamen v. 10 haec omnia dicit oculorum servisse cupiditati et voluptati non honestissimae; atque ita magnificentiae studium redire fere in gyrum illius voluptatis videtur, a qua se Salomon v. 3 avocaverat; una etiam de utraque voluptate vox שִׂמְחָה ponitur, quamquam reliqua descriptio, ut oportuit, diversa est. Est igitur aliquid omnibus partibus secundi capitis commune, cetera diversa[1]. Quae quidem idcirco accurate perspicienda sunt, ut, quae sit in hoc libro, de quo tantum est in varias partes disceptatum, quam subtilis argumentorum omnium dispositio, appareat.

Additamenta quaedam ad vv. 1-3 *explicandos.* — Hic graviores errores acrioribus verbis Salomon describit. Deficit a studio *sciendi* atque intelligendi, ut amplectatur *viliora;* illud, etiamsi erat immoderatum, tamen a regis officio et dignitate sapientis multo minus alienum, hoc gravi viro prorsus indignum. Et tamen id facit deliberate : Dixi ego idem (אֲנִי). Nec iam quaerit, quid officii sui sit, quid dignitas sua postulet, sed quasi temere tentando et experiendo, quid sibi placere possit, reperire vult : « Tentabo te. » In quo videtur contineri illud studium primorum parentum, cum « scire bonum et malum » seque reddere beatos invito Deo vellent. At subito, apertis oculis, vidit ingentem vanitatem atque adeo insaniam. Opinati sunt quidam, Salomonem alienam sibi assumpsisse personam, cum se ad deliramenta voluptariorum delapsum esse diceret. « Hic contionatoris modo », inquit Alcuinus, « communi sententia vulgi loquitur, quam tamen vanam ostendit ». Non aliter sane vulgus solet errare recteque dixeris, scriptorem in sua persona exprimere etiam communem, sed ita, ut teneat tamen suam, non induat alienam. Communia sunt

(1) Eatenus capitum quoque distinctio hoc loco non est absurda, etiamsi rectius profecto fuerat 1,12 distingui.

quodammodo hominum vitia, at hic Salomon proprie et maxime suum privatum errorem deflet; constanter enim, ut in primo capite, sic in hoc repetit primae personae pronomina : v. 1 (אֲנִי), v. 4-9 (לִי), v. 11-13 (rursum אֲנִי) etc., ut, quare fiat, dubitare nequeas.

Quod ad vocabulorum explicationem attinet, אנסכה tentandi significatione accipiunt recentiores summa consensione; item inter veteres praeter LXX etiam *Syr.*, *Kimchi*, et, omisso illo *te*, *Chald.* et *Midr.* Quae omissio significare videtur, non ipsum animum compellari, sed Ecclesiasten cum animo conferentem se ipsum compellare, quod quidem sic vertendo apte exprimas : « Dixi ego mecum ipse : agedum experiar te (= me) » (Vulg. : *in* corde meo, *vadam*); nec displicet haec explicatio (ab *Hahn* quoque defensa), praesertim cum alioquin sane mirandum sit, non esse hic iterum (ut 1,16) usurpatum עִם־לִבִּי, sed בְּלִבִּי. Ut Hier. autem, interpretatus est אנכ *Raschi*, idemque ponitur primo loco apud *Ab. Ezr.* : potest aliqua etiam ex hoc ratiuncula peti, quod plenior forma suffixi 2. pers. כָה non invenitur aliis locis nisi post alterum Caph et in verbis monosyllabis ut בְּאֲכָה. *Bick.* pronomine omisso legi vult *anassänna*, adiuncto infinitivo absoluto וְרָאֹה : « periculum faciam voluptatis atque indulgebo genio »; *Gr.* רָאֹה censet esse rariorem infinitivi formam : « probabo te laetitia fruendoque bono »; quod utrum liceat necne, non satis liquet; neque videtur quidquam *idcirco* mutandum esse, quod paullo audacior sit modus loquendi, propterea quod affectui ardentiori est perquam accommodatus. Recte autem quidam compararunt, quae in evangelio (Luc. 12,19) homo dives secum ipse loquitur : « Dicam animae meae : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare »; de quo dicit Servator : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te ». « Ecce », inquit Ecclesiastes, « haec quoque vanitas ».

Sed idem hic aliam humanam affert rationem; subito enim (asyndeton!) sibi occurrisse quasi insaniam quandam dicit (v. 2). Iam לְ particulam latine *de* apte reddas, ut est Gen. 20,13 : « In omni loco ad quem ingrediemur, dices de me (לִי) : frater meus est hic .» In quo loco proxima similitudo est alterius partis huius enuntiati : « Deque laetitia : quid ista proficit? » Hanc explicationem afferunt *Chald.*, *Ab. Ezr.*, *Vaih.*, *Cast.*, *Hitz.* Artificiosius *Hahn* vertit : ridendo (i. e. cum riderem) dixi... et gaudendo..., comparatque לְ 1,16 et 2,3. Contra לְ pro אֶל־ accipiunt LXX, *Vulg.* (in altero quidem versus articulo), *Syr.*, et recentiores plerique; atque illi veteres, id quod consequens fuit, verterunt : « Quid hoc fecisti? » vel similiter, ut hebr. זֶה pro *neutro* acciperent. Item paullo ante illud מְהוֹלָל neutrum esse voluerunt *Vaih. Hitz.*, et, ut videntur, ii omnes, qui per substantivum reddiderunt, ut LXX et *Theod.* (περιφορὰν vel παραφ.), *Aq.* (πλάνησιν), *Symm.* (θόρυβον), *vet. Lat.* (amentiam), *Vulg.* (errorem). Sed id non est necesse estque optima sententia verborum hebr. : « de laetitia dixi : insanit! » — Quod est in Vulg. : « Quid frustra deciperis? » sic explica. Interpres, cum זֶה acciperet pro neutro, porro id retulit ad illum « errorem », ut sententia esset : « Cur sic agis, ut erres? » Quod quidem, quia quodammodo ut personae a scriptore eodemque poeta inducuntur risus et laetitia, prosecutus figuram Hier. liberius reddit : « Quid frustra deciperis? » idque omnino congruit passivae formae superioris מְהוֹלָל, quod proprie reddas : « Insania repletur vel repleta est », tamquam iners voluptas se sinat ad insaniam abripi, mentis libertate spoliari, omni modo *decipi*.

V. 3, ut vidimus, in diversas partes a commentatoribus distrahitur. *Hahn* ipsum

verbum primum male verti a plerisque dicit; nihil enim esse nisi « explorare », « circumspicere » nec posse nisi absolute poni, ob eamque causam proximum לִמְשׁוֹךְ vertendum esse « trahendo », « cum traherem » (cf. quae idem ad v. 2 dixit). Sed vereor, ne id exquisitius quam verius disputetur; nam לְ significat, quo aliqua verbi actio sit referenda (ut ad eundem v. 2 explicatum est). — At maior est de universa sententia dubitatio. Supra mentio facta est, quae explicatio Hieronymi interpretationi a plerisque recentiorum opponi soleret; in singulis autem verbis explicandis maxime variantur opiniones. מְשֹׁךְ per ח legi vult *Gr.*; sententiam esse : « eo intendi animum, ut vino ungerem corpus meum »; id indicium insolitae in luxuria sollertiae esse. Attrahendi, i. e. alliciendi, delectandi vim verbo subiciunt *Midr.*, *Del.*, *Wr.*, *Herzf.*, *Bick.* et *Syr.* interpres; Del. opinatur in Gr. Ven. et Targ. idem valere « trahere carnem » docetque vocem in Talm. ita usurpari. Alii « trahere carnem » dicunt esse, *intendere*, *firmare* : *Ges.*, *Hitz.*, *Hengst.*, *Zoeckl.*, nec multo aliter *Ren.* Rursum alii intelligunt *detinere in usu vini* : *Knob.*, *Vaih.*, *Hahn*, *Mot.*, similiter *Ew.*, *Elst.*, denique *Cast.* Hi omnes fere paullo infra vertunt : *tenere*, *amplecti*, stultitiam. Censent igitur toto versu propositum enuntiari vino ac voluptatibus indulgendi. Iam ea, quae de sapientia interponuntur, sic interpretantur, ne illi proposito repugnent. Sunt autem primum, qui נָהַג velint esse *ingemere*, *taedio affici*, *moleste ferre*, ut in linguis aram. et arab.; sententiam esse : dum taedet animum meum sapientiae; ita *Ew.*, *Elst.* parum probabiliter. Plerique retinent communem significationem *ducendi*; vel *intr.* = se gerendi, i. e. agendi, ut *Ab. Ezr.*, *Wr.*, *Cast.*, estque ea multum frequentata in Mischna, vel *trans.* = me ducendi, dirigendi, ut *Zoeck.*, *Del.* At sapientiam intelligunt artem scite reperiendarum ac fruendarum voluptatum, quam audiamus quomodo *Wr.* et *Del.* explicent. « Salomon describitur », inquit ille, « in hac libri parte instar philosophi et investigatoris, qui inusitatae cuiusdam prudentiae dono defensus sit, ne prorsus interiret, dum sensibus gratificari ad tempus omni modo acerrimoque desiderio studeret. Cuius sapientia effectum est, ut sic moderari posset cupiditates, ne earum fluctibus tamquam mari navis raperetur in profundum ac penitus submergeretur, quemadmodum usu venit plerisque similem vitae cursum, periculi plenissimum, ingressis ». In eandem sententiam ita Del. : « Sunt potatores vini, qui ita sciant temperare compotationes, ut non in delirium intemperantiae incidant ad extremum, et sunt voluptarii callidissimi, qui tantum a se impetrare sciant, ut non prorsus corrumpantur, enerventur, intereant ». Quam artem sane miram perditissimae astutiae alii existimant statim inventam a Salomone, ubi primum se in voluptates effuderit, ut de *uno* conatu inveniendi summi boni hoc toto membro capitis secundi (vv. 1-11) agatur; alii, duos primos versus aliud continere argumentum opinantes, post primum experimentum *merae* voluptatis adduci eum ad consectandam *mixtam* ex stultitia et sapientia. Nec est haec interpretandi ratio, i. e. confundendi cum voluptate sapientiam nova. « Cum hac faciunt », inquit *Pin.*, « Isidorus, Tygurina, Caietanus, item et qui cum antiqua latina versione legunt *trahere in vino carnem*, ut sit molliter tractare aut protrahere, videlicet : tempus et moras convivando et pergraecando trahere. Quod videtur *Chald.* respexisse legens : *Exploravi in corde meo ad protrahendum in domo vini carnem meam* ». Alios idem affert paullo ante similis sententiae interpretationes (Pin. ad 2,3 nn. 1-4; ipse n. 6 ad Vulgatae rationem explicat).

Sed si versus 3 hoc modo explicatus ad *ea sola* pertinere dicitur, quae sequuntur, et « eae intelligi sensuum voluptates, quas deinceps singulatim persequitur » (Wr.), *vini* mentio in hoc ipso versu absurda est, quia cetera prorsus disparia sunt,

aut saltem erat ad finem universae enumerationis, ubi rursus « laetitia » ponitur, differenda; quam difficultatem ullo modo removeri posse non existimo. Quodsi v. 3 ad v. 2 *adiungitur*, ut illi alii volunt, quo tandem illa sapientia cum « insania » congruit? Idem enim fere esse dicendum erit. In hoc profecto etiam maior difficultas. Ergo standum est illa superiore sapientiae explicatione, ut sit quaedam sobria deliberatio et humana prudentia, nec aliter distinguatur a sapientia primi capitis, nisi quod alii applicatur materiae. Quam explicationem retinent etiam Patres Graeci. Thaum. attulimus. *Nyss.* sic enarrat : « Consideravi, num mens mea trahere sicut vinum carnem meam, i. e., qua ratione vincere posset cura eorum, quae intellectu percipiuntur, corporis appetitiones, ut ne a se ipsa natura dissideret, cum alia mens concupisceret, ad alia caro pertraheret; volui enim in obedientiam et ditionem animi, intelligentia praediti, redigere carnis spiritum, ita ut attraheretur et absorberetur pars inferior a superiore, quemadmodum usu venit sitientibus. Neque enim in calice remanet vinum, cum est ori sitientis admotum, sed a bibente adducitur, et videre licet, quanto studio id intrinsecus sorbeatur ». Ita igitur intellexit verba LXX ἑλκύειν ὡς οἶνον τὴν σάρκα μου, ut dicitur ἕλκειν οἶνον = ducere, haurire, exsugere, absorbere. Eodem modo hebraica verba intelligi non posse evidens est; sed *sententia* eadem exsistere debet. Recte ille pergit : « Quo facto expeditus citra omnem errorem mihi aditus patuit ad eorum quae sunt intelligentiam. Mens mea me, inquit, deduxit in sapientia, per quam voluptatum incursionem repressi factaque est mihi ista disciplina laetitiae vincendae causa et adiumentum ». Ad quem proxime accedit *Olymp.* : « Itaque deliberavi », inquit, « num in prosperitatibus humanis voluptatibusque posset eam vim virtutemque mens exercere, ut absumeret exsorberetque quasi epotum vinum carnis appetitum ».

Sed haec mittamus. Idem autem Olymp. optime edisserit, quodnam illud sit genus sapientiae, quo usus Ecclesiastes « magna sua opera » facere instituerit. « Salomon, cum a Deo accepisset sapientiam vimque prudentiae sicut arenam maris, argutissimus exstitit ad intelligendum. Poterat enim et divinos tractare sermones ac magna eloqui mysteria — quemadmodum fieri ab eo cernimus — et ad quaecunque libuerat, commode uti ingenii acumine. Nam ut is, qui oculorum acie pollet, potest eadem vi oculorum modo ad honesta uti, modo ad licentiam abuti, non ipsa oculorum vi ac vitio, sed animi affectu : ita is, cuius Deus mentem sapientia exornavit, si sic ut decet eo dono utitur, res divinas contemplatur; sin ad terrena deprimitur, Dei munus obscurat. At acriter tamen etiam in his rebus intelligit ». Censet igitur eandem esse sapientiam et divinitus concessam Salomoni et ab ipso *vitiose usurpatam;* ingenii esse acumen in utramque partem flexibile, vel ad honesta ac divina, vel ad mundana atque humilia. Iam igitur manifestum est, nec primo capite illam sapientiae investigationem vitio omni vacasse et in iis, quae c. 2 a v. 4 commemorantur, versatam esse etiam magis perperam. Nullo autem modo astutiam illam voluptariorum intelligi licet, de qua supra diximus, vel ob eam causam solam, quod eam, qua hic utitur, sapientiam v. 13 sqq. cum eadem, cuius ante meminit, stultitia comparans *praestantissimam* natura usuque suo esse demonstrat, et eo tantum vitiari, quod nullum vitae futurae fructum ferat. Unde facile intelligas eam nec cum turpi calliditate coaequandae cum corporis viribus voluptatis nec cum honeste pieque vivendi vera sapientia confundi, sed esse illud ipsum ingenii acumen, de quo supra Olymp. Ergo omnia studia, quae ab Ecclesiaste proponuntur ut vana, esse *mundana* dicendum est et plus aequo ad terrena inclinata, vitii autem minimum in curiosa atque inquieta veri inquisitione fuisse, de qua in primo capite disseruit, plurimum in avida voluptatum consectatione, ad quam devenisse se 2,1 et 2

fatetur, aliquantum in ceteris studiis, 2,4 sqq., praesertim cum haec ipsa, genere quidem paullo meliora, tamen ad extremum non absimili servierint voluptati (v. 10 : שִׂמְחָה). Quae hac causa reperit esse vana, quia id, quod in omnibus quaerebat, i. e. perfectam animi tranquillitatem, desideriorum sedationem, veram perpetuamque beatitudinem non afferebant. De hoc enim bono recte *Nyss.* clausulam versus tertii interpretatur : « Id autem, cuius cognoscendi maximo tenebatur studio, illud erat, ne in ulla re vana vitam consumeret, sed illud bonum reperiret, quod qui esset assecutus, non aberraret in diiudicanda vera utilitate, quod et perpetuum esset nec ex tempore aptum et ad universam vitam pertineret spemque afferret optimam omni hominum aetati, primae mediae supremae, idque in omnem numerum dierum... »

2. *Inanis magnificentia* 2, 4-11.

Iam summatim, qui esset ordo 2,4-11, indicavimus (p. 123). Audiamus singula. V. 4 « *Magnificavi opera mea, aedificavi mihi domos et plantavi vineas* » ; v. 5 « *feci hortos et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus* » ; v. 6 « *et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium* ». Vidit Ecclesiastes in se ipso non esse positum illud summum bonum, quod quaerit, nec in scientiae copia nec in sensuum voluptate. Sed explorando et circumspiciendo (תַּרְתִּי 2,2) reperisse tandem sibi videtur, quid sit tota vita maxime appetendum : in res *externas* animum operamque effundit, ut in opinione hominum et gloria acquiescat, simulque alia ratione paullo honestiore sensuum cupiditati, victus cultusque lautitia, satisfaciat, *iuncta cum* (mundana) *sapientia levitate illa, quam honestam vulgo arbitrantur*. Protenus (asynd.) ad res magnas capessendas aggreditur ; « magnificavi », inquit, i. e. magna feci et admirabilia « opera mea ». Quod dicit « mea », illico vitium aperit ; ad suam enim laudem omnia refert. Itaque merito tacet ea opera, quae boni communis vel Dei causa perquam grandia effecit : tacet Mello adiunctum urbi et moenia exstructa, tacet oppida munita et classem aedificatam missamque in Ophir, tacet gentium ethnicarum in Palaestina reliquias sub ditionem redactas (3 Reg. 9,15 sqq.), tacet pacem amicitiamque cum vicinis omnibus servatam (ib. 4,24 sq.), tacet denique, id quod erat maximum, templum Domini magnificentissime exstructum atque ornatum. Non igitur vacat ironia, quod « sapientiae » suae opera enarrare instituens, sic orditur : « Grandia perfeci opera », deinde exiliora commemorat. « Domos », inquit, « mihi feci ». Pluraliter loquitur, ut non tam unam illam regiam significet, quam simul cum templo aedificavit, dignum urbis decus (2 Par. 2,1), sed potius alias ad ostentationem structas, ut illam in saltu Libani et alteram filiae Pharaonis attributam (3 Reg. 7,2 sqq.). « Vineas » Salomon haereditate a patre acceperat

(1 Par. 27,27), nec dubitandum est, quin comparaverit sibi plures. « Hortulorum » amorem prae se fert Cant. C. 6,10, ubi Sponsam ita loquentem facit : « Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium et inspicerem, si floruisset vinea et germinassent mala punica », aliaque multa in libris eius indicio sunt, quantopere locorum amoenitates, graminum, florum, arborum adamarit pulchritudinem. « Nemus » s. pomarium consitum rari generis stirpibus ac fructibus (cuiusmodi peregrino nomine « paradisum » appellabant) comparandi causa ponitur Cant. C. 4,12 sqq. : « Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae *paradisus* malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis ». Ecce tibi « omnis generis arbores », ut est in v. 5. Pergit autem illo loco : « Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano » ; ecce « piscinae aquarum, unde irrigarem silvam arborum feracissimam » (v. 6). « Aquaeductus » (sive stagnum, בְּרֵכָה) « regis » commemoratur Neh. 2,14, aliud stagnum ib. 3,15; de Salomonis piscina Ioseph. Bell. Iud. 5,4,2; tres etiamnum feruntur exstare lacus Salomonis prope Etam; cf. Ios. Ant. 8,7,3, qui ad eum vicum ventitare solitum scribit Salomonem cum delecto adolescentium comitatu, « qui quidem integerrima florentes aetate, procera corporis figura, promissa caesarie, vestitu puniceo cotidie ad regem conveniebant, cum capitibus pulvere aureo conspersis in luce orientis solis mirifice fulgerent ». Stagna igitur et lacus instruxit, ut ducta fossis canalibusque aqua lascivientem quandam efficeret viriditatem atque fecunditatem, aspectu, odoratu, fructu iucundissimam. In mentem venit eorum temporum, cum Romae simplicem priscorum cultum evincere coepit luxus peregrinus, quem saepe Horatius liberrima indignatione, ut illo loco (Od. II, 15) castigat :

Iam pauca aratro iugera *regiae*
Moles relinquent, undique latius
Extenta visentur Lucrino
  Stagna lacu, *platanus*que caelebs
Evincet ulmos : tum violaria et
Myrtus et omnis copia narium
Spargent olivetis odorem
  Fertilibus domino priori.
Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus.

Erant Salomonis ut Augusti tempora eiusmodi, quibus in summa rerum abundantia pacisque securitate (« vir quietissimus... et Pacificus vocabitur » 1 Par. 22,9, « magnificatus super omnes reges terrae divitiis et sapientia » 3 Reg. 10,23) et florere soleant artes liberales optimaque studia et inusitata exsistere magnificentiae splendorisque cupiditas; ita factum est, ut et artium amore, et sapientiae studio et luxus ambitione insignis fuerit is, qui a Davide patre et opes amplissimas et regnum munitissimum haereditate nactus erat.

Pergit describere, in *cultu domestico* quam fuerit splendidus, v. 7 « *Possedi servos et ancillas multamque familiam habui, armenta quoque et magnos ovium greges, ultra omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem* »; v. 8 « *coacervavi mihi argentum et aurum et substantias regum ac provinciarum; feci mihi cantores et cantatrices et delicias filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda* » (hebr., ut videtur : ... hominum, copiam atque copias, *sive :* abunde atque affluenter).

Licet autem per singulos articulos horum versuum observare *declinationem* quandam illius magnificentiae ad privatum usum ac voluptatem; familiam alit ad ministeria cotidiana, boves et pecora ad victum, argento auroque utitur ad res pretiosas faciendas vel coemendas, cantores et cantatrices ad ipsam voluptatem, postremo deliciis omnibus ad exquisitiorem oblectationem. Quibus iam proxime ad vini delectationem, a qua se averterat, relabitur; fit enim plerumque, ut « oculorum cupiditas » serviat inferiori « carnis » voluptati. Itaque v. 10 Ecclesiastes redire videtur ad laetitiam illam, cuius v. 1 et 2 fecerat mentionem (שִׂמְחָה), quamquam v. 9 significat, eam non tam per se ipsam, ut illic, esse adamatam, sed consecutam magnificentiam et opulentiam; huic enim proprie studuerat idque ita, ut a stultitia et insania pristina sibi caveret : « etiam sapientia mea mecum perseveravit » (ib.).

De « servis » s. mancipiis pecunia comparatis (קָנָה) et familia vernarum בְּנֵי בַיִת cf. Gen. 15,3; de reliqua magnificentia regis videsis 3 Reg. 10,4 sq. : « Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis et domum, quam aedificaverat et cibos mensae eius et habitacula servorum et ordines ministrantium vestesque eorum et pincernas et holocausta, quae offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum ». Quamquam « holocausta » nihil ad rem, de qua agimus, pertinent; declarant autem, id quod nemo negaverit, ingentes fuisse ei « greges » boum pecorumque (v. 7). « Opes regum ac provinciarum » (v. 8) affluxisse ei demonstrant ib. vv. 10 et 11 . « Dedit ergo regi

(regina Saba) centum viginti talenta auri et aromata multa nimis et gemmas pretiosas; non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea, quae dedit regina Saba regi Salomoni. Sed et classis Hiram, quae portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis et gemmas pretiosas », et ib. v. 14 sq. : « Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri, excepto eo, quod afferebant viri, qui super vectigalia erant et negotiatores universique scruta vendentes et *omnes reges Arabiae ducesque terrae* » et v. 25 : « Et singuli deferebant ei munera vasa argentea et aurea, vestes et arma bellica per annos singulos », ut « tanta esset abundantia argenti in Ierusalem quanta et lapidum » (ib. 27). « Provincias » quidam intelligunt praefecturas duodecim, de quibus 3 Reg. 4,7 sqq., quorum praefecti « necessaria mensae regis... praebebant in tempore suo, hordeum quoque et paleas equorum et iumentorum » (ib. vv. 27 et 28). De equis cf. ib. 10,26. 28 sq. Qui si erant peregrini (quemadmodum ib. significatur), inter « delicias mortalium » numerari possunt, item vasa, quae supra dicta sunt, aliaque supellex, cf. 3 Reg. 10,21, porro scuta illa pretiosissima (ib. vv. 16 et 17), fortasse etiam solium regium in eoque figurae affabre factae (ib. vv. 18-20). Quod denique poterat in tanta abundantia deesse genus deliciarum? Sed probabile est ea hic potissimum intelligi oblectamenta, quae in *conviviis* usui sint vel cernantur. Huc enim desinere harum rerum enumerationem et ante iam ostendimus et *cantorum* mentio declarat, quos perverse omnino *Chald.* in cultu divino adhibitos dicit; immo profanum cantum oportet intelligi et maxime convivalem, de quo 2 Reg. 19,35 : « Numquid vigent sensus mei ad discernendum suave aut amarum? aut delectare potest servum tuum *cibus et potus?* vel audire possum ultra vocem *cantorum atque cantatricum?* » Quare ministros ministrasque forma, vestitu, fortasse etiam genere spectabiles, ornamenta mensarum et conclavium, sedilia torosque, aromata atque unguenta, denique vina cibosque « delicias » dici « mortalium » existimandum videtur, etsi huiusmodi enumerationis clausula etiam latius patere atque *omnia similia* comprehendere merito dixeris, maxime si ultima v. 8 verba sic interpretanda sint, ut nobis videtur : « abunde atque affluentur ».

Ad vv. 4 sqq. *Del.*, quale Salomonis fuerit ingenium, quae aetate illa populi Israelitici conditio, in hunc modum describit : « Sapientiae amore, naturae artisque sensu quodam liberali, splendoris ac magnificentiae studio Salomonis ingenium maxime distinguitur. Cuius vita incidit in ea tempora, cum pacis esset summa tranquillitas atque securitas. Commercio etiam et

consuetudine multiplici omnes undique gentes inter sese iungebantur. Ipse vir fuit quietis (1 Chr. 22,9), cuius insignis in omni vita gloria tamquam fructus exstitit tot Davidicae aetatis laborum ac certaminum. Sed cum altius, quam ad id tempus contigerat, elata esset laus gentis Israeliticae, periculum allatum est, ne nimis intenderetur atque in mundum universum diffusa evanesceret. Mundana autem, ut ita dicam, studia tum et in plurimis exstiterunt et cumprimis in ipso Salomone, qui quidem mundi cultusque mundani amore, ingenio suo consentaneo, captus, ut complures magni Veteris Testamenti viri, a coelestibus orsus animi studiis ad viles sensuum delectationes prolapsus est ». Sane tenerum et flexibile fuisse Salomonis ingenium recte statuemus; quod facile se praebebat mundi atque etiam corporis illecebris. Quietis autem et otii magna sunt blandimenta ac lenocinia. Accedebat autem auri argentique infinita copia, deinde summa apud exteras gentes gloria, postremo frequens periculosaque cum iis consuetudo. Ita factum est, ut et modestia pristina et verecundia cederet ambitioni et amicissimae cum gentibus communioni, quae in idololatriam desiit. Non hunc quidem tristissimum finem[1], sed longum erroris cursum Ecclesiastes enarrat. Quam autem temere neget *Gr.* ea in Salomonem quadrare, ex iis quae modo explicavimus, cognosci licet. « His structuris », inquit, « et nominatim aquaeductu arborumque irrigatione, multo clarius *Herodes* significatur quam Salomon. Non enim contigit interpretibus, ut ostenderent, ab hoc tam sumptuosa opera ad silvam alendam constructa esse. Nec quisquam certe post eum rex Iudaeorum id fecit. At narrat Iosephus, ab Herode sub ipsam urbem et arcem Herodium, sexaginta circiter stadiorum intervallo aquaeductum constructum esse loco antea prorsus inaquoso ». Sed quod de *sumptibus* dicit, cui tandem libros sacros legenti probabitur? An quisquam Salomone vel opulentior vel sumptuosior? Deinde non apparet, quare sit ullo modo improbabile, eum canalibus fossisque aquas e stagnis in silvulam duxisse. Tria etiamnum stagna dicuntur esse Salomonis prope Etam ibidemque ruinas etiam aquaeductus Robinson reperit, cf. Del. ad Cant. C. 6,11; Zoeckl. ib. p. 29. Num Herodes opulentior et maior, atque etiam sapientior fuit *ceteris omnibus ante eum*, num regum opes ac provinciarum coacervavit, num errores actae aetatis deflevit? Denique nonne absurdum est affirmare : « Itaque *dubitari non potest* [ob unum aquaeductum ab Herode exstructum et unam urbem conditam!] quin Herodis hic aedificandi luxuria describatur »?

Chald. etiam opera maxime laudabilia et imprimis aedificationes Salo-

(1) *Nachtig.* « stultitiam » v. 3 putavit complecti etiam deorum cultum; sed id vini mentio vix patitur, nimis enim haec duo diversa sunt. Quodsi resipiscens ab idololatria atque rursum ad pietatem conversus haec scripsit, dicendus est ob eam causam id omisisse, quod hoc libro non omnes errores, sed eos tantum castiget, qui ex *arrogantia et magnarum rerum appetentia* emanent; etsi licebat igitur generatim et breviter *voluptatum* facere mentionem, quatenus ad eas, desperans de sapientiae fructu, prolapsus esset, tamen de *idololatria* nihil attinebat dicere.

monis omnes, etiam templi, hoc loco comprehendi existimavit; sed ne oppidorum quidem munitiones nec culturam vel irrigationem agrorum, nec oliveta, nec ullum opus commemorari videmus, quod non potius ambitioni, quam aut publicae aut privatae utilitati servire videatur; id in nemoribus (paradisis), quae in Vulg. minus bene pomaria vocantur, manifestum est, cum peregrinum etiam nomen habeant et exquisitam varietatem arborum contineant. Eadem ambitio cernitur in cantoribus et cantatricibus et in illis « deliciis mortalium ». Denique v. 9 gloriam magnificentiae et sapientiae, *non* tam verae utilitatis iis operibus omnibus quaesitam esse indicatur. Mira autem Chaldaei interpretis fabula est, Salomonem a daemonibus, arbores steriles curiosasque ex India afferentibus, adiutum esse.

Est autem vocum שַׁדָּה וְשַׁדּוֹת (v. 8) prorsus incerta significatio, quae coniectura potius quam scientia definienda est. Eam quam modo diximus (« copiam et copias ») defendunt inter recentiores *Ew.*, *Elst.*, *Zoeckl.*, *Ren.*, *Hahn*, *Mot.*, alii; derivant ex arabico aut, quod melius est, ab eo verbo, unde שַׁדַּיִם = « ubera » ductum est (de dagesch cf. כַּסָּה = copia, chald. כְּסָה = extendi, patere). Quae quidem explicatio et ad originem verisimilis et ad sententiam quam aptissima est; prorsus enim exspectamus, ut huiusmodi enumeratio eorum generum, quorum infinita sint exempla, aliqua complexione absolvatur; iam vero ipsa etiam vox « deliciarum » conclusionem eiusmodi optime inducit. At magno numero hodie explicant : « mulierem et mulieres », i. e. gynaeceum ingens (cf. 3 Reg. 11,3); ita *Fuerst*, *Ges.*, *de Wette*, *Cast.*, *Del.*, *Wr.*, *Bick.*, alii multi; originem vocis vel significationis diverse explicant. Et videri potest apte post cantatrices mentio fieri uxorum et concubinarum. Sed specie tenus; nam nec a turpitudine liberare scriptorem ob illud « delicias mortalium » facile sit, nec hoc toto loco de infima voluptate, sed de magnificentia et luxu agitur. Sin dixeris ad haec ipsa referri multitudinem uxorum, ineptum saltem erit illud additum; et quoniam in *conviviis* adhibebantur cantatrices, incongruenter adiungitur de mulieribus, quarum non erat virorum mensis accumbere; velut Vasthi regina Esth. 1,9 separatum feminis instruit convivium, deinde sola evocatur in consessum virorum, ut omnes eius pulchritudinem admirentur. Postremo universa enumeratio iam inde a v. 4 potius ad minora et inusitatiora paullatim deducitur, ut extremo loco non exspectes mentionem uxorum. Est etiam in ipsa voce שַׁדָּה difficultas satis magna; cur enim prius singulariter una, deinde pluraliter ceterae nominentur, cum minime una fuerit coniux inter omnes ita eminens, ut esset separatim commemoranda (cf. 3 Reg. 11,1. 3). Qui singularis numerus nullo modo apte nisi pro communi generis nomine (pro abstracto vel collectivo) accipitur. At dicunt amores Salomonis, unde tanta manaverit pernicies, non fuisse tacendos, ubi errores eius vituperentur. Est hoc sane aliquid. Et facile concedo a sene Salomone hunc librum esse conscriptum (cf. 46 sqq.); senex autem a mulieribus est depravatus, ut in regum historia l. c. narratur. Sed de mulierum amore c. 7 extr. tam graviter acerbeque dicit, ac si consulto rem in illum locum reiecerit, id quod sane licebat. Nam etsi c. 2 *gradus omnes* videtur percurrere erratorum vitae suae, tamen illa quoque libido, quantum satis fuit, indicata est vv. 1 et 2, estque valde probabile cum v. 1 illud « frui bono », tum v. 2 acerrimam increpationem partim ad libidinem spectare, quamvis eam, verecundia ductus, propria appellatione non distinxerit.

Veteres interpretes ad infundendi verbum, quod est chaldaice שְׁדָא formam שדה

retulerunt, ut LXX οἰνοχόον καὶ οἰνοχόας, id quod est post cantorum mentionem aptissimum, cf. etiam « ordines ministrantium » 3 Reg. 10,5, et sane legi licebat שָׁדָה וְשִׁדּוֹת. At singularem numerum שָׁדָה quis apte explicabit? Nam l. c. non unus pincerna, sed מַשְׁקִים commemorantur, inter quos si erat unus summus, tamen ita dici : « ministrum ministrasque vini » certe non potuit. Nec ratio idonea reddi potest, cur *prae* cantoribus et cantatricibus praegustatores et praegustratices deliciae vocentur mortalium. *Hier.* in commentario secutus LXX sua sponte tamen pluralem numerum singulari substituit in priore voce : ministros vini et ministras. Idem in Vulg. posuit : scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda. Hoc ab Aquila et Symmacho mutuatus est, quorum alter κυλίκιον καὶ κυλίκια (poculum et pocula), alter, ut eum interpretatur Hier., « mensurarum (an : mensarum?) species et appositiones » posuit. Sed et in illo singulari offensio est, nec *post* cantores mentio facienda fuit poculorum reliquaeque convivalis supellectilis, nec haec inter delicias exquisitiores numeranda. *Gr.* שָׁדָה existimat vocabulum esse « graeco-latinum » ad *sedem*, σέδας referendum et genus quoddam esse *lecticae*. Ostendit autem eam significationem posteris temporibus in Palaestina fuisse usitatam, cum in Babylonia id nomen esset *daemonum*. In hac sententia vel simili fuerunt etiam *Raschi* et *Boettch.* Eandem vocem *Luzz.* legi voluit שָׁדָה = agrum. *Gr. Ven.* habet σύστημα, i. e. systema musicum (ab arab. schadâ = canere); item *Kimchi*, *Luth.*, *Nacht.*; *Chald.* ita circumscripsit : « Thermas et balneorum receptus, ex quibus aquae tepidae et calidae mihi ducerentur ». — Ad firmandam illam explicationem : « uxorem uxoresque » *Hengst.* affirmavit eam vocem, quae praecedat, non usurpari nisi de oblectatione venerea; sed *Hahn* demonstravit nullo loco ex iis, quibus inveniatur vocabulum (Mich. 1,16; 2,9; Prov. 19,10; Cant. C. 7,7), aliam esse notionem nisi *communem* delectationis et iucunditatis.

Cum v. 9 dicitur : « *Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem; sapientia quoque perseveravit mecum* », scriptor superiora sic complectitur, ut et, quo spectent illa omnia, perspicue designet, i. e. ad regiam magnificentiam atque domesticam lautitiam, et horum utrumque (i. e. vv. 4-6 a vv. 7 et 8) discernere videatur; videatur, inquam, nam licet sane illud verbum הוֹסַפְתִּי etiam arctius copulare cum גָּדַלְתִּי, ut ipsius « magnitudinis » tantummodo incrementum indicet in hunc modum : « Magnus factus atque maior super omnes qui... » (ita fere Vulg.); sed quoniam modo dixit de rerum possessione, non est, cur non proprie intelligatur : « magnus factus sum et plura collegi quam » (*Mot.* : j'ai dépassé en grandeur, en richesse...), praesertim cum ita totius loci divisio pulcherrime exprimatur. V. 10 fructum etiam privatum laborum suorum adiungit : « *Et omnia, quae desideraverunt oculi mei non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in his, quae praeparaveram, et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo* », quasi dicat : Non modo gloriam magnitudinis et opulentiae adeptus sum, sed etiam tantum privatae voluptatis, quantum

admittere per sapientiam (prudentiam) mihi licuit. Habuit igitur ex illo genere, de quo vv. 1-3 locutus est, moderatam aliquam honestamque partem; quam « partem » sibi debitam, etsi existimationem potissimum hominum splendore illo et luxu quaesiverat, tamen minime recusavit. « Honestam » dixi partem *opinione vulgari;* supra (vv. 1-3) inhonestiora intelligebat; fuit autem in utroque ut vanitas, ita vitium. Ultima particula v. 10 ex hebr. sic accurate vertas : « et cor meum oblectabatur a labore meo, et haec fuit portio mea ab omni labore meo ».

Reliquum est, ut, quam fuerit eius possessione beatus, ipse significet. Ponderans igitur v. 11 utrimque et *opera* perfecta et *laborem* toleratum, inania omnia invenit et fructu solido carentia (אֵין יִתְרוֹן cf. 1,3 ; 3,9) : « *Cumque me convertissem ad universa opera, quae fecerant manus meae, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole* ». Ultimis verbis *abundantius* quasi maiorem in his rebus esse vanitatem, quam in sapientia (1,17, cf. 14), indicare videtur; sed his etiam viliora esse mera sensuum oblectamenta 2,2 ipso loquendi modo ostendit. Ac tamen illo errorum tempore subito ei rursum dubitatio occurrit, an nihil interesset inter sapientiae fructum et stultitiae. De integro ergo ad extremorum redit considerationem, mediumque illud relinquit, propterea quod erat ex utroque quodammodo conflatum, ea ratione, qua dictum est supra (p. 118).

Ad v. 9. Singularem quandam interpretationem clausulae huius versus proponit *Thaumat.*, quam nec carere aliqua verisimilitudine nec tamen veram esse existimo; pertinet autem ad totius loci intelligentiam. Verterant LXX : σοφία μου ἐστάθη μοι; iam hoc ἐστάθη ille accepit pro vere passivo, ut esset « sistebatur, retardabatur » : εἶτα συνέβαινε τὰ μὲν τῆς σοφίας μοι ἐλαττοῦσθαι, πληθύνειν δὲ τὰ τῆς οὐκ ἀγαθῆς ἐπιθυμίας « tum vero contigit, ut sapientia mihi quidem deminueretur, abundaret autem vitiosa cupiditas ». Porro censuit versu decimo eius rei rationem reddi : quod esset relapsus in illam ipsam luxuriam, a qua se v. 3 avocasset; denique versibus 11 et 12 Ecclesiasten emergere ex hoc tanto errore et ad sapientiae commendationem redire; postremo facta comparatione sapientiae cum stultitia perspexisse, *nihil esse commune* inter utramque nec vivo homine nec mortuo. Multa sunt, quae in eiusmodi explicatione placeant. Optime sane tota disputatio cohaeret : v. 3 a *mera* voluptate consectanda se revocat ad saniora consilia; sed ut fit, nisi quis toto pectore meliora complectitur, haec ipsa facile elabuntur e manibus; itaque cum ambitione sapientia non diu constitit, luxus autem, hac amissa duce, recidit in voluptatum insaniam: postremo quasi experrectus homo rursus se erigit ad altiora nec iam rela-

bitur. Nam versu quoque 24 illi suo iam iure vertere licet : « Non enim bonum est homini comedere et bibere ». *Alia igitur prorsus exsistit sententiarum consecutio. Hier.* in commentario eandem interpretationem complexus in hunc modum perspicue enuntiat : « Unde et accidit, ut nimiis opibus ad maiores delicias provocarer et musicarum artium chori mihi tibia, lyra, voce concinerent et uterque sexus in conviviis ministraret; sed quanto ista crescebant, *tanto sapientia deerat.* Nam in quamcumque voluptatem me cupido traxisset, infrenis ferebar et praeceps, putabamque hunc esse fructum laborum meorum, si ipse *in libidine luxuriaque consumerer.* Tandem *in memet reversus* et quasi de gravi somno evigilans, aspexi ad manus meas, et opera mea plena vanitatis, plena sordium, plena *spiritu erroris* [hoc ultimum quoque Hier., ut in 1 cap., mutuatus est a Thaum.] intuitus sum... Reputans igitur, quae essent sapientiae bona et quae stultitiae mala, consequenter in laudem illius hominis erupi, qui post vitia se refrenans, virtutum possit esse sectator ». Postrema prorsus a Thaum. sunt; at v. 21 Hier. vertit : « Non est bonum homini nisi quod comedat »; atque Vulg. toto loco discrepat. Recte quidem, opinor. Nam hebr. חָכְמָה עָמְדָה לִי aegre potest aliter intelligi ac 1,4 : « firmiter constitit », vel ut multi volunt, « astitit mihi ». Nec v. 10 *explicatio* proponitur deminutae sapientiae (γάρ apud Thaum., « nam » in comm. Hier., sed eiusdem cupiditatis, de qua ante, ut videtur, amplior enarratio (וְכֹל־, *Vulg.* : Et omnia), etsi quidam in voluptatem relapsus nostra quoque sententia significatur. Deinde v. 12 regressum se quidem ad sapientiam dicit (cf. verba simillima 1,17), nec tamen ita, ut iam prorsus ad lucem animique pacem redeat; nam quae vv. 14 et 15 de sortis aequalitate inter sapientes et stultos se cognovisse narrat, haec desperationem quandam notant animi, de futuri temporis praemio non ita perspicue recogitantis, nec recte possunt *cum conditione dicta* intelligi, ut habet Thaum. : « Reperi, *si* in societatem me contulissem stultorum, stultitiae me praemia consecuturum ». Neque illa : « Quorsum ego sapiens fui »? (v. 15) reddi possunt, sapientiae notione derepente *mutata* : « Quid boni ex *argutiis* illis, qui fructus ex loquacitate percipi potest »? Postremo v. 24 ad similitudinem ceterorum locorum, quibus eadem fere verba leguntur, ita videtur esse explicandus, ut laudetur usus cibi potusque tamquam Dei donum; ubi Thaum. etiam vertit : « etsi (εἰ καί) a Deo ista tribuuntur », cum hebr. sit « quia » (כִּי, Vulg. : et hoc). Sunt igitur plurima indicia, cur rectius Hier. in Vulg., quam in commentario, Thaumaturgi insistens vestigiis, scripserit.

V. 10. « portionem » *Gr.* ad ea trahit, quae sequuntur : « hanc ego miseram nactus sum portionem, ut conversus ad omnia opera mea nihil praeter vanitatem deprehenderim »; vultque idem antea legi יִשְׂמַח, i. e. « gavisurum erat cor meum, quantum ex me erat, nisi omnia fuissent inania, s. decreveram, ut fruerer bonis, sed... » Nihil est autem, cur non communem explicationem teneamus; etsi enim vv. 24-26 negat Ecclesiastes a se suique similibus omnino percipi bona, tamen id aliter, atque

hic, intelligit, nec repugnat, quod hoc loco se fruitum labore dicit, quantum potuerit. Et gravius hoc est : « habui ego quidem portionem plenam meam, at ea minime satisfecit ». Itaque ne illud quidem placet, quod *Elst.* et *Ren.* vertunt : haec *sola* fuit portio mea; id enim proximo versu continetur : exiguam pro amplissimo animi desiderio hanc sensuum s. oculorum visam esse delectationem. « Conversio » enim demum (v. 11), i. e. recogitatio facit, ut vana esse, quae iam est adeptus, perspiciat. Quam in rem apte *Hugo Vict.* : « Fit », inquit, « nonnumquam, ut temporalia bona tunc citius vana esse deprehendantur, cum magis abundare coeperint. Quae saepe, cum non habentur, prodesse potuisse existimantur, si adfuerint. Cum vero habita mentis inopiam nec in sua affluentia expellere valeant, tunc primum experienti, quam exiguum pro laborantibus fructum conferant, manifestant. Unde convenienter iste post tantam rerum omnium affluentiam *conversum se dicit, ut intelligeret vanitatem* ». Ergo כִּי particula (v. 10) quasi augendo explicat duo priora incisa, ut sit : nam potius s. immo vero sum fruitus omnibus, at conversus vidi vana esse (Vulg. : nec prohibui cor meum quin...).

3. *Sapientiae cum stultitia comparatio* 2, 12-17.

Sequitur igitur comparatio sapientiae cum stultitia (vv. 12 sqq.). V. 12 « *Transivi ad contemplandam sapientiam erroresque et stultitiam* (*quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem Factorem suum?*) » Clausula v. 12 crux est interpretum, et videtur aliquid hoc loco *corruptum* esse. Verbo tenus ea, quae nunc in hebr. scripta exstant, in hunc modum vertenda sunt : « Quid enim homo, qui (s. ut) veniat (s. venit) post regem cum eo quod (vel : « id quod », vel : « eum quem » אֵת אֲשֶׁר) pridem fecerunt? » Iam vero 1) si « id quod » vel « eum quem » intelligitur, hoc obiectum necessario aptum est ex verbo « fecerunt », ita quidem : « rem quam fecerunt », aut « regem quem fecerunt ». Prius ut intelligi possit, ante addendum est faciendi verbum, id quod durissimum est : « Quid enim *faciet* homo, qui venit post regem? » (i. e. Quid facient, qui post me futuri sunt?) Respondetur : « Id quod pridem fecerunt » — sententia etiam hoc loco aliena vel saltem parum apta. Altera explicatio obiecti hanc efficit sententiam meliorem : « Quid est homo ut sequatur (assequatur) regem, quem pridem (homines) constituerunt »? Quorsum autem hoc ultimum additur? Et assequendi notio parum certa. Grammatice quidem haec facilis est interpretatio. Videamus 2) illud « cum eo quod »; iam haec offertur probabilis, ut videtur, grammatica explicatio : מָה vim habet, quam latinum « qualis » vel « cuius generis » ut Zach. 1,9 : מָה־אֵלֶּה = quales sunt isti? et 1 Reg. 9,13 : מָה הֶעָרִים = cuiusmodi sunt urbes? cf. Num. 13,18 et 19 et 20. Deinde « venire post regem », quia in radice אחר vis est morandi, subsistendi, remanendi, ut Gen. 32,5 : וָאֵחַר = « mansi » et

infra 5,3, ubi idem verbum omnino valet « cunctari, procrastinare » : idcirco, inquam, « venire *post* regem » hoc potest significare : cunctari, ne se sistat coram rege, subducere suam vel sapientiam vel stultitiam eius oculis; idque reliqua parte sententiae explicatur : « cum iis, quae pridem fecerunt ». Dummodo praepositionem « post », non veniendi verbum, voce efferas, fit aperta sententia. Pluralis numerus verbi κατὰ σύνεσιν positus est, quia non de uno aliquo homine agitur, sed de omnibus. Nec vero ipsam vocem הָאָדָם generice accipiendam puto : « quid sunt homines », id quod minus congruit, sed « quid s. qualis est *ille* homo » : at quia *intelliguntur* multi vel omnes (quotusquisque est = nemo *omnium* est), sequi potest in clausula « fecerunt » ; itaque reddo : « quis est hominum ». Sed de hoc plur. v. paullo infra. Haec interpretatio etsi grammatice non est certa, sed verisimilis, praebet tamen sententiam quam optimam. « *Quis enim est hominum qui veniat post regem cum omnibus quae fecerunt* », i. e. qui celare post tergum regis eiusque oculis subducere possit... Coepit Ecclesiastes subtilius et quodammodo ultimo conatu exquirere in stultorum et sapientium vitas actaque omnia; quid igitur accommodatius, quam ut id repetat, quod initio totius investigationis praefatus est (1,12) : « Ego regia dignitate *facultatem omnem nactus cognoscendi* res mundi hominumque mores... »

S. Hier. in commentario reddit : « Quia quis est hominum, qui possit ire post regem atque (*al.* : « ante », *al.* omittunt utrumque) factorem suum », quod eandem sententiam exhibet atque verba Vulg. Addit ille : « Multum a Septuaginta interpretatione in hoc loco diversus est sensus » ; vertunt enim : τίς ἄνθρωπος ἐπελεύσεται ὀπίσω τῆς βουλῆς (Chald. בֵּילֵהּ = consilium, pro בֵּילֵהּ), τὰ ὅσα ἐποίησεν αὐτήν; (*Al.* ἐποίησαν, *Sin.* et apud *Nyss.* atque *Olymp.* ἐποίησεν αὕτη). Similiter *Symm.* : τί δὲ ὁ ἄνθρωπος, ἵνα παρακολουθήσῃ βουλῇ; At *Aq.* et Theod. ὃς εἰσελεύσεται ὀπίσω τοῦ βασιλέως. Legisse illos veteres pers. tert. singularis verbi faciendi diceres (quae est in multis codd. hebr. apud *de Rossi*), nisi varia lectio LXX ex cod. *Al.* gravem dubitandi causam afferret; nemini enim videtur potuisse in mentem venire, ut ex singulari numero pluralem efficeret, facile autem vicissim, ut ex plurali singularem. Ingeniosa est sane *Hier.* accommodatio verborum ad Dei Factoris sapientiam et satis probabilis. Regis appellatione Ecclesiastes infra quoque (8,2; 10,20, quae v. suo loco). Deum intelligi vult; porro אֵת אֲשֶׁר עָשָׂה pro : « qui (quidem s. ipse) fecit » legigitur etiam Ier. 38,16 (cf. similem usurpationem אֵת 1 Sam. 17,34; Dan. 9,13); denique aut legit Hier. singularem aut pluralem existi-

mavit sic positum, ut post אֱלֹהִים 2 Sam. 7,23; Ps. 58,12, item hic 12,1 de Deo, et erat hic illa fortasse propria ratio pluralis, ut significatio vocis מֶלֶךְ facilius appareret. Quamquam gravissima dubitatio est in כְּבָר = pridem, et in כִּי = enim, quod est initio (in Vulg. utrumque omissum est); sententia autem prorsus apta dici non potest, quia, etsi in totum hunc locum (cf. v. 15 sqq.) quadrat illud, occultas esse Providentiae vias, tamen id in ipso v. 12 inopinato ac parum congruenter infertur. Nec vero negligendum est, *Nyss.* quoque e LXX verbis eandem eruere sententiam : « Docet, in quo sit hominis sapientia, nempe in hoc, ut sequatur eam Sapientiam, quae vera est, quam quidem consilium (βουλήν) vocat efficiens ea, quae vere sunt et consistunt nec inter vana possunt numerari. Haec summa est humanae sapientiae; iam vero illa vera, quae eadem « consilium » dicitur, nihil est, opinor, aliud nisi ea, quae providet universo; in qua Deus fecit universa, quemadmodum propheta ait : Omnia in Sapientia fecisti » (Ps. 103,24). Nihil vicissim huiusmodi apud *Thaum.* et *Olymp.* Et cum satis mire etiam *Chald.* et *Syr.* verterint, perspicue cernitur, quanta sit loci obscuritas. Quod cuique placuerit, amplectatur. Plura infra.

Vv. 13 et 14 pulcherrima lucis et tenebrarum comparatione quasi sub oculos subiicitur, quantum praestet in huius vitae tamquam itinere ducem sequi sapientiam s. rationem, nec sesensuum cupiditatisque temeritati committere : v. 13 « *Et vidi quod tantum praecederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris* »; v. 14 « *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat, et didici, quod unus utriusque esset interitus.* » Ac tamen ipsa illa humana naturalisque prudentia, terrenis intenta studiis (*aliam* non intelligit, cf. vv. 3 et 9), haec, ubi mors appropinquavit, fructum nullum ostendit solidum, ipsa evanescit, interit. Itaque huc usque deducta meditatio acri dolore pungit animum; cogitur Salomon exclamare atque ingemiscere, colloquens cum animo suo : Ergo ad extremum quid tandem intererit, sapiensne an fatuus ego fuerim? Hoc quoque pronuntio esse vanitatis! v. 15 « *Et dixi in corde meo : Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest, quod maiorem sapientiae dedi operam? Locutusque cum mente mea animadverti, quod hoc quoque esset vanitas.* » Ubi verba hebr. ante « locutus » אֲדַבֵּר non bene omissa sunt in *Vulg.* Quae etsi aliter ab aliis explicantur, habent, si prima sua significatione accipiuntur, vim singularem, praesertim cum enuntiatum concludant : « Quid », inquit, « si pariter et stultus interit et sapiens, proderit mihi sapientia tum (i. e. cum moriar) in posterum (i. e. in

aeternitatem)? » Nam יִתֵּר est proprie *amplius, ultra,* cf. 12,9 et 11, אָז autem temporis nota est latino *tum* prorsus similis.

Versum 16 existimo a scriptore non ex praesenti, sed item *directa* oratione ex pristina sua meditatione et affectione repeti : « *Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum et futura tempora oblivione cuncta pariter operient; moritur doctus similiter ut indoctus* ». Sic et verba ipsa minus habent offensionis, et ardor orationis magis incenditur. *Hebr.* ultima potissimum exclamatio : « Quomodo moritur! » nescio quam indignationem prae se fert, non tam praesenti, quam pristino tempori convenientem. Item intelligitur, cur etiam conclusio verbis tam ardentibus exprimatur v. 17 « *Et idcirco taeduit me vitae videntem mala universa esse sub sole et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus.* » Incumbit enim animo meditantis (רַע עָלַי) *taedium* (Vulg.) et ipsa *odii* (hebr.) indignatio, vix ut ferat eam, quam cernere sibi videtur, rerum mundanarum perturbationem. Ob quam causam ita continuari toto loco eundem animi motum arbitror, ut latine verba bene coniunctivo imperf. enuntientur, quia illius *pristini* temporis meditationes referuntur, in hunc modum (v. 17) : coepique odisse vitam, cum *incumberent* animo, quae *fierent agerenturque* sub sole, et quod *essent* vanitas universa... (Epiphonema hoc varie enuntiatum singulos articulos argumentationis concludere solet; cf. 1, 14 sq.; 1,17 sq.; 2,1 sq. et infra identidem.) Atque in huiusmodi exacerbati animi oratione *tragica* illa (v. p. 69.99) vitae meditatio imprimis cernitur.

De versus 12 altera parte hae sunt ceterorum opiniones : *Thaum.* βουλήν de hominis proposito accipit et hanc efficit explicationem : « Iure admiror eum virum, qui, abreptus aliquando stultitia, postea in suam ipsius rediens potestatem ad virtutem officiumque se revocet ». Fortasse legit apud LXX τὰ ὅσα ἐποίησαν (— εν) ἤδη, locumque totum ita explicavit : « Quis poterit redire ad consilium, i. e. ea quae fecit antehac? » Atque hoc ἤδη omnino reponendum puto pro αὐτήν vel αἥτη, quia LXX toto hoc libro כבר reddunt hac voce nec unquam omittunt. *Olymp.* eandem probat interpretationem, sed hanc tamen praefert : « Explere sua desideria, hoc significat : *sequetur consilium* ». *Syrus* interpres vertit : « Quid est homo, qui post regem veniat in iudicium, deinde cum Factore suo? » ; *Chald.* magno verborum circuitu dicit, post regis decretum et poenas frustra esse preces. Inter recentiores *Bick.* reddit : « Qualis erit is, qui post me futurus est » et hanc partem, altera deleta, transponit ante v. 18; *Wr.* cum *Del.* : « Quid est homo qui veniat post regem, quem pridem constituerunt? » i. e. « Quis prudentia assequatur regem pridem constitutum? » *Rosenm., Knob., Hengst., Zoeckl.* : « Quid poterit homo *facere*, qui veniet post regem? Id ipsum, quod ante fecerunt ». *Ew., Heiligst., Elst.* : « Quid futurus sit homo, qui veniat post regem cum eo (i. e. cum hoc ipso) comparatus, quem ante constituerunt ». *Hahn* hanc eruit sententiam : « Quid fiet posteris, si quidem eadem facere perpetuo pergent? ». Omitto *Hitz., Ren.*, alios, quorum suo quisque modo se expe-

dire conatur. Solam iuvat addere opinionem *Mot.*, qui est acri sane ingenio interpres. Is ita vertit : « Car que sera-t-il l'homme qui viendra après le Roi, celui-là que certains ont déjà choisi ? » Hunc hominem, quem iam elegerunt regem, intelligit illegitimum imperii heredem, de quo agatur vv. 18. 19. 21, qui sit *Ieroboam* (cf. Mot. II, p. 465). De qua interpretatione dixi supra p. 48 sq.

De vv. 15 sqq. pauca notanda sunt. Verba אַ֣ף יֹתֵ֔ר in Vulg. omissa sunt ob difficultatem, ut videtur, et sane praetermissa vix desiderantur, immo in extremo enuntiato posita ea claudicare dixeris. Sed id consulto a scriptore institutum arbitror, ut perfecta iam enuntiatione inopinato illa adderet, quae nunc intentum in se vocant animum, ut ex latina interpretatione elucet : « Quorsum autem sapiens fuero ego tum quidem in posterum? » In mentem venit s. Philippi Nerii illud acre dictum, cum adolescentem plurima et magna animo volventem consilia sic urgeret : « Quid tum? Quid tum in posterum? », usque dum responsum exprimeret : « Tum quidem sane moriar nec amplius huiusmodi bona aut habebo aut appetam ». Itaque displicet quod a plerisque illae voces nimis extenuantur, ita fere : « Quorsum iam igitur sapiens fui? » LXX eas ad alterum enuntiatum traxerunt [1] : περισσὸν ἐλάλησα ἐν καρδίᾳ μου ὅτι καί γε τοῦτο ματαιότης, διότι ὁ ἄφρων ἐκ περισσεύματος λαλεῖ, i. e. tum (in cod. Alex. et S^2 τότε additur) *temere* locutus sum... stultus enim homo temeritate ducitur ad loquendum. Haec ultima verba plerique glossam esse arbitrantur et ratio afferri potest, quod in codd. Alex. et S^2 ante ὅτι καί collocata sunt, ut in margine ascripta fuisse videantur. Sed ea *Bick.* servanda esse censet et sunt apud *Thaum.*, *Nyss.*, *Olymp.*, *Hier.* (in comment.), item apud *Syr.*, *Ar.*, *Chald.* (ut videtur). Ita si legitur, convenienter Hier. in comment. ea, quae sequuntur, stulti verba esse censuit, i. e. non praesentem, sed pristinam Salomonis errantis meditationem continere, id quod ob aliam rationem, in ipsa argumentatione positam, supra diximus esse in vv. 16. 17. (et sqq.) valde probabile. Porro praemisso illo περισσόν = temere, vanitas enuntiata *videtur* de illo *ordine mundi* 15ª, quo fit, ut aequaliter intereant et sapientes et stulti : « temeritatis fuit ita loqui, ac si esset ordo mundi vanus ». Etiam hebraica verba explicantes hoc interpretati sunt *Knob.*, *Hitz.*, *Gr.*, *Zoeckl.*, *Elst.*; quorum aliqui etiam *iniustum* dici ordinem illum arbitrantur : « et dixi hunc mundi ordinem esse perversum ». Sed nec hoc, ut sunt verba in hebr. (non addito περισσόν), probabile est, nec illud necessarium; quia vanitas melius ad studium (male ordinatum) sapientiae refertur; humana enim studia, non res mundi, vana esse Ecclesiastes toto libro disputat. Item igitur v. 19 non periculum transferendae in indignum fortunae, sed labor ipse comparandae fortunae vanus proprie dicitur.

In v. 16 illud לָעוֹלָ֖ם per se ambiguum est, prout vel cum negatione vel cum voce זִכְרוֹן֙ coniungitur; prius fecerunt *Thaum.*, *Nyss.*, *Olymp.* et sententiam effecerunt : « Minime verum est, quae modo stulte dixi, sed nunc intelligo, nihil in perpetuum esse commune inter utrumque, i. e. sapientem et insipientem. Sed *Hier.* in commentario suo iure verba LXX (quae eodem modo accepit Tischendorf, si e distinctionis ratione licet indicare) intellexit : « non est ulla memoria perpetua utriusque » et hanc, ut supra dixi, *priorem* fuisse stultamque Ecclesiastae opinationem. Et recte quidem

---

(1) Fortasse ob eandem causam in Vulg. duplicatum est verbum : « Locutusque animadverti », ac si verba hebr. vertenda essent : « Deinde amplius locutus (que) sum »; hebr. וְ (= que) LXX non videntur legisse aut transiliisse, aut aliquis scriba, quod περισσόν cum ἐλάλησα iungendum putaret, suo arbitratu καί praetermisit.

ita vertitur; nam negatio ante ipsam vocem memoriae collocata melius ad hanc refertur, atque ita sentiunt fere recentiores; praepositio autem עִם (= cum) et hic, pauc. verbis post et saepe alias paene *et* vel *ut* latinum valet, et similiter in ceteris fere linguis ea praepositio, quae comitatum proprie designat. Masoret. quoque distinctio maior (tiphcha maior est quam tebir) separat « in perpetuum » a reliqua sententia, ut non videatur contrahere, sed amplificare vim eius negativam : memoria non est idque in perpetuum. — Omissum in Vulg. בְּשֶׁכְּבָר plerique recte prorsus ut graecum καθότι ἤδη (LXX = *quia pridem*) ita accipiunt, ut sit בְּשֶׁ = בַּאֲשֶׁר (8,4) et sonet « quatenus, quandoquidem », cf. כְּשֶׁ = כַּאֲשֶׁר 5,14; proxima deinde verba dicunt esse accusativum temporis (Gen. 14,4) : « quia *pridem futuris diebus* evanuerint ». LXX posuerunt αἱ ἡμέραι ἐρχόμεναι per anacoluthiam, item *Nyss.* : « iam dies venientes — omnia oblivio obruerit. *Thaum.* dies advenientes sic explicat : « vix ortas interire res humanas » ; *Nyss.* scripsit : ταῖς ἡμέραις ταῖς ἐρχομέναις. Hebraicum בָּאִים res vel simpliciter futuras vel proxime iam instantes s. advenientes significat (Is. 27,6); בְּשֶׁכְּבָר sine dubio falso *Ren.* accipit : in hoc quod erit futurorum dierum quasi praeteritum : Dans ce qui sera le passé des jours à venir, sententia eadem : « brevi post dies proximos ». — נִשְׁכַּח participium esse, ut הוֹלֵךְ v. 14, existimandum est, ut perpetuam conditionem significet : erit et manebit obrutum oblivione.

V. 17 non proprie dicitur « vitam *meam* » (Vulg.), sed « vitam » (ipsam), et additur ratio quoque non ad personam unius, sed ad omnes mortales pertinens (cf. 1,14); idque habet suam ab ipsa exaggeratione affectus gravitatem. Quare ne verbo quidem hic adiungitur in hebr. pronomen אֲנִי, ut v. 18, ubi de *suis* operibus scriptor loquitur; prius igitur omnium hominum vana esse opera ob communem moriendi necessitatem concludit, deinde ad se ipsum redit. Hic quoque apparet (ut supra locis omnibus), non temere addi verbo pronomen, aut id esse *seri temporis* indicium; nec recte dicunt, id quoque serae aetatis esse, quod in hoc libro tum participiis tum verbis plerumque postponatur; nam ut hoc loco ac saepe omittitur et 1,12 ac pluries anteponitur, sic ab aliis scriptoribus etiam antiquis et additur aliquando et modo ante, modo post verba et participia collocatur, ut Iud. 19,18, pronomen modo sic, modo sic participio iungitur, item in una brevi enuntiatione utroque modo Gen. 18,17, verbo autem utroque modo appositum vide Gen. 15,4. Temere multa huiusmodi « serioris hebraismi » vestigia quaeruntur; Del. obliviscitur Canticum Cant., in quo eadem postponendi pronominis consuetudo cernitur, a se attributum esse *Salomoni* (cf. Cant. C. 5,5 et 6 et saepius).

4. *Quare vani sint labores « sapienter » suscepti* 2, 18-23.

Postquam Eccl. v. 17 vitam ipsam exsecratus est ob eam potissimum causam, quod *sapientiae* fructus nullus appareret, consequens est, ut eodem modo vel etiam acrius oderit *labores* vitae cum sapientia (vv. 3-9) susceptos. Nam id et rei natura et argumentationis concinnitas postulat; non enim tam solius sapientiae vanitatem, sed eorum studiorum, quae vv. 4-10 (atque etiam vv. 1-3) breviter *affirmavit* inania esse, nunc *demonstrare* vanitatem aggreditur. Sed quoniam haec *cum* sapientia (mundana) suscepta esse dixit, ideo praemisit sa-

pientiae cum stultitia comparationem. Nunc ad ipsa studia mundana redit argumentatio v. 18 « *Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus haeredem post me* »; v. 19 « *Quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui. Et est quidquam tam vanum?* » v. 20 « *Unde cessavi renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole* ». Hic quoque v. 18 similiter referri *pristinam* deliberationem censeo, ut apte dici potuerit « laboravissem » (coniunct.) ; itemque v. 19 directe collocutionem secum ipso *pristinam*. Notandum est, in hoc altero versu pro « sollicitus » in hebr. positum esse « sapiens », quo vocabulo rursum designatur sapientia *mundana*, quae ad opera illa perficienda administra fuit. Tragica atque acerrima commotio in v. 20 exprimitur; verba sunt quasi desperantis. Duae autem rationes, quare vana sit mundana industria, proponuntur. Prior est, quod non *sibi* homo laboret, ut est apud profanum poetam :

> Cedes coemptis saltibus et domo
> Villaque, flavus quam Tiberis lavit :
> Cedes et exstructis in altum
> Divitiis potietur haeres. (HOR. Od. II, 3,17 sqq.)

Sed in hac cogitatione ille etiam *alter* aculeus est, quem Ecclesiastes v. 19 significat : « Fortasse *indignus* (id quod accidit Salomoni) haeres mea omnia dissipabit ac frustra ego et laboravero et sapiens fuero » (עֲמָלִתִי וְחָכַמְתִּי, quibus verbis resumit omnia illa vv. 4-10). Rursum similia apud illum poetam .

> Absumet haeres Caecuba dignior
> Servata centum clavibus et mero
> Tinguet pavimentum superbo
> Pontificum potiore coenis. (Ib. II. 14,25 sq.)

Est autem tam pungens ista deliberatio, ut in quandam desperationem adduxerit (aliquando) meditantem, v. 20. Atque adeo *nunc* (v. 21 sqq. praesentem sensum exprimunt) non potest abstinere, quominus eandem cogitationem amplius confirmet et persequatur. Sic enim fere pergit : Et sane multi sunt (כִּי־ יֵשׁ אָדָם), qui cum praeclare laboraverint, tamen iustam suam portionem alteri relinquant percipiendam; annon hoc ingentem vanitatem aperit sedulitatis humanae? V. 21 « *Nam cum alius laboret in sapientia et doctrina et sollicitudine* (hebr. : est homo qui), *homini otioso* (hebr. : qui non laboraverit) *quaesita dimittit; et hoc ergo vanitas est et magnum malum* ». Nihil enim fere (vv. 22 et 23) illi ipsi praeter diurnam nocturnamque *molestiam* contingit; in qua amplius laborum vanitas cernitur : v. 22

« *Quid enim proderit homini de universo labore suo et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?* » v. 23 « *Cuncti dies eius doloribus et aerumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit; et hoc nonne vanitas est?* »

Haec de filione dicat scriptor an de alio (אָדָם!), qui fortasse intraturus sit in bona sua, an in sua persona exprimat *communem hominum* fortunam (cf. v. 21 sqq. et iam v. 17), v. infra. Interim dicamus, eum in sua persona adumbrare communem, ut et modo coepit et proximis versibus facere perget. Nam 1. pers. pro *quolibet* homine poni, exempla sunt infra 4,8 (in hebr. desunt « nec recog. dic. ») vel si velis ibi quoque gravari, Iob 34, 33 (hebr.) et Rom. c. 7. Nunc prius hunc totum locum absolvamus.

Meminisse oportet, non vituperari omnes, quicumque naviter laborent et mane et vespere (בַּבֹּקֶר וְלָעֶרֶב 11,6), sed eos, qui sic laborent, ut fructus maneat « sub sole », i. e. huius vitae terrestris terminis conclusus; deinde nimia in bonis externis comparandis *sollicitudo* castigatur, ut et omni huius disputationis ratione et maxime conferendo capite undecimo fit manifestum. Cuiusmodi sollicitudini accommodatur illud Christi Domini consilium, quo iubet temperare etiam a victus cotidiani anxia cura : « Vos nolite quaerere, quid manducetis... haec enim omnia gentes mundi quaerunt » (Luc. 12,29 sq.); quae verba eo ipso loco posita sunt, ubi de homine divite parabola explicata est, et a mortis necessitate primum petitur argumentum, quo illius studia vanitatis arguantur (ib. v. 20, ut apud Eccl. v. 15).

5. *Concluditur argumentum* 2, 25-26.

Iubet igitur Ecclesiastes vv. 24-26 comedere potius et bibere et frui bonis paratis, quam frustra laborare et agitari, praesertim cum ista moderatio plurimum etiam virtutis habeat et Dei donum possit nuncupari : v. 24 « *Nonne melius est comedere et bibere et ostendere animae suae bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est* » ; v. 25 « *Quis ita devorabit et deliciis affluet ut ego?* (ex hebr. videtur vertendum : Quis enim comedet aut quis cursitabit? Non est istud penes meipsum); v. 26 « *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam et scientiam et laetitiam; peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat et congreget et tradat ei, qui placuit Deo; sed et hoc vanitas est et cassa sollicitudo mentis.* » Sic enim supremus mundi administrator in hac quoque re vitio poenam, mercedem virtuti proposuit, ut, qui immoderata abripitur cupiditate, alteri potius quam sibi laboret, contra ei, qui moderate vitam instituit, quasi sua sponte

obtingant illa ipsa fortasse bona (v. 26), quae ab avaro et cupido sint comparata. Fortasse, inquam; nam id, quod aliquando fit, hic pro norma communi ponitur, quasi dicatur : nisi alias multas rationes, praeter hanc ipsam, Deus in bonorum distributione spectaret, opes immoderato studio comparatas transferret ad eos, qui eis nossent modeste uti.

Versum 24 *Hier.* in Vulg. recte accipit interrogative, ut loci sententia exigit. Recentiores plerique id negant licere, sed scribendum fuisse הֲלֹא; quamquam quae sit ratio necessaria, non apparet, praesertim cum aliud sit לֹא aliud אַיִן; illud est simplex *non*, hoc *non est* vel *non profecto* habetque eandem vim oratoriam, quam oppositum יֵשׁ (v. g. Num. 13,20 : הֲיֵשׁ בָּהּ עֵץ אִם־אַיִן = num sit ibi silva necne sit). Ergo ut v. 21 verti poterat : « Est profecto nonnemo », sic hoc loco aptissime : « Annon revera melius? » vel : « Annon satius esse probatur? » Conclusio sane tam inopinata et audacter illata non poterat hic aptius quam interrogative proponi (etsi eadem infra omnibus locis affirmative enuntiatur). Quare verba, ut nunc exstant, mutanda non existimo, quamquam probabile dixeris LXX legisse מִשֶּׁיֹּאכַל, ut volunt nunc plerique; nam apud *Nyss.* est ἢ ὃ φάγεται, apud *Olymp.* εἰ μὴ ὃ φ′ et S^{2} fert πλὴν ὃ φ′; *Hier.* denique in commentario : « Non est homini bonum nisi quod comedat... » (item Chald., Syr., Ar.). At contra apud Tischendorf unus tantum codex habet εἰ μή, ceteri : οὐκ ἔστιν ἀγαθὸν ἀνθρώπῳ, ὃ φ′, et *Thaum.* explicat : οὐ γὰρ τὸ τέλειον ἀγαθὸν περὶ βρῶσίν τε καὶ πόσιν ἵζάνει, inflexa prorsus sententia, sed ita, ut quid legerit apud LXX, appareat. Quoniam igitur et graece et hebraice antiquitus lectum esse שֶׁיֹּאכַל et ὃ φάγεται satis probabile est (quia, *unde altera lectio allata sit*, facile intelligitur), illud retinendum videtur. Offensio autem in sententia nulla est, ob quam Thaumaturgi interpretationem toti loco minime consentaneam sequamur. Aut proverbium fuit, cibi potusque exemplis victum moderatum designans, aut hoc poeticum symbolum ipse scriptor invenit, quod proverbii instar frequenter repeteret. Cuius dicti quae sententia sit, omnino consentanea Ecclesiastae, cognoscitur maxime e c. 11; ubi cum ad *strenue laborandum* praemissa est adhortatio, additur, interim moderate et pie fruendum esse Dei donis : « Laetare ergo iuvenis in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus iuventutis tuae et ambula in viis cordis tui et in intuitu oculorum tuorum; *et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium* », i. e. sic fruere vita, ut strenue *labores* et nihil *pecces*, et (quod eodem capite inculcatur) in Dei *providentia* acquiescas nec *curas* inutiles assumas.

V. 25 grammatice difficilis est, quia eius clausula haec וּמִי יָחוּשׁ חוּץ מִמֶּנִּי non videtur admittere rectam interpretationem. Pro littera ultima י substituunt omnes fere recentiores ו, et in eundem modum verterunt LXX et *Syr.* et *Hier.* in commentario; idem exhibent aliquot codices hebraici (8 apud *de Rossi*). At ipse iam *Hier.*, cum ex hebr. verteret, legit primam personam, item *Chald.* Deinde propria significatio verborum חוּשׁ (= currere, festinare) et חוּץ (= extra) non censetur in hunc locum quadrare. — Nihilominus haud scio an aeque facile sit, et lectionem traditam servare et stare usitata illorum vocabulorum significatione. Recte existimant generalem loci sententiam esse : nisi Dei munere, neminem posse frui bonis huius vitae eo modo, quo id a scriptore commendatur. Iam vero ad verbum ita interpretor : « Quis enim comedet et quis cursitabit? Extra me est. » Extrema hanc vim habent : « Non est in mea potestate », idque certe proxime abest a locali significatione, immo vero licet vertere : « Extra me positum est », id quod in poetica dictione nihil habet singulare. Porro « cursitare » idoneam metaphoram exhibet sollicitae sedulitatis et agitationis. Ita haec sua sponte efficitur sententia : « Quis fruetur bonis et quis contra se frustra agitabit? Id non meum, sed Dei est constituere ». Licet etiam haec duo sic coniungere : « Quis comedat aut quis cursitet, id non est penes me »; sed prius nisi fallor gravius est. Tangitur hic illud, quod pro causa vanitatis positum est iam in libri principio : suo quodammodo gyro coercetur homo, quo nisi se libens continet, invitus tamen constringitur : nemo potest se *aliter* ac Deus voluit efficere beatum. Hoc ipsum rectissime disseruit *Mot.*, ut supra p. 72. 79 diximus; sed ibidem negavimus videri id *ipsis verbis* in prooemio enuntiari; hoc 2. capite explicatur luculentissime (vv. 11-26; 1 et 2) item primo capite extremo (a v. 13). Capite autem secundo *rerum* quoque vanitas et *mortalitas* hominis et gloriae *brevitas*... proponuntur (vv. 15-23). Liquet igitur haec omnia instrumenta quaedam esse, quibus Deus hominem suae humilitatis commonefaciat et invitum cogat modeste sentire; hunc ipsum esse « gyrum » illum, in quo volens nolens homo currat : ut in vana omnia ipse vanus nihil possit grande moliri, nisi Deo annuente ac iuvante. Hic quoque me res admonet alicuius sententiae, quam Mot. iam ad 1,7 proponit, cuius priorem partem non omnino concedo, alteram libens amplector; quam hoc loco non alienum est afferre : « La vie de l'homme est donc ici (?) accusée d'impuissance et de vanité, non point à cause de la rapidité de sa marche, de la brièveté de sa durée ou de la caducité des choses qui la remplissent, — mais parce qu'il ne peut, malgré ses désirs et ses tentatives, trouver le dernier mot des choses et leur commander. Jeté au milieu d'un monde qui obéit à des lois mystérieuses dont son intelligence et sa volonté ne sauraient se rendre maîtresses, l'homme demeure dans une dépendance absolue qui rend souvent ses efforts vains et infructueux. » Atqui hoc ipsum unde sit, si quaeras, respondeas : ex bonorum huius vitae vanitate, ex nostra mortalitate, laborum molestia... deinde addas : ex quodam constanti fluxu cursuque rerum a Deo constituto. Apparet autem, hoc

constanti rerum ordine *includi* illa superiora, non ab eo separari. Itaque recte dixeris leges naturae in prooemio non proponi ut vanas, sed ut symbolum constantissimi mundi ordinis, et tamen verum est et in prooemio et saepe a mortalitate hominis, deinde multis huius libri locis ab inanitate rerum mundanarum causam repeti vanitatis; sed haec omnia efficiunt illam immutabilem necessitatem, qua reprimuntur immoderatiores hominis conatus.

S. *Hier.*, ut opinor, illud יחוּשׁ ad festinationem et aviditatem *comedendi* retulit ob eamque causam pro « comedet » substituit « devorabit » et addidit amplius « deliciis affluet »; deinde « extra me » intellexit « supra, ultra me »; sed sententia displicet, nec ipsa explicatio verborum facilis est. Quodsi tamen ea interpretatio retinetur, scriptor v. 25 suo exemplo probat, Dei donum esse moderate et quiete frui bonis; se enim in omni rerum abundantia non didicisse illud « comedere et bibere ». Sed, ut patet, hoc « non didicisse se » fuit omnino addendum. Recentiores aliqui (*Ew.*, *Ren.*) sequuntur LXX, qui vertunt : τίς φάγεται καὶ τίς πίεται πάρεξ αὐτοῦ; « quis comedet et quis bibet praeter eum, i. e. sine eo (Deo) ». Idem in *Hier.* commentario, nisi quod pro πίεται ab *Aq.* et *Symm.* (cf. Field) mutuatus est φείσεται idque reddit « parcet » (idem est in syr. — hex.). Hoc ultimum hebraice vertas יחום = « miserebitur », unde possis « parcendi s. non utendi » vim eruere. — « Bibendi » significationem ex arabico *chasâ* quidam repetunt; *Syr.* quoque interpres eodem modo vertit. — Plerique חוּשׁ volunt esse « frui »; quod ut efficiant, afferunt Iob 20,2, ubi aramaica et talmudica « sentiendi » notio insit in ipso verbo חוּשׁ; ex hac manasse « fruendi » notionem. Ita *Del.*, *Wr.*, *Hitz.*, *Bick.*, *Elst...* *Hahn* paene eadem, qua nos, interpretatione utitur.

Minutiora quaedam ad 2,18-25. — Quae extremo v. 18 et v. 19 de haerede dicuntur, iniuria proprii filii ideo carent, quia scriptor tota hac disputatione *aliquo* modo communem induit personam, atque insuper haec melius pristinae ac fortasse *nimis exacerbati* animi meditationi tribuuntur; verti potest : « quod *essem* relicturus », deinde reliqua aut directi sunt sermonis olim secum habiti, aut vertenda sunt indirecte : « Is autem, *quem tandem scire*, sapiensne futurus *esset?* » A v. 21 demum, ut diximus (p. 142), praesentem eloquetur sensum. Atque ita quidem satis solvitur quaestio, potueritne *Salomon* huiusmodi uti verbis. Quam solutionem confirmat vox אדם v. 18, porro totus v. 21, qui est de *aliquo homine*, quicumque sit, nec iam *potest* ad solum Salomonem referri; item vv. 22-26 et iam 17. Ceterum si esset opus alia interpretatione : potuit ita Salomon senex de *Roboam* filio, qui se praestitit stultum (סָכָל, v. 19), cf. 3 Reg. 12,8 sqq., aut (quia de « filio » non sunt illa verba, sed de « haerede ») potuit significare *Ieroboam*, cf. ib. 11,28 sqq.; qui fuit sane stultus, induxit enim cultum idolorum, cf. ib. 12,26 sqq. Vidi quae dixi p. 48 sq.

Dixi autem ab initio capitis esse complures, qui de se non loqui omnino Ecclesiasten sibi persuasissent, vidimus deinde, versus 24 sqq. fuisse quibusdam offensioni atque adeo v. 16, ita ut novam excogitarent interpretandi rationem. At verius existimabimus scriptorem primum ac praecipue suam sustinere personam, modo prae-

sentem modo pristinam quasi resumptam, deinde indirecta quadam adumbratione universi generis humani prae se ferre personam. Recte *Pin.* ad v. 15 : « Ait ergo se dixisse in corde suo : quod clare indicat ex propria persona locutum, non ex aliena neque ex surreptitia et quasi dubitatitia obiectione aut cogitatione, ut Hieronymus, Olympiodorus et alii volebant. Nam si haec sententia vim haberet alienae obiectionis et non ex proprio sensu, debuisset statim ab Scriptura refutari vero iudicio subiecto, quod tamen hoc loco minime fit ». Deinde idem omnia sic explicat, ut verissime dici potuisse ostendat, velut v. 16 : « Negatio tantum afficit *memoriam*, non item similitudinem sapientis et stulti; nam ex rerum humanarum conditione et ordinaria lege *par* sapientis et stulti futura est apud mortales conditio, cuius nulla futura sit diuturna et perpetua memoria. » Nulla igitur in communi explicatione iusta offensio, si verba sobrie circumscribuntur; de terrestri enim sapientis et stulti honore agitur. Sed quoniam quaedam sane cernitur exaggeratio, licebit ita, ut proposuimus, ad pristinam meditationem verba referre, praesertim cum huiusmodi praeteriti temporis repraesentatio vim habeat et oratoriam et poeticam. Quamquam eam usque ad finem capitis (i. e. ultra v. 20) perducere nolim, quia huiusmodi figura non solet diu retineri, et quia suam quoque vim habet, prius cogitata nunc confirmari; id autem fieri et יֵשׁ affirmativum v. 21 et *eiusdem* rationis repetitio declarat, opinor. Idem ille Pin. versum 24 optime cum hac sententia coaequat : « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria » (Prov. 30,8), ut utroque loco *mediam* sortem commendet optetque Salomon. Nam « nexus orationis poscit », inquit *Corn. a Lapide*, « haec dici ex mente Salomonis, quasi dicat : ego videns vanitatem et stultitiam avarorum, qui corrogant opes haeredi incerto, non sibi, dico satius esse comedere et moderate uti suis bonis nec fraudare genium suum, sed ostendere, i. e. exhibere animae suae bona, intellige commoda et iucunda, ut honeste genio indulgeat, hocque esse insigne Dei donum. » In quo non negligendum esse arbitror, cibum potumque per *similitudinem* designare genus universum honestarum delectationum totumque moderatae vitae institutum, avaritiae oppositum; comparanda etiam sunt, quae de perpetua sapientis sedulitate c. 11 disseruntur; postremo meminisse oportet, in Vetere Testamento facilius quasi optimum potuisse commendari illud vitae genus, quod ab indigentia et avaritia luxuque aequo esset intervallo remotum. Quamquam hoc ultimum nolim premi nimis; sancta enim omnia et prorsus laudabilia illis antiquis a sacris scriptoribus proponuntur, etsi ad sanctiora et laudabiliora nos Christiani vel invitamur vel impellimur. Aliena autem ab hoc loco arbitror, quae pie *August.*, *Philastr.*, *Hier.* de spirituali cibo disputarunt. Nam « non esse hunc primum et literarum sensum tum fatetur Hieronymus, tum contextus ipse et materia totius capitis aperte ostendit » (Pin.).

V. 21 LXX (duo ponentes *subiecta*) hominem *vere sapientem* (non, ut supra, in rebus mundanis prudentem) describere videntur eumque vel comparare cum homine stulto, qui alteri provideat, non sibi, vel ex hac parte infelicem dicere, quod saepe habeat segnes indignosque haeredes; sed verba ipsa non est dubium quin sint depravata : ὅτι ἔστιν ἄνθρωπος [ἄλλος?] ὅτι μόχθος αὐτοῦ (ad literam = שֶׁעֲמָלוֹ) ἐν σοφίᾳ καὶ ἐν γνώσει καὶ ἐν ἀνδρείᾳ, καὶ ἄνθρωπος, ᾧ (Nyss. ὃς) οὐκ ἐμόχθησεν ἐν αὐτῷ... Eam igitur explicationem sequuntur *Thaum.*, *Nyss.*, *Olymp.* (altero loco), item *Hier.* in commentario et eodem spectant in Vulgata : *cum alius* laboret sapienter, ille homo contra, de quo dixi, ad hominem desidem bona sua transmittit. Ecce tibi vestigium manifestum, quam religiose Hier. adhaerescat LXX et Patribus, ubi hebr. verba idem videntur posse designare; hoc enim loco sine dubio sibi persuasit, יֵשׁ ut alias (cf. 1,10) posse vim concessionis habere, ut vertendum esset : « est enim sane qui agat

vere sapienter — at (ille insipiens) relinquit. » Sed *eandem*, ut puto, oportet esse vim vocis *sapientis* et sapientiae, quae fuit toto capite, ut intelligatur ἀνθρωπίνη σοφία καὶ φρόνησις, i. e. *mundana* prudentia (Olymp. priore loco). Cf. v. 19; v. 26 demum *boni* hominis sapientiam et scientiam commemorat.

Eodem v. 21 בְּכִשָּׁרוֹן intelligitur *bene*, *prospere* a *Wr.*, *Del.*, *Ren.* secundum 5,10; sed *Gr.*, qui hunc ipsum locum corruptum esse suo more opinatur, nihil esse vult nisi « naviter, perite », similiter *Elst.*, cf. Symmachi γοργότητα = impetum, studium, LXX ἀνδρείαν = virtutem, fortitudinem, *Vulg.* sollicitudinem. Vox non invenitur nisi 4,4 et 5,10; utroque loco LXX sibi constant, Vulg. priore « industriam » habet, altero « prodest »; verbum valet 11,6 « crescere » s. bene procedere, Vulg. « magis oriri » (de semine dictum), LXX στοιχεῖν « ordinate succedere ». Ergo illud בְּכִשָּׁרוֹן aut « prospere » s. utiliter vertendum videtur, ut est certe intelligendum 5,10 (de 4,4 dubitare licet) aut « bene », quae significatio primaria videtur esse et potest ad omnia illa optime accommodari. — Hahn in hoc versu 21 agi putat non de transmittendis in *haeredem*, sed de transferendis in *alium*, fortasse *vivo* possessore, bonis, ne idem quod v. 18, dicatur, sed accrescat argumentatio. Nihil autem huiusmodi ipsis verbis significatur et *repetiti* argumenti aliam rationem paullo supra attulimus : Ecclesiastes v. 21 ex *praesenti* sententia idem repetit. V. 22 sq. Hahn afferri *novam* probationem huiusmodi putat : saepe *morbo* similive malo impediri hominem, ne fruatur bonis. At plerique recte censent, *uno* argumento hominem avarum vel cupidum proponi, qui sibi ipse immoderata sollicitudine adimat fructum laborum; nec distinctio diversorum eiusmodi argumentorum crui e verbis facile potest, nec sic apte v. 24 adnectitur. Nam quod Hahn dicit negari hic ullam esse in cibo potuque veram felicitatem, id inutiliter hic additur; supra enim (2,1. 2 vel 2,10 sqq.) id tractatum est, nec hoc loco ullo modo exspectatur. Hahn cogitur etiam clausulam v. 24 separare ab iis, quae *proxime* antecedunt, in hunc modum : hoc quoque (spernéndum esse usum cibi potusque) ego expertus sum; Dei enim donum est. Deinde v. 25 sic vertit, ut nos supra, nisi quod חוּשׁ putat esse « frustra captare cibum atque ita *carere* », ab eadem tamen currendi notione profectus. — Initio v. 22 LXX aut omiserunt hebr. מָה : καί γε τοῦτο ματαιότης... ὅτι (כִּי) γίνεται ἐν τῷ ἀνθρώπῳ (intellige : ut debeat alteri tradere suam partem), aut post ὅτι intercidit τί; Nyss. et Olymp. hoc sane non habent, at ὅτι γίνεται tamen non videntur iunxisse cum superioribus, Hier. autem in comm. reddit : « *Quid* enim fit homini? » — V. 23 מַכְאֹבִים וְכַעַס de morbo, ut est iam ante indicatum, dicta censet Hahn, sed eadem haec 1,18 de mentis sollicitudine usurpata sunt. Non male quidam utrumque vocabulum coniungendum esse statuunt, ut sententia sit : Omnibus diebus aerumnae dolorque (s. aegritudo) occupatio eius sunt. Nec multum discrepant LXX et Vulg., etsi « dies » ponunt pro subiecto, et Vulg. non habet עִנְיָנוֹ = occupatio. Distinctio contraria hebraica, etsi videri potest audacior, affert tamen etiam maiorem dictioni gravitatem : dies eius aerumnae, et dolor occupatio eius. — In vv. autem 22 et 24 hebr. הָאָדָם prorsus censeo intelligendum esse de eodem vel iisdem, de quibus v. 21 dictum est יֵשׁ אָדָם; id quod v. 23 manifesto demonstrat. Itaque non de omnibus hominibus, sed de eo genere, qui non sibi, sed posteris congregent opes, accipiendum est הָאָדָם; et potest sane articulus habere vim quasi demonstrativam (notissimum est הַיּוֹם = hoc die, hodie). Accedit autem quod alioquin in v. 24 difficilius explicatur בְּאָ (in Vulg. omissum, cf. 3,12) pro לְאָ; sed rectissime vertitur : « *in isto*

homine fuerat melius, ut comederet »; i. e. in homine cupido et plus iusto laborante fuit laudandum et consulendum potius, ut comederet »; quia tamen *simul* id consilium omnibus hominibus accommodari potest et accommodatur, malim utrumque coniungere in hunc modum : « Annon in isto *probatur* satius esse comedere... » Artificiose, sed parum recte, ut puto, *Mot.* premit praepositionem בְּ : « Non est bonum *in potestate* hominis positum, ut possit..., » itemque 3,12 : « Non est bonum in eorum potestate nisi ut edant... » At nonne hic versus prorsus *contrarius* erit superiori? Supra negatur, hic affirmatur in potestate hominis esse « edere »... Deinde dubito, liceatne בְּ illo modo vertere. Denique quare טוֹב non est omissum? Molestum certe est.

In v. 25 חוּץ explicant Hitz. et Zoeckl. *praeterquam* (a Deo = מִמֶּנִּי), Del. et Wright *praeter* Deum); magis autem ad vim primam localem vertimus *extra* (me = מִמֶּנִּי), *non in* (s. non penes me). V. 26 subiectum verbi לָתֵת (quod absolute usurpatum est : ut *gratificetur*, i. e. his omnibus laboribus *prosit*) sine dubio non Deus, qui paullo post nominatur, sed ipse peccator est; id nisi esset, scribendum fuit לְפָנָיו. Clausula autem eiusdem versus vanum dicit, non Dei decretum, sed hominis inquieti laborem inutilem.

De dictionis arte capitis secundi pauca addam. Pressa ac brevis, sed eadem acris oratio fuit initio capitis; ubi vilissima tractabat scriptor, at deinde a v. 4 diffusior etiam, quam 1 cap. de sapientia, quia de iis studiis tractat, quae maxime sunt pervulgata et proprie « mundana » s. « saecularia » vocantur; complectuntur etiam aliquo modo et sapientiam et voluptatem(v. p. 118). Asyndeton adhibens enumerativum quasi accumulare bona videtur, abstinens autem vav conversivo non iungit, sed separatim singula ponit, ut vim suam quidque integram habeat; quam constructionem nescio quo errore dicunt esse serioris hebraismi; immo vero gravius res factas et quasi *disiunctim* enuntiat, cf. 1. Sam. 17,34-35 ubi octies prima persona praeteriti temporis cum vav simplici usurpatur, semel autem tertia persona cum vav conversivo. Similis igitur vis est in hac constructione atque in repetito pronomine primae personae. Enumeratio bene et incipitur et concluditur verbis גָּדַל (vv. 4. 9) et חָכְמָה (vv. 3. 9), ut dubium esse nullo modo possit, quin ad magnificentiam coniunctam sapientiae omnia dirigantur. Comparatio illa *maiorum* (v. 9) sic, ut 1,16, itemque mentio regiae suae dignitatis (v. 12), ut 1,12, significant, ad summum fastigium adductam esse eam, quae quaeritur, felicitatem. A v. 11 magis *excitatur ornaturque* oratio; affectus enim sunt exprimendi. Itaque illud « converti ego me » bis positum declarat, sola inconsiderantia factum esse, ut opera magnifica ad tempus placerent, recogitanti non potuisse non displicere; itemque videmus Salomonem versare se perpetuo et ab uno ad aliud convertere (cf. etiam v. 20), quia in his exilibus terrae bonis non possit acquiescere. Gravissimum animi motum versibus 17. 18 repetitum « odi » (in hebr.) designat. Figura etiam interrogationis commode usurpatur vv. 12. 19. 22. 24, item ea verba, quae veri cognitionem et sensum

doloris exprimunt, apte primo plerumque loco collocata sunt vv. 13. 15. 17. 18; inversiones adhibentur v. 14 (sapiens — oculi eius in capite eius, cf. Deut. 28,54), et 15 (et ego — continget mihi; cf. Gen. 24,27), nec ab aliqua oratoria superlatione abstinetur vv. 16. 24. 26. Atque ad haec minutissima attendere non est alienum, ut intelligatur, quanto artificio hic liber, qui ad sera tempora soleat reiici, sit perpolitus. Nec ea ars infra deficiet, quamquam eam in prioribus capitibus paullo curiosius ostendisse satis sit; postea breviter de eadem re admonebimus.

c) Epilogus I. partis. — Tempore humana omnia, invito homine, reguntur. 3, 1-15.

Pervestigato uno quasi cursu studiorum humanorum Ecclesiastes eo reducit disputationem, unde exorsus est. Nam prooemio (1,1-11) id demonstravit, quod infra (3,14) ita enuntiat : « Didici, quod omnia opera quae fecit *Deus, perseverent* in perpetuum; non possumus eis quidquam *addere* nec *auferre*... ». Ex imbecillitate enim mortalium cum fixo immotoque mundi ordine comparata dimanat rerum humanarum vanitas, i. e. illius *immoderationis* sterilitas, qua saepe homo *Deo non probante* terminos sibi definitos studet transire. Eo autem iam deduxit sermonem, usquedum in modesto et medio quodam vitae instituto reperit esse veram pacem atque laetitiam (2,24 sqq.). Nunc repetit illud primum et commune argumentum, quo argumentationem concludat pulcherrimeque absolvat (c. 3).

Huius quidem loci hanc esse sententiam intellexit *Del.*, cum ipse non recte 1,2-11 nihil nisi perpetuam rerum omnium vanamque aequabilitatem propositam esse dixisset; sed ultimum quasi annulum primo oportebat connectere, ut disputatio bene absolveretur. Hoc loco ipse : « Quemadmodum laete frui bonis non est in hominis potestate, sed Dei donum, quod quidem vel tribuit vel negat illi, prout vel diligit eum vel secus : ita omnia omnino eo, quo vult Deus, et tempore fiunt et modo atque ad eas accommodata leges universi, quas nec conspicere nec immutare ullo pacto possimus. Discere oportet, a Deo nos totos aptos esse ac pendere. Quidquid enim fit in hac terra, ab Illo tempori certo ac definito attributum est nec humano studio atque arbitratu, sed illius decreto, consilio, dispositione perficitur. » Alios eiusdem sententiae interpretes, quos ipse quoque sequitur, affert *Mot.* I. p. 18 sqq., docetque quam necessarium sit istum locum ita explicari.

ARG. — In hac facili absolutione superioris probationis qui sit ordo, quae vis sententiarum, paene sua sponte elucet :

Vv. 1-8 declaratur, in omni rerum humanarum differentia hoc tamen esse commune, quod suo fiant tempore praestituto atque fixo (ut

naturalium eventorum ac necessariorum vicissitudinem videantur imitari, cf. 1,4-7). Exemplorum tria paria vitas potissimum privatas singulorum spectant, quinque convictus et communitatis consuetudinem.

V. 9 quaeritur, quid proficiat homo, qui ultro (et contra Dei voluntatem) de suo velit *addere* labore (cf. 1,3).

Vv. 10. 11, ut responsum dari possit, exponitur, quae sit hominum molitio in hoc mundo, quae Dei administratio.

Vv. 12-15 datur responsum duplex binis versiculis, repetito verbo « Perspexi ». Prius est : hominis imbecillitati nihil convenire, nisi ut studia moderetur sua et honeste vitae bonis fruatur. Alterum est : hanc sui moderationem gravissime suaderi illa ipsa immutabilitate ordinis a Deo, administratore universi, definito.

Itaque, quae subobscure ab initio libri dicta erant, ut pro fundamento essent reliquae disputationi (1,4-7 et paullo clarius 8-11), ea hic perspicue ipsis verbis enuntiantur : *ordinem mundi* a Deo statutum maxime impedire hominem, altiora quam oportet appetentem; is ordo illic poetica imagine ad solas leges naturales astringi videbatur, hic prorsus ad omnem vitam hominis quoque accommodatur. Quo ordine effici, ut in *vanum* reciderent conatus immoderati mortalium, illic acerrime praefatus erat Ecclesiastes (1,2-3) et iterum paullo post significaverat (1,8 sqq.); idem isto loco, de quo agimus, indirecte tantum indicatur, quia ante est copiose demonstratum (1,12-2,23). Aliud enim hic potissimum agitur. Denique *doctrina* ipsa instituendae vitae, quae ex illis consequitur, in prooemio non explicate tractatur, sed intelligenda est, nec reliqua disputatione adhuc proposita est nisi extremis secundi capitis versibus; sed ea nunc absoluta vanitatis demonstratione et ne nominata quidem amplius vanitate, resumpto graviter prooemii argumento, vi magna inculcatur. Tria tamen et prooemii et consequentis explicationis aliquo modo communia sunt argumenta : *mundi ordo* a Deo praestitutus, *vanitas* rerum humanarum, *doctrina* s. morum documentum inde derivandum.

Quae cum ita sint, *comparatione* primae, mediae, extremae particulae totius I. partis (1,1-3,15), vera quae sit sententia, eruendum est. Atque etiam singuli inter se versus similes conferendi et verba eadem eodem modo interpretanda sunt. Ergo non solum ea, quae « vanitatem » exprimunt, de eadem semper re, i. e. de conatibus humanis, *non* de aliqua re vel conditione externa intelligi debent, verum etiam alia multa pariter enuntiata pariter explicanda sunt. Apparebit, quo consilio scriptor peritissimus dictionis similitudinem, tot locis notabilem, non dico non fugerit, sed quaesiverit.

Nihil dubito, quin voluerit ea, quae praecipue inculcanda esse

statuerit, istiusmodi artificio imprimere mentibus legentium; nam repetitio ipsa soni aequalitate efficit, ut instar proverbiorum similiumque acute dictorum et auribus inhaerescant et mentibus. Quod artificium etsi per integrum librum pervadit, tamen hoc loco placet aliquot exemplis ostendere; compara igitur 1,3 : 2,22 : 3,9; 1,8 : 3, 11; 1,9 : 3,14; 1,10 : 3,15; 1,13 : 3,10; 1,14 : 2,22; 1,18 : 2,23; 2,24 sqq. : 3,12 sq. Etiam quaedam minuta eodem pertinent; ut illud « sub sole » fere constanter ad studia vana hominum refertur 1,3. 14; 2,11. 17. 18. 20. 22, aliter usurpatur « sub coelo » ; cf. 1,13 (hebr.) cum 1,14; 2,22 cum 3,1 (non omnino simile v. 9,13). Priore igitur voce aliquo modo ipsum opus hominis mortalis et ipsa signatur vanitas (cf. p. 85). Item לְעֹלָם simili ratione repetitum existimo 1,4; 3,11. 14; id ex eo concludo, quod his locis propriam quandam notionem habet *eius* perpetuitatis, quae in legibus naturalibus hominem commonefacit suae mutabilitatis et imbecillitatis, ut paene quaedam dici possit *infinitas naturae*. Nam in naturae hominisque comparatione illi perpetuitas atque constantia, huic labilitas ac debilitas omnibus illis locis attribuitur; est igitur haec perpetuitas in rebus naturalibus simulacrum quoddam divinae aeternitatis, quo pudor iniiciatur hominis arrogantiae. Atque haec omnia ad sententiam horum capitum recte explicandam, quanti momenti sint, sua sponte elucet.

Ad verba veniamus, quae quidem, ut citius rerum summa percipiatur, prius *brevissima* explicatione adhibita percurremus, deinde *fusius* enucleabimus.

V. 1 « *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub coelo* (hebr. : et diem statutam omne studium...)

V. 2 « *Tempus nascendi et tempus moriendi; tempus plantandi et tempus evellendi, quod plantatum est;*

V. 3 « *Tempus occidendi et tempus sanandi; tempus destruendi et tempus aedificandi;*

V. 4 « *Tempus flendi et tempus ridendi; tempus plangendi et tempus saltandi;*

V. 5 « *Tempus spargendi lapides et tempus colligendi; tempus amplexandi et tempus longe fieri ab amplexibus;*

V. 6 « *Tempus acquirendi et tempus perdendi; tempus custodiendi et tempus abiiciendi;*

V. 7 « *Tempus scindendi et tempus consuendi; tempus tacendi et tempus loquendi;*

V. 8 « *Tempus dilectionis et tempus odii; tempus belli et tempus pacis.* »

Enumeratione hac ipsa et repetita vicies novies voce temporis עת

acriter inculcatur immutabilitas rerum a Deo ordinatarum. Praemititur alia, זְמַן, qua distinctius indicatur, tempus intelligi ante constitutum fixumque; nam et ipsum hoc nomen Esth. 9,27. 31; Neh. 2,6 valet diem accurate praefinitam, et verbum secundum cod. Samar. Gen. 11,6, Deut. 19,19 « ante designare et constituere cum animo suo ». « Omni igitur rei » et nominatim « studio », i. e. desiderio, conatui humano statutum est suum ac certum tempus. A quo id factum sit, per se apparet, et bene non exprimitur; non enim hic agitur de providentia paterna Dei, sed de illa *necessitate,* qua homo constringitur, quae etsi est a Deo profecta, tamen instar fati cuiusdam saepe concipitur ac sentitur; est enim in ipsis legibus naturalibus posita. Itaque vitae nostrae ita moderatur, ut nihil eam effugiat, id quod longa eventuum humanorum serie sub oculis collocatur; eventuum, inquam, quia liberae quoque actiones in *eundem* gyrum rediguntur a Deo, ut, quamvis humani sint consilii ac voluntatis, nihilominus decreto Eius, qui visione futurorum omnia potuerit praefinire, sic congruant, ac si sint causarum necessariarum ac naturalium. Non negari liberum hominis arbitrium, v. p. 9. — *Partus et mortis* hora praefinita est; his finibus *tota* vita terminatur. « Pariendi » tempus (LXX τεκεῖν) dixit, non « nascendi », ut in matre iam videatur sors hominis praeparata, quamquam non tam, vel non solum actio quaedam, sed potius eventus declaratur. Similiter v. 3 non proprie actio attenditur « necandi », sed caedes consideratur ut eventus aliquis. Atque ita per totum, omissa et divina providentia et hominis libertate, *fieri* omnia suis temporibus definitis tantummodo declaratur, quemadmodum si quis effectus legum naturalium narret; sic enim sublimis sententia loci exigit, ut res exprimantur, sic ipsius prooemii forma adumbravit argumentum. Ergo in hunc quoque modum possis vertere : « Fit ut mulier pariat hominem, et fit ut moriatur homo; fit ut caedes contingat, et rursum contingat sanatio. » Scriptor iis verborum formis utitur, quibus actiones transeuntes notantur, ut in fluxu rerum ac vicissitudine constantiam ordinis clarius indicet (ut 1,4-7); nisi quod extremo loco, adhibitis substantivis, etiam diuturnas rerum conditiones eadem lege contineri ostendit. Licet complura etiam passive vertere : nascitur homo, caeditur homo. Sed proprie media quaedam significatio est, quo eventus designetur, modo passiva potius, modo activa sententia. Fecit etiam ratio *symmetriae,* ut omnia eadem activa forma enuntiarentur.

Iam vero si de singulis exemplis quaeritur, primo quidem initium vitae et finis comprehenduntur; additur autem *simile* de stirpium origine et interitu; item secundo versu interfectioni hominis et conservationi comparatur aedificii cuiuspiam destructio et exstructio. Quam-

quam non in *sola* similitudine est vis secundi et quarti exempli, quia iisdem etiam *hominis* quaedam actiones, sua fata in ceteris rebus quasi imitantis, designantur; nam naturales eventus ipsi per sese non sunt huius loci. Sic igitur intellige : Homo nascitur, homo moritur, quemadmodum homo serit et evellit; homo caeditur, homo sanatur, quemadmodum ipse diruit et denuo exstruit. Versu autem quarto *prorsus* similes inter se actiones proponuntur : fletus, risus : lamentatio, saltatio. Atque his quidem tribus versibus omnis vita apte comprehenditur : ortus naturalis et exitus; casus vel fatalis vel salutaris; luctus, laetitia. Quod vv. 3 et 4 inversus est ordo, ut tristia laetis praeponantur, nescio an ad *tragicum* scriptoris affectum pertineat; cur enim rem omnino inexpectatam fortuito factam dicamus?

A v. 5 nova series incipit exemplorum, in quibus ultima (v. 8) certo spectant ad vitae communitatem, item, opinor, quae proxime antecedunt; nam tacere et loqui ad convictum hominum pertinet; quod autem eodem versu dicitur « dissuere et consuere », quoniam nec proprie accipi potest nec de luctu explicari, de quo satis dictum est v. 4, ad amicitiam consuetudinemque vel distrahendam vel contrahendam referendum videtur. V. 5 autem altera pars cum aperte significet vitam familiarem, de toto loco (vv. 5-8) dubitari non potest, quin de vitae communis societate sit interpretandus. Quae cum ita sint, obscurissima illa « iacere lapides et colligere » de condenda familia, de collocanda sede domicilii explico. Lapides igitur sunt terminales s. termini, quibus proiiciendis agri possessionisve fines designabantur; quem morem apud Hebraeos quoque valuisse, pro certo sumendum est. Omnino respondet alterum exemplum : « amplecti et abesse a complexibus »; nam ut domicilii se habet commutatio, sic convictus et communitatis variatio : separantur filii a parentibus, fratres a fratribus, cum familia una saepe in plures discedat, vel etiam vi aliqua consanguinei separentur. Non existimo de convictu coniugali continuando vel intermittendo hic agi; multo est amplior aptiorque altera explicatio; verbum autem חִבֵּק de amicorum consalutatione usurpatum vide Gen. 29,13; 33,4; 48,10. De *tota* vita familiari agitur ob eamque causam etiam *turpitudinem* aliquam haberet, si nihil praeter amorem coniugalem esset expressum. Alterum par exemplorum (v. 6) de bonorum comparatione et dissipatione est; tertium (v. 7) de amicitiis dissolvendis conciliandisque, quo eodem spectat colloquiorum cessatio vel continuatio. Repente hic quoque (v. 7) tristia laetis anteponi videmus, ut vv. 3 et 4. In v. 8 denique *populorum* inter se conditio significatur; nam etsi « amare et odisse » contingit in omni communitate ac societate, tamen post v. 5^b et 7^a ea potissimum de

causa hic rursum attingitur, ut facilis sit transitio ad « bellum » et « pacem ». Ordo ultimorum quatuor exemplorum transversus est, quod in nullo versu superiore factum videmus; sine dubio scriptor hic tristia voluit in medio versu quasi delitescere, ut inciperetur ab amore et *finiretur in pacem*. — Atque in his omnibus perfectae artis indicia reperiuntur [1].

Iam vero in iis, quae sequuntur, vis quaedam egregia argumentandi cernitur : « Qui fructus? Labor ingens, studium nunquam ad suum finem perveniens » : v. 9 « *Quid habet amplius homo de labore suo?* »; v. 10 « *Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea* »; v. 11 « *Cuncta fecit bona in tempore suo et mundum tradidit disputationi eorum* (hebr. : infinitae aetatis admonuit eos), *ut non inveniat* (hebr. : quia non inveniet) *homo opus, quod operatus est Deus, ab initio usque ad finem* ». In v. 11 duo sunt, de quibus ambigi possit : quid sibi velint עֹלָם et מִבְּלִי. Prius in Vulg. Hier. vertit « mundum », in commentario similiter « saeculum ». Alteram vocem cum אֲשֶׁר reddit « ut ». Sed עוֹלָם nullo S. Scripturae loco mundum vel saeculum, sed vel aeternitatem vel perpetuitatem saeculorum significat; illa notio sero apud Hebraeos increbruit. Recte LXX αἰῶνα, quod est tempus vel finitum vel infinitum, etsi hoc quoque in mundi significationem transiit. Deinde מִבְּלִי אֲשֶׁר est « a defectu quod », « a quo defectu » et causam designat, ob quam aliquid deficiat, qua aliquid prohibeatur; non consilium, quo aliquid fiat vel sit, cf. Deut. 9,28, Ies. 5,13, Thren. 1,4, et *repetita* sine mutatione sententiae *negatione* Ex. 14,11; 2 Reg. 1,16. Potest sane ipsa vis מִן particulae evanescere, per se sola posita, nulla addita negatione (בְּלִי), sed addita, quomodo explicabitur *duplex* negatio? Itaque locus ita verti debet : « Deus dedit perpetuitatem in mentes eorum, eo quod non inveniet quisquam... » Et aptissima sententia est; etenim homo eo ipso, quod penetrare et penitus cognoscere perpetuum mundi cursum non potest, inducitur in aeternitatis et infinitatis cognitionem, i. e. de Deo recordari cogitur, sua ipsius apprehensa ignorantia rerum naturalium. Ideo sequitur vv. 14 et 15 declaratio eius perpetuitatis, quam Deus in immutabili naturae ordine obiecit cognitioni conatibus-

(1) *Mot.* quidem non agnoscit certum exemplorum ordinem : « L'auteur s'ingénue, semble-t-il, à mélanger dans son énumération les faits importants et insignifiants de la vie humaine, comme naître et mourir, coudre et découdre... pour montrer que la direction divine atteint la vie humaine dans sa totalité absolue, les détails les plus minimes aussi bien que les événements les plus importants ».

que hominum. Quam tamen explicationem scriptor quasi antevertit, statim vv. 12 et 13 concludens illud ultimum, quo tota tendit disputatio : moderari oportere studia nostra omnia et in hac moderatione magnam quandam sitam esse sapientiam, magnum Dei donum. V. 12 « Et cognovi, quod non esset melius nisi laetari et facere bene in vita sua »; v. 13 « Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est »; v. 14 « Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum; non possumus eis quidquam addere nec auferre, quae fecit Deus, ut timeatur »; v. 15 « Quod factum est, ipsum permanet; quae futura sunt, iam fuerunt; et Deus instaurat, quod abiit. »

Enarratio copiosior. Institui novam 3,1 sqq. argumentationem de vanitate rerum mundanarum non pauci affirmarunt. *Thaum.* omnia esse in mundo inter se maxime *contraria* dicit et sub potestate quodammodo *maligni spiritus* posita, qui Dei opus conetur evertere; proinde abstinendum esse inanibus laboribus. Res omnes *fluxas caducasque* esse *Hier.* intellexit : « Incertum et fluctuantem statum conditionis humanae in superioribus docuit; nunc vult illud ostendere, omnia sibi in mundo esse contraria et nihil stare perpetuum, eorum dumtaxat, quae sub coelo sunt et intra tempus, quia ceterae substantiae spirituales nec coelo nec tempore continentur ». Fuerunt etiam, qui *studiorum humanorum* describi inconstantiam opinarentur; modo enim haec, modo illa agi, quia elapsa sui temporis opportunitate universa taedium crearent et fastidium. Sic e recentioribus *Gr.* censet, qui superiora omnia « praeludium » vocat subtilioris disputationis de hominis in agendo mutabilitate.

Sed tempora illa proponuntur a *Deo* praestituta, ut ex vv. 2. 10. 11. 14 cognoscitur; itaque nihil ipsa vanitatis prae se ferunt, sed multum « pulchritudinis » (v. 11 hebr.) nec debent dici vitiose mutabilia atque inter se contraria. Nam etsi omnes res creatae vitio laborant *quodammodo,* quatenus finitae sunt et imperfectae et fragiles, tamen huic ipsi loco, quo earum laudatur pulchritudo, absolutio, perpetuitas constantiaque, vv. 11. 14. 15, alienum est, tempora illa non laudari. Saltem in ipsa mutabilitate bonitas et admirabilitas praedicari oportuit, ut *Hugo* facit *Vict. :* « Tempus », inquit, « habent omnia certum et determinatum, quando incipiant et quando finiantur; sive etiam, quamdiu subsistant et quando subsistant singula, ut nihil praeter rationem sit; et prudens animus sic se et temporibus et temporalibus aptare studeat, ut et in iis, quae transeunt, quasi permanentibus fiduciam suam non constituat, et in iis, quae bene ordinata sunt, contra dispositionem Creatoris murmurare non praesumat. In omni autem eventu

veris et permanentibus bonis se conformans, ita rerum mutabilium varietatem despiciat, ut licet unaquaque re pro tempore utatur, dum praesens est, numquam tamen in eius transitu animum a statu suo declinare permittat. Omnia enim suo tempore bene utenti bona sunt, et tamen universa, quae mutabilitati subiacent, licet in miseria qualemcumque consolationem praebeant, felicitatem tamen conferre non possunt ». Quamquam nemini obscurum est, quam non conveniat versui 14, quod ita ille premit mutabilitatem; immo vero quandam aeternitatem et infinitatem Ecclesiastes per exaggerationem tribuit iis rebus, quas interire vel minui (velut solem, ventum, mare) nemo unquam vidit, quarum naturas atque ordinem capere ac perspicere homo non potest. Confer etiam paullo ante v. 11 et in primo capite vv. 4 sqq. et 8 sqq. Sequitur, ut, quicunque *rerum* vanitatem a scriptore ostendi voluerint, prorsus erraverint, nec de ea ullum verbum scriptor intulit, ut fecit toties ante et hoc loco (vv. 9. 10. 14), *ubicumque de humanis operibus loqui coepit.* Sed ne hoc quidem ipsum, ad hunc locum praecipue et proprie pertinet; quare vocem vanitatis non repetiit. Praeter cetera enim demonstrare conatur, *quam firmiter ille ordo constet,* quem a Deo praestitutum homo frustra studeat perrumpere : Perspexi, quidquid faciat Deus, hoc manere in perpetuum, cui nec possit addi nec possit detrahi quidquam; fecit autem Deus, ut timorem sui iniiceret eis (v. 14). Altero deinde loco propositum est scriptori, ut ad *moderationem,* i. e. ad servanda eadem illa tempora adhortetur. Recte igitur supra *Hugo* iubet « aptare nos temporibus et temporalibus et in iis, quae bene ordinata sunt, contra dispositionem Creatoris non murmurare ». Porro ad illustranda illa : « Simul infinitae aetatis admonuit animos eorum » (v. 11 hebr.) haec eiusdem Hugonis valent, cum coelum dicit perpetuo immutatum persistere (ut Ecclesiastes *omnia* Dei opera) : « Aspice coelum. Quasi moveri videtur, et mutari non videtur. Sed mutantur, quae *sub* coelo sunt, et inde omnis motus origo est, ubi mutabilitas nulla est. Ideo transeunt universa sub coelo, quia *in* coelo cuncta consistunt. Et ipsa, quae transeunt, esse suum metiuntur ex ipsis, quae subsistunt, quia non esset certa subsistentia transeuntium, si subsistentium status non esset perpetuus ». Specie enim et adumbratione quadam aeterni et infiniti, impressa rebus a Deo creatis, de vera aeternitate et infinitate admonemur. Sed hoc quidem admirationis videtur esse; ipse autem Sapiens etiam ad *timorem* Dei rerum contemplationem refert (v. 14). Et optime id quidem ei severitati et quasi tristitiae congruit, qua toto loco dicit. Qualis igitur ille timor est, quo Dei opera speculantes afficimur? Timor est *maiestatis,* qua tamquam opprimimur, cum illa

nostris operibus comparare coepimus; timor etiam *disciplinae*, qua constringi a Deo videmur tot vinculis aliquando durissimis; timor denique *iustitiae*, quia et e peccato fluxisse disciplinae necessitatem recordamur et, quam misera sit praesens nostra conditio, Deo peccatum ulciscente, sentimus.

Recte ergo quidam illum usum bonorum caducorum, de quo extremo capite secundo est disputatum, hic suis terminis circumscribi dicunt : oportere enim modum servari et temporum captari opportunitatem; nam omnia suum habere tempus, ut risum, ita fletum, ut bellum, ita pacem. Quamquam ea doctrina non ipsa temporum enumeratione continetur, sed ex ea derivanda demum est; ipsa enim tempora non humanarum rerum mensurae quaedam, sed divinorum operum modi sunt, nec quid libere agendum sit, designant, sed quid necessario fiat, determinant. E qua necessitate *consequitur*, ut homo suis actionibus modum debeat adhibere, ordini divino non contrarium, ut refraenentur eae cupiditates, quae altius, quam Deo sit placitum, evolent. Quod quoniam non intellexerat ipse Ecclesiastes tum, cum erraret, necesse fuit errorum prius facere mentionem (vv. 9-11), deinde id concludit, quod intendit (vv. 12. 13 cf. 2,24 sqq.); sed rursum ponit, quod huius capitis est proprium argumentum (vv. 14. 15) : in firmitate ordinis a Deo constituti et causam contineri, cur in vanum recidant studia immoderata hominum, et rationem, qua optime persuadeatur modestia Deique reverentia. Quapropter *novi* nihil hoc toto loco proponitur, sed instar *oratoriae recapitulationis* et confirmationis ea, quae vel primo vel secundo capite explicata sunt, repetuntur. Nova incipitur disputatio a nova vanitate versu demum 16 : « Ac porro vidi sub sole ». Hoc unum dare non recusamus, illam recapitulationem quodammodo pro fundamento esse *potuisse* reliquae tractationi ut prooemium toti libro; sed non est ea conformatio versuum 9-15, ut apte praemittantur novae argumentationi, nec haec eo modo, quo fit v. 16, incipi poterat; contra omnia quam optime se habent, si 3, 1-15 quandam perorationem dixeris primae partis huius libri. Quod autem ad capitum divisionem attinet, ea sero orta est nec omnino satis congruit rerum dispositioni; velut iam supra 1,12-18 prima particula argumentationis proponebatur, quae potuerat multo aptius a prooemio separari et capiti secundo adiungi. Neque obiici debet, post c. 2 subito abrumpi orationis continuationem, ut ad novum aliquid transiri evidens sit. Nam solet non absimilis esse in aliqua oratione transitio ad perorationem; deinde non est tam subita transitio, quam videri cuipiam forsitan possit. Etenim 2,26 erat dictum : *Deum* verae sapientiae et scientiae et laetitiae *solum* esse

largitorem eumque ei favere, qui coleret pietatem. Sed ista sententia (praesertim cum impiorum vel cupidorum labores solis prodesse piis affirmetur), non modo admittit, verum etiam desiderat uberiorem explicationem. Affertur aptissima, proposito illo ordine fixo ac determinato, quo Deus efficit, ut in cassum recidant omnes immoderati cupidorum conatus (3,9. 10. 14) et solis modestis contingat beata vita (ib. 12. 13). Sed haec explicatio recapitulatio dicenda est, quia iam prooemio et reliqua parte disputationis tota continebatur, quamquam nemo dixerit eam esse supervacaneam atque inutilem.

Quanti autem momenti sit sententiam scriptoris contextumque orationis cognoscere, fiet manifestum quorundam interpretatione vv. 1-8. Allegorias moralesque sententias quaerunt, ubi nullae sunt. Velut *Hahn* ita enarrat : « Nihil est, quod non *homines* aliquo tempore assumant agantque, ut a *peccato* se expediant atque liberent... Verba זְמַן et עֵת non significant nisi tempora ab homine delecta, ab homine praefinita, ut haec sit versus illius sententia : nihil, quod possit fieri, esse, cuius faciendi non aliquando ei videatur esse tempus, nec ullum esse negotium sub coelo, cuius suscipiendi exsequendique non aliquando captet occasionem... Quot res suscipiantur ab hominibus, ut illud assequantur [i. e. ut a peccato solvantur], versibus 2-8 singulatim notatur ». Iam extremo capite secundo Hahn dixit significari, « ad consequendam laetitiam requiri studium sui a peccato liberandi », quia peccatori non obtingeret laetitia; peccatum autem intelligit *originale*, de quo nihil illo loco, immo intelligendum erat peccatum immoderatae cupiditatis. Porro huius capitis vv. 14-15 ita explicat : *aliquando* Deum ad eam perfectionem adducturum hominem, ut nihil esse possit perfectius, et ad id in hac vita praeparari eos, qui Deum timeant (v. 14); interim in hac terra nihil novi facere, i. e. nihil ad peccati immunitatem proficere homines (v. 15). Sed quam contortis interpretationibus opus sit, ut verba aliquo modo illi opinioni videantur congruere, intellige ex v. 12, quem vertit : « Perspexi non esse inter eos vitam beatam; nam si quis voluerit laetari (כִּי־אִם לְשַׂמֵּחַ!), eum oportet bene facere in vita sua » (וְלַעֲשׂוֹת טוֹב בְּחַיָּיו!), et ex v. 14 : « Perspexi, omnem hominem, quem faciat Deus, qui sit aeternitatis [i. e. ingressus in aeternitatem!], ad eum nihil posse addi... » Incredibile est, quo usque ille divexet laceretque verba, ut suam tueatur de peccato originali sententiam. Qua in re recte sentit, e peccato primo illam miseriam manasse, quam lamentatur Ecclesiastes, et ab ipso etiam indidem derivari (cf. 7,30); errat, cum id passim atque adeo toto libro significari arbitratur.

Hengst. omnia tempora ad populi electi res secundas adversasque pertinere opinatus est, ut *nasci* sit a Deo eligi atque assumi, *mori* puniri atque abiici, *plantari* felicitate donari, *evelli* ea privari, atque ita porro cetera ad bonam malamque fortunam Hebraeorum transferuntur. Similia in *Midr.* (post v. 8) dicuntur, fuitque haec interpretatio communis Iudaeorum; ipse iam *Hier.* « Hebraei », inquit, « omne hoc, quod de contrarietate temporum scriptum est, usque ad illum locum, in quo ait : Tempus belli et tempus pacis-super Israel intelligunt... Tempus fuit generandi et plantandi Israelem, tempus moriendi et ducendi in captivitatem, tempus occidendi eos in Aegypto et tempus de Aegypto liberandi, tempus destruendi templi sub Nabuchodonosor et tempus aedificandi sub Dario... » Sed haec omnia quomodo in verba disputationemque scriptoris quadrent, frustra quaeras. Quamquam nisi illam,

quam diximus, gravissimam sententiam verbis subiicias, inania certe pleraque videntur, nisi transferantur ad sententiam mysticam.

Ipse *Hier.* itemque *Nyss.* et *Olymp.*, vix attingentes propriam vim verborum, moralem addunt religiosamque explicationem. « Nulli dubium », inquit ille, « quod et ortus et interitus hominum Deo notus sit et finitus [apud Alcuinum : praefinitus] et idipsum esse parere, quod plantare, mori et, quod plantatum est, evellere. Sed quia in Isaia legimus : A timore tuo, Domine concepimus et parturivimus et peperimus — hoc dicendum est, quod perfecto viro partus iste, qui de timore natus est, cum Deum amare coeperit, moritur. Perfecta quippe dilectio foras mittit timorem... Tempus destruendi et tempus aedificandi. Non possumus aedificare bona, nisi prius destruxerimus mala. Idcirco sic Ieremiae verbum a Deo datum est, ut ante eradicaret et suffoderet et perderet, et postea aedificaret atque plantaret... » Similia alteri duo illi. Quae omnia ut pie meditari licet, sic ne indirecte quidem verbis contineri fatendum est. Ut nihil aliud afferam : quomodo vv. 9 et 10 *vanus* dici potest labor hominum, cum in illius generis laboribus multi *utilissime* versati sint et versentur? Ergo aut ad hominem auctorem illa tempora non spectant omnino, aut opera *inutilia* intelliguntur, in quibus frustra desudet. — Accuratius *Hugo Vict.* primum ipsa verba expendit, quidque ad institutam argumentationem valeant, demonstrat (hom. 13 et 14); deinde quam late pateat in vitis hominum fatisque populorum illa temporum varietas, explicat (hom. 15); denique proponit « spiritualem intelligentiam eorum, quae de tempore dicta sunt ». Primum exemplo illustro : « Non in voluntate hominis tempus est omni rei sub coelo, sed in arbitrio Conditoris, quoniam omni rei sub coelo tempus est, cum vult Deus, etiamsi homo, cum tempus est, non vult, quod vult Deus. Propterea quae facit Deus, facit semper, cum tempus est; quae vero facit homo, non semper, cum tempus est, facit, cum vel ignorantia, quod rectum est, nescit, vel voluntate prava appetit, quod est inordinatum... Aliud est ergo tempus, quod unicuique rei per dispositionem Conditoris tribuitur, aliud quod praesumptione humana contra dispositionem Conditoris usurpatur ». Praeclare vero; nisi quod saepe illud suum repetit : demonstrari etiam rerum omnium *mutabilitatem*; immo vero ex immutabilitate ordinis a Deo constituta vel, si placet, ex ipsius varietatis constantia consequitur, ut vani fiant conatus omnes hominis male ordinati. Alterius explicationis exemplum sit : « Tempus destruendi et tempus aedificandi. Quanta a principio aedificaverunt amatores huius saeculi... laboraverunt labore gravi in operibus suis, ut starent post ipsos monumenta iactantiae illorum, et invaluerunt usque ad aliquid, magna industriae suae signa posteris relinquentes... Ingemiscimus super eos, quia cum essent ipsi homines ad aeternitatem conditi, vana dilexerunt, et evanuerunt, quia vani facti sunt in ipsis. Perierunt enim ipsi, et post ipsos opera eorum ceciderunt; et successerunt alii et fecerunt ipsi quoque opera magna, et abierunt post haec in nihilum, et destructa sunt omnia, quae fecerant, pariter cum ipsis. Et iterum alii surrexerunt et aedificaverunt et non intellexerunt, ubi prior esset generatio et opera eius, ut viderent vanitatem, quae est sub sole. Et permisit eos Deus frustra laborare, ut aedificarent peritura, ut intelligat homo vanitatem suam. » Nec minus facunde idem reconditam sublimemque sententiam enarrat, quam tamen, quia non ita congrue ex ipsis verbis exprimitur, omittamus.

Nudam verborum vim breviter, ut saepe solet, Thaum. reddit.

Explicemus paullo accuratius singula. V. 1 vocem עת apte Graeci reddiderunt καιρόν, i. e. opportunitatem s. aptam occasionem, *suum* cuiusque rei

tempus, cf. בְּעִתּוֹ v. 11. Voce autem altera temporis Nyssen. *modum*, mensuram, symmetriam quandam indicari censuit : Νοητέον δὲ ἀντὶ τοῦ χρόνου τὸ μέτρον, διότι παντὶ τῶν γινομένων συμπαρατείνεται χρόνος. Ex modo autem et opportunitate iudicari rerum *pulchritudinem* dicit. Rectissime, ob eamque ipsam causam censendus est Ecclesiastes vocabulo עֵת illud זְמַן addidisse, in quo est vis ordinandi et definiendi; iunxit autem duo verba sic, ut nullum aliud interponeret, propterea quod unum altero magis definiri voluit : tempus omnino certum ac determinatum. — Vocabulo חֵפֶץ item definitur כֹּל; non enim ad hunc locum refert dicere, omni rei creatae praestitutum esse tempus; de iis solis agitur, ad quas fertur amor, studium, affectio humana. Atque haec fortasse causa aliqua est, cur « pariendi » tempus dictum sit, non « nascendi » et cetera deinceps omnia active enuntiata sint; etsi enim significatio potius dici neutra potest, i. e. talis, ut *eventus* indicetur, tamen ad activam propius quam ad passivam accedit. Cf. Ier. 25,34 : « Completi sunt dies vestri, ut interficiamini », ubi hebr. « ad interficiendum, i. e. ut interficiant vos », nervosius dictum est; Ecclesiastes autem certe *actiones* potius, quam passiones enumerare voluit; nihil enim attulit, in quod non vere ferri possit חֵפֶץ i. e. voluntas humana, vel perturbando, quantum in ipsa est, ordinem Dei, vel saltem improbando ac reluctando. Non satis recte plerique statuunt, חֵפֶץ nihil esse nisi « rem », quemadmodum sero usurpari coeptum sit; sed cf. v. 17, ubi manifesto actio *moralis* intelligitur : « Dixi ego mecum ipse : Iustum et impium iudicabit Deus; nam tempus omni studio actionique tunc erit ». Item 5,7 vetamur, si pervagari impietatem videamus, de huiusmodi « agendi libidine » mirari; de 8,6 v. infra. Eadem vis vocis est Iob 31,16 : « Si prohibui a desiderio pauperes », i. e. non a re (חֵפֶץ) simpliciter, sed a re desiderata et expetita. Vertere possis uno verbo *causam* Is. 53,10, *curam* Iob 21,21, malum studium s. *cupiditatem* Is. 58,3. 13. Ceteris locis (Eccl. 5,3; 12,1. 10) communior subest sententia *delectationis;* sed nusquam non agnoscendus affectus aliquis voluntatis. Falso *Ges.* vertit 3,1 : « Omnis *res* suum habet tempus, i. e. *caduca* est ». Recte *Wr.* « purpose », i. e. propositum, Cast. « tendenza », i. e. studium explicant.

V. 2. Enumeratio in codicibus ita *symmetrice* distincta invenitur, ut singula exempla separatim atque vox temporis eodem semper versuum loco scripta sint. In ipsis sane verbis quaedam etiam grammatica aequalitas est : et in vocalibus et in forma infinitiva et in praepositione לְ repetita; tantummodo utriusque seriei finis (v. 4 et v. 8) omisso לְ notatur; priore loco infinitivus tamen servatur (cf. עֵת לֶדֶת Iob. 39,1), altero etiam a forma verbi ad *substantivum* transitur, in quibus ingeniosi scriptoris artificium agnoscas. Itaque fallitur *Del.*, cum v. 2 טַעַת pro נִטַּע seriori consuetudini tribuit; immo vero propter similitudinem לֶדֶת positum rectius dicitur. —

Hoc ipsum לֵדֶת de utroque parente usurpari ut τεκεῖν (LXX) et « gignere » recte notat *Wr.* additque a *matura* hominis aetate incipi enumerationem eorum, quae in vita contingere solcant. Bene congruit in altera serie primo loco domicilii (proprii) locatio, quae eodem tempore fieri solet. Atque haec quoque ratio iis opponi potest, qui passive vertunt « nasci » (ut *Ew.*, *Ginsb.*, *Elst.*, *Ren.*, *Cast.*, *Del.*).

V. 3 Hitzig הָרֹג vult esse « ferire », item *Ab. Ezr.*, *Cast.*, ut respondeat « sanationi »; sed id non est necesse et linguae consuetudini repugnat; nec de iusta tantum nece, quod multi volunt, cogitari debet; *omnes* enim casus fatales intelligendi sunt, ut omnem vitam humanam complectantur.

In v. 5 summa varietas opinionum est nec certi quidquam statui potest. Nam fateor, שַׁלֵּךְ אַבְנִים de iaciendis ponendisque lapidibus terminalibus nusquam usurpatum legi. Sed cum non toti loco congruant ceterae explicationes, ea, quam supra posui, mihi multo videtur probabilior. *Fuerst* etiam, ubi affert nomina propria locorum, quae ab אֶבֶן sumpta sunt, sua sponte notavit, fuisse usurpatos etiam ab Hebraeis lapides terminales; certe igitur longe arcessita nostra explicatio non est. In gentibus nomadibus, saepe sedem mutantibus, facile mos induci poterat, ut *proiiciendis colligendisque* terminis singulorum domicilia ad tempus occupata discernerentur, postea autem, etsi de ponendis terminis transferendisque non ita apte diceretur שַׁלֵּךְ et כָּנַס, tamen eadem verba retinerentur. Congruere certe debet cum explicatione prioris incisi alterum eiusdem versus; iam vero, sive id de coniugum amore sive de propinquorum amicorumve caritate accipias, de *vita familiari* est intelligendum. Accedit quod omisso לֹ in altera parte quarti versus sine dubio significatur, *novam* versu quinto incipi seriem exemplorum, nisi velis turpiter alucinatum esse scriptorem; quid autem veri similius, quam altera serie privatam vitam, altera consuetudinem cum aliis describi, praesertim cum cetera optime congruant (v. p. 154). *Rosenm. omnis* generis aedificationem et destructionem intelligit; item, ut videtur, *Ren.*: « Temps d'assembler les blocs, temps de les disperser »; similiter *Gr.* disiectionem (שַׁלֵּךְ) et compositionem (*inversa* verborum notione) interpretatur, dicitque supra v. 3 de sola circumseptione possessionum, hic de domorum urbiumque exstructione agi. Sed v. 3, nisi violenter interpretari velis, omnis aedificatio comprehenditur. Deinde *Gr.* non explicat, cur 4^{b} omissum sit לֹ, quod quidem ita singulare est, ut explicandum omnino sit; quodsi forte ipse quoque hic incipere velit descriptionem eius vitae, quae in societate humana agitur, primum quidem ad nostram explicationem proxime accedat; sed tamen alia manet difficultas, quod v. 5 initium negative accipiendum est de domorum destructione, cum altera pars dimidia incipiat positive. Id autem et per se mirum est in nova serie (ut si supra v. 2 prius positum esset tempus moriendi), et discrepat a ceteris versibus, quorum partes dimidiatae eodem semper modo, i. e.

aut positive aut negative incipiant; in solo ultimo versu ordo mutatus est ob rationem propriam (v. p. 155). — *Hengst.* de templi Salomonici aedificatione et destructione interpretatur; *Hahn* de abiiciendis lapidibus pretiosis, i. e. bonis huius terrae, et comparandis opibus coelestibus, alii de aedificatione domus spiritualis, etc. — Longe aliam viam ingressi *Elst.*, *Hitz.*, *Del.*, *Wr.*, allatis locis 4 Reg. 3,19. 25, volunt coniici lapides in hostium agros et colligi in agris propriis purgandis; quae quoniam hostilitatis et amicitiae signa sint, potuisse alia similia adiungi proximo exemplo. Quodsi haec interpretatio admittitur, quae certe sua difficultate non caret, illud manet maximum incommodum, quod de amicitia et odio, de bello et pace v. 8 demum agitur. Deinde cur ante (v. 4) de luctu et laetitia, post (v. 6) de conquisitione et amissione bonorum exponitur, quae cum illo medio versu non profecto optime congruunt? Nec omissio לְ v. 4 ullo modo explicatur, et mirandum est, versum 5 incipere a negativo destruendi exemplo. — Apud *Hier.* quidam, itemque *Nyss.* proprie de scelestorum hominum lapidatione volunt dici « tempus iaciendi lapides ».

Quae sunt de complexibus, ea *Thaum.*, *Olymp.*, *Hier.*, e recentioribus interpretibus multi de solo coniugum amore accipiunt, paullo amplius *Hugo Vict.*, *Del.*, alii; sed recte *Wr.* negat « de feminarum complexu proprie agi, sed intelligi generatim caritatem illam, cum homines amicitia coniuncti inter se complectantur », nisi quod de propinquis potissimum et affinibus dictum existimo, ut cum priore parte v. 7 melius conveniat, et quia de amore generatim v. 8 demum dicitur.

In v. 6 *Del.*, *Wr.*, *Zoeckl.* אֲבַד intelligunt « amittere », quae significatio in sacris libris nusquam invenitur, sed postea in consuetudinem venit; *Vaih.* et alii « desperando dimittere ». At standum est antiqua vi vocis, qua usurpatam videmus 7,7 (8), ut sit « perdere », nec id est idem, quod « abiicere » in proximo exemplo; *hoc* tum dicitur, cum sua quispiam consulto perdit, *illud* etiam, cum aliena. Errant autem, qui tempus quaerendi et tempus perdendi s. dissipandi necessario de eodem obiecto enuntiari arbitrantur, ut אַבֵּד (nisi significet « amittere ») idem sit, quod הַשְׁלִיךְ. Nam *eventus* generatim proponitur : « fit comparatio, fit dissipatio », deinde « cernitur conservatio, cernitur abiectio ». Similiter subiecta verborum diversa sunt v. 2^a et v. 3^a.

V. 7 קָרוֹעַ omnes fere de vestium laceratione et luctu interpretantur; deinde consutionem volunt significare reditum ad laetitiam : *Elst.*, *Zoeckl.*, *Del.*, *Wr.*, alii. Iidem in eandem sententiam explicant silentium et colloquutionem. Sed haec manifesta esset repetitio v. 4 et ordinis perturbatio. Placet igitur de contrahenda dissolvendaque necessitudine et societate metaphoram accipere; congruit, quod de silentio et colloquiis adiungitur. « Qui scindit », inquit *Hugo Vict.*, « unita dividit; qui autem consuit, divisa et separata coniungit. Omnia haec in vita hominum, quousque mutabilitati subiacet, sine cessatione agi iste prospexerat : in qua *societas* humanae conversationis nunc, quia utilitatis aliquid conferre videtur, ap-

petenda est, nunc vero, quia saepe eadem detrimenta adducit, fugienda ». Eodem proxime accedit *Olymp.*

De v. 9 audiamus *Hugonis* praeclaram explicationem : « Quid amplius habet, quam bellum et pacem, dilectionem et odium, et universa alia, quae temporum proventus rota suae volubilitatis educit? Non ergo amplius habet de labore suo quam bellum et pacem, quoniam hoc labore suo non potest, ut habeat solam pacem. Igitur nec labore suo pacem habet, sicut voluntate sua bellum non habet. Omnia enim nutum sequuntur *dispositionis supernae*, neque arbitrio humano temporum momenta subduntur, ut hoc vel illud eveniat, sed *patitur legem* homo in omnibus, sive volens ad meritum, sive nolens ad tormentum ». Ergo ad omnia contraria e manu Dei acceptanda homo paratus esse debet; pati legem debet et inutili abstinere labore, qui Deo non probetur, « quia iusta », inquit idem, « Artificis moderatio sic cuncta in aequitate disposuit, ut omne, quod sine eius cooperatione nititur, universitatis ordinem deserens, ad non-esse potius moveatur ». Et ex hac Artificis suprema definitione immoderatae cupiditatis nascitur poena (עִנְיָן, v. 10). Quae bene describitur ab *Hengst.* et *Mot.* : « sollicitudine inutili cruciari, labore confici et quasi exedi, semper velle, quae fieri non possint, *quoniam nihil aliter, atque a Deo fixum decretumque est, evenit* ».

In v. 11 multi, ut *S. Hier.*, vertunt : « *mundum* dedit in cordibus eorum ». Ita *Syr., Raschi, Ew., Elst., Umbr., Cast.* Alii prope accedentes *amorem mundi* s. cogitationem mundanam intelligunt, ut *Midr., Ges., Knob.* Plerique censent, etiam αἰῶνα apud LXX idem valere. Sed hoc ultimum sine causa dicitur; nam αἰών est « aevum », et utrumque de tempore diuturno aut de aeternitate usurpatur. *Nyss.* atque *Olymp.* de tempore vitae huius intelligunt, etsi simul complectuntur res *inter hoc tempus* factas a Deo. Rectius igitur secundum horum opinionem « saeculum » vertas, quae vox ab illa temporis ad rerum mundanarum significationem paullatim deducta est. Sed ita accepisse LXX interpretes, admodum incertum est. Item nullum argumentum est, ab ullo scriptore sacro עוֹלָם sic esse positum, ut « mundum » valeret; *posteriores* Iudaei sane fecerunt. Ipse Eccles. antiquam servavit notionem ceteris locis omnibus : 1,4. 10; 2,16; 3,14; 9,6; 12,5. Et certe, si עוֹלָם esset idem, quod הַכֹּל ab initio versus, גַּם iungendum fuit cum נָתַן in hunc modum : « dedit quoque mundum » non : « mundum quoque dedit ». Sed maius est, quod versu 14, ut prorsus censendum est, explicatur versus 11; sequitur, ut utroque loco עוֹלָם eodem modo explicandum videatur. Nec id difficile est; nam illic dicitur : Deum in *perpetuum* et quasi *infinitum* fecisse opera sua in mundo, idque ad eruendum monendumque hominem, qui nec addere eius operibus nec detrahere quidquam possit. Tota haec sententia etiam v. 11 continetur, si עוֹלָם interpretamur tempus sempiternum et quasi infinitum : Deus omnia fecit pulcherrima, atque etiam aeternitatis notionem posuit in animis hominum,

propterea quod opera divina ab initio ad finem perspicere non possunt. A qua cogitatione Eccles. statim a principio orsus est, cum de eodem ordine mundi a Deo constituto loqueretur : Terra in aeternum stat (1,4), et : Non valet homo ad eloquendum... (1,8). Eandem interpretationem sequuntur *Del.*, *Wr.*, *Zoeckl.*, *Hahn;* inter veteres Latinos *Caiet.*, *Pagninus*, *David de Pomis;* cf. Pin. p. 346. S. *Hier.* in commentario v. 11 ita enarrat : « Dedit quoque Deus mundum [attende, quomodo ipse verba collocaverit, ac si scriptum sit גַּם נָתַן] ad *inhabitandum* hominibus, ut *fruantur varietatibus temporum* et non quaerant de causis rerum naturalium, quomodo creata sint omnia, quare hoc vel illud ab initio mundi usque ad consummationem fecerit crescere, manere, mutari. » Sed ea, quae inclinata scriptura, signavi, *addidit* interpres, quibus omissis non est perspicua sententia; vertit ipse : « et quidem saeculum dedit in *corda* eorum, ut non inveniat... » Magis perspicue in Vulg. posuit : « Mundum tradidit *disputationi* eorum, ut non inveniat... », i. e., opinor : tradidit ad investigandum, *sed ita*, *ut* non... » Hoc ultimum « sed ita, ut non » videtur sane erui posse ex hebr. מִבְּלִי אֲשֶׁר לֹא; deinde בִּלְבָבָם paullo audacius explicavit, ut videtur, « in cogitationem eorum », deinde inflexit ad « disputationem ». Affert aliam explicationem non approbans : « Non me fugit, quod a plerisque in hoc loco dictum sit, quod propterea Deus in praesenti saeculo etiam perversorum dogmātum magistris concesserit occupationem, ne mens hominis otiosa torpesceret, et hoc esse bonum, quod fecerit Deus in tempore suo, et nihilominus nequire eos naturam et rerum scientiam comprehendere ». Simile quidem etiam apud *Olymp.*, sed altero loco idem hoc posuit : Deum dedisse praesentis saeculi *cognitionem,* ceterarum rerum non dedisse. *Nyss.* explicat : omnia, quae fiant in hoc tempore s. saeculo, dedisse Deum hominibus eo consilio, ut ex rebus creatis cognoscerent Creatorem; verum quod iis ipsi homines abutantur, idcirco dici : eo consilio data omnia esse, ne [LXX habent ὅπως μή] homo id, quod fuerit inveniret. Itaque etsi probabilis est Vulg. interpretatio, tamen altera, quam proposuimus, praeferenda videtur. Quod etiam ipsa proprietate vocis מִבְּלִי persuadetur. Presse reddas : « a defectu »; id autem intelligi potest sane : « praeter defectum » et addito אֲשֶׁר לֹא : « excepto quod (ut) non » — « sed ita ut non ». Sicque volunt etiam *Zoeckl.*, *Elst.*, *Ren.*, *Cast.*, *Ew.*, *Knob.*, *Bick.* Sed primum, altera negatio (לֹא) post priorem (בְּלִי) non ita facile explicatur. Differt enim, quod afferunt ex Am. 9,8 : אֶפֶס כִּי לֹא = ad eum *finem*, ut non; differt etiam, quod 1 Reg. 10,21 [aliter 2 Par. 9,20.] post אֵין abundanter additur לֹא, nam ibi non interpositum est אֲשֶׁר, quo impeditur, ne iungantur et quodammodo coalescant בְּלִי et לֹא. Nam vel omisso אֲשֶׁר altera negatio (אֵין) tamen suam vim obtinet Ex. 14,11; 2 Reg. 1,16 : « idcirco quod non ». Est autem haec ipsa *causalis* significatio longe communissima : « propter defectum quod non ». Atque ita efficitur aptissima sententia : « Admonuit eos infiniti temporis

eo ipso defectu, quod non invenient unquam »; nam perpetuitate et quasi infinita quadam perfectione operum divinorum invitamur ad considerandum ipsum aeternum et infinitum. Nihil aliud v. 14 significatur; nec alia ratione ab initio libri 1,4-11 Eccles. usus est, qua hominum cogitationem a rebus caducis ad cœlestia traduceret, nisi contemplatione ordinis perpetui, immobilis, perfecti, quo a Deo condita sunt omnia atque administrantur; id tantum addendum est : hominem repugnantem illi ordini etiam *vanitate* suorum operum, quae ex illius tamen immutabilitate consequitur, quodammodo invitum erudiri. Ceterum מִבְּלִי אֲשֶׁר simpliciter vertunt « ut non » (cum Vulg.) *Del.*, *Ges.*; alii magis ad ὅπως μή LXX interpretum accedunt. Quidam, ut *Hitz.*, *Umbr.*, *Hahn*, *Fuerst*, reddunt : « sine quo ». Nam עִלַּם « scientiam (absconditam) » explicant, nullo in sacris libris exemplo. Contra « ignorantiam » (ab eadem vi primaria « absconditi » ductam) *Gr.*; idemque multo ante dixerant alii, cf. Pin. p. 346.

V. 12 בָּם solet verti « inter eos, in eis », ut 2,24; sed notat *Wr.*, posse intelligi de rebus mundanis : « inter haec omnia ». Nam etsi mirum non est, v. 11 scriptorem a suffixo numeri pluralis transisse ad singularem (בְּלִבָּם — הָאָדָם), tamen in hoc v. 42 satis singulare est, post בָּם rursum positum esse בְּחַיָּיו. Nihilominus uterque locus pari modo videtur esse explicandus, et hoc ultimum suffixum licet accipere quasi de indefinita persona : « Nihil bonum in eis, nisi ut edat aliquis (v. nisi ut edas) », praesertim cum statim addatur כָּל־הָאָדָם, quod quidem nihil est nisi « quilibet homo », nec opus est artificiosa explicatione, quam *Del.* proponit, cf. כָּל־הַפֶּה 1 Reg. 19,18 (tantum ex articulo vis demonstrativa accedit : quilibet *talis* homo). — Illud לַעֲשׂוֹת טוֹב (v. 12) plerique recentiorum prorsus in eam sententiam trahere conantur, ut sit « frui bono », quod alienum sit hoc loco « facere bene » : *Zirk.*, *Knob.*, *Hitz.*, *Del.*, *Mot.*, *Bick.*, alii, eorumque aliqui etiam לִרְאוֹת scribendum censent. Sed id non statim dandum est; nam apte cum moderato usu bonorum probitas aliqua componitur, ut iam extremo secundo capite additum videmus : de homine agi tali, « qui sit bonus in conspectu Dei », et 11,9 mentio iudicii futuri adiungitur cf. infr. « ut timorem iniiceret eis (v. 15). Denique illa verba hebr. constanter hac sententia usurpantur. Itaque retinendam censeo veterum omnium et nonnullorum recentiorum (*Zoeckl.*, *Elst.*, *Ew.*, *Hengst.*) interpretationem. Quodsi necesse iudicetur, illam alteram efficere sententiam, possit forsitan (neglecto accentu masor.) iungi « bonum in vita sua », i. e. « gaudeat homo et id faciat, quod est solum in vita bonum ». Ita *Ab. Ezr.* et *Cast. Mot.* hic, ut 2,24 בָּם vult esse « in potestate eorum » : « Nihil potest homo nisi ».

V. 13 שֶׁיֹּאכַל *Elst.*, *Hahn.*, *Del.*, *Wr.* vertunt « ut edat »; sed non minus apte dixeris : « qui edit » (LXX ὅς), ut structura sit prorsus eadem, quae 5,18. Alii reddunt : « si edat », *Gr.* : quoties edit. *Mot.* pro sua sententia vertit : « Que quiconque mange... le doit *uniquement* à Dieu », ut non com-

mendetur honestus vitae usus, sed enuntietur hominis tantum ad eum consequendum impotentia; sed id male congruit iis, quae modo ad v. 12 dixit, ut mihi quidem videtur.

V. 14 quasi explicatur Eccli. 18,5 sq. : « Non est minuere neque adiicere, nec est invenire magnalia Dei. Cum consummaverit homo, tunc incipiet; et cum quieverit, aporiabitur ». — Pro יִעְשֶׂה *Gr.* praeteritum substituendum censet, ut exhibent LXX, Vulg., Syrus. Quod minime necesse est; nam Deus perpetuo agit idem (v. 15, cf. 1,8 : omnia sunt in labore perpetuo); facilius autem poterant induci interpretes, ut praeterito uterentur, quam aliquis scriba, ut in hebr. poneret pro perfecto imperfectum.

In v. 15 miror, primam partem sic reddi a multis : « Quod factum est, hoc iam dudum est » vel similiter : LXX (τὸ γενόμενον ἤδη ἐστίν), *Vulg.* (quod factum est, ipsum permanet), et recentiores : *Del.* (quod fit, iam dudum est), *Zoeckl.* (quod fuit, nunc quoque est), cf. etiam *Hahn, Elst., Ew. Cast., Wr...* Sed manifesta est haec verborum sententia : « Quod fuit (s. factum est), id fuerat (s. erat) pridem », ut recte *Bick., Gr., Ren.* (le passé a existé dans un passé antérieur). — Deinde נִדְרָף masculine accipitur a plurimis : LXX, *Aq., Symm., Chald., Syr., Raschi, Hengst., Doederl... Hier.* quoque in commentario : « et Deus quaeret eum, qui persecutionem patitur. » Sed idem hoc ipsum *explicat* de rerum reditu in statum priorem atque ita pergit : « Quod graece melius dicitur καὶ ὁ Θεὸς ζητήσει τὸν διωκόμενον » (statuendum certe legisse *Hier.* τὸ διωκ', ut est in cod. Palat.), i. e. *quod* praeteriit, quod expulsum est, quod esse cessavit. Atque hoc deinde posuit in Vulg., cui merito consentiunt *Gr. Ven., Knob., Ew., Hitz., Del.*, alii, ita quidem, ut a *persequendi* notione proficiscantur; proxime accedunt, qui a *sub*sequendi significatione praeteriti notionem derivant : *Ab. Ezr., Cast., Ges., Fuerst, Ginsb.*, alii. — De עָשָׂה שֵׁ cf. Ez. 36,27 : « faciam ut in praeceptis meis ambuletis ». De hoc fructu *moderationis cum timore Dei* praeclare *Hier.* : « Propterea colonus et hospes mundi homo datus est, ut brevi vitae suae fruatur tempore, et spe prolixioris aetatis abscissa, cuncta quae possidet quasi ad alia profecturus aspiciat et, quod potest, bene faciat in vita sua, nec frustra ob congregandas opes cogitationibus torqueatur. Neque se putet plus de suo labore lucrari posse, quam cibum et potum, et si quid de opibus suis in bonis operibus expenderit, hoc solum donum Dei est. Ex quibus non, ut quidam aestimant, ad luxuriam et delicias et ad desperationem secundum illud Isaiae : Manducemus et bibamus, cras enim moriemur — instar animalium provocamur; sed secundum Apostolum : Habentes victum et vestitum, his contenti simus ». Atque his quidem verbis merito hanc pulcherrimam libri partem, quae est instar absoluti cuiusdam tractatus, concludimus.

PARS II.

DE CIVILIS VITAE VANITATE 3,16-7,30.

a) Vanus dolor indignantium et aemulantium 3,16-4,6.

Arg. — A v. 16 novam incipi tractationem et formula « Atque amplius » (s. porro, וְעוֹד) res demonstrat; nam novum *vanitatis* argumentum post 2,12 sqq. non est propositum; deinde non nova, sed iam tractata nervose *repetita* sunt. Hic (3,16) rem omnino discrepantem scriptor sumit considerandam : de malis societatis humanae deque vano *maerore et animi aegritudine*, quae illa saepe consequuntur. Supra de cupiditate disputavit (sciendi, fruendi, magna efficiendi), hic de eo dolore, quem ipse sibi homo parat, si animi affectus internos nescit reprimere. Neque enim minus difficile est patienter *pati*, quam *agere* moderate.

Primo loco occurrit vitium *indignationis*, cum impune saevire iniquitatem contemplati *Dei iudicium* homines acrius efflagitant, et se *casu* regi, non providentia conquesti animi pacem ipsi perdunt (3, 16-22); vel, cum oppressi aliorum iniustitia sortem suam ita deplorant, ut mortem subire malint (4,1-3). Sequitur stulta *aemulatio atque invidia*, qua quidam, dum alterum student omni modo antevertere, animi aegritudinem ipsi sibi comparant (4,4-6). Denique alii, dum fugiunt hominum commercia, ipsa *solitudine* voluntaria miseri fiunt (4,7-4,16), sive avaritia tabescunt (v. 7. 8), sive amicis carent in rebus adversis (vv. 9-12), sive odio hominum in se concitato de statu etiam summae dignitatis deiiciuntur (vv. 13-16).

Percurruntur hic quidem itidem gradus quidam affectuum humanorum male ordinatorum, sed, ut sint aliqua similia, nihilominus totum genus diversum est; non enim hic cura in res *externas* collata, animi vel corporis labor, qui *cupidius susceptus fructu careat*, miseriam homini affert, sed aegritudo morbusque *internus*, quo fit, ut

domestico malo intereat. Nam in aemulo quoque illo (4,4 sqq.) non tam labor attenditur, qui frustra suscipiatur, quam cruciatus voluntarius animi; nec in solitario (4,7 sqq.) tam cupiditas reprehenditur, quam fuga honestae communitatis. Ultima atque intima *causa* miseriae non multum toto genere, sed tamen quibusdam rationibus differt ab ea, de qua prima libri parte actum est. In indignantibus hoc vitii est, quod tempus divini iudicii exspectare nolunt; ergo ordinem « temporum » a Deo constitutum perrumpere hi quoque (ut superiores) conantur. Sed tamen hic agitur de *futuro* potissimum tempore, quod post hanc vitam erit, exspectando, non de eo servando, quod actioni cuilibet praesenti est praefinitum. Aemuli atque invidi bonorum inaequalitatem inter homines tollere volunt. Qui autem a convictu civili se subducunt, ii non minus laedunt ordinem *societatis* humanae a Deo constitutum.

Sed haec omnia partim in ipsa argumentatione, partim gravi amplificatione et peroratione ipse scriptor edisseret 3,16-7, 30; atque eo usque pars secunda libri totius pertinet. Generalis conclusio (doctrinaeque ad vitae usum accommodatio) simillima erit : nihil esse melius homini quam, contemptis huius vitae molestiis quibusdam abiectaque omni vitiosa affectione moderate (pieque) vita frui et auream in omni re mediocritatem servare et in voluntate Dei omnino acquiescere. Differentia porro praecipua est huius partis, si tota comparatur cum priore (1,12-3,15), quod illic privati hominis vitium castigatur, at hic in societate et convictu aliorum positi, deinde quod illic magis se ipse Sapiens reprehendit et tecte ceteros, hic potius aliorum errores proponit vel saltem proponere videtur; v. paullo infra.

Nunc de *prima* particula 3,16-4,6. V. 16 « *Vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iustitiae iniquitatem* »; v. 17 « *Et dixi in corde meo : Iustum et impium iudicabit Deus, et tempus omnis rei tunc* (hebr. : ibi) *erit.* » Praeclare *Hier. :* « Sub sole isto veritatem et iudicium requisivi et vidi etiam inter iudicum ipsa subsellia non veritatem valere, sed munera. Sive aliter : *Arbitratus* sum aliquid iustitiae in praesenti saeculo geri et vel pium pro suo nunc merito recipere vel impium pro suo scelere puniri; et e *contrario reperi*, quam putabam. Vidi enim et iustum multa mala hic perpeti et impium regnare pro scelere. Postea vero cum corde meo colloquens et reputans intellexi, non per partes Deum et singulos nunc iudicare, sed in *futurum tempus reservare iudicium*, ut omnes pariter iudicentur et secundum voluntatem et opera sua *ibi* recipiant. Hoc est enim quod ait : Et tempus omni voluntati et super omne factum ibi, i. e. in iudicio, quando Dominus coeperit iudicare, tunc futura est veritas, *nunc iniu-*

stitia dominatur in mundo ». Inter ea enim, quae *pati* homo in hac vita debet, vix quidquam acrius pungit animum, natura sua et moralem et religiosum, quam iniustitia impune vagans. Ingenitus ac prorsus intimus est nobis sensus iuris atque aequitatis et illa persuasio, suam tribui debere virtuti mercedem, poenam sceleri. Ac scimus, ipso rationis illustrati lumine, mundi esse administratorem Deum ; in hunc igitur videtur refundi querela, nisi vindicem se praestet malorum. Nihilominus, circumspiciens orbem terrarum Ecclesiastes, tyrannos videt et principes et magistratus saepissime libidine et cupiditate ius fasque evertere. Quod erat Salomoni in summo honorum fastigio constituto facillimum cognoscere, nec in exteris modo gentibus, sed in suo etiam populo. Quis enim rex prudens atque aequus non intellectum habet gravissimeque dolet, ne in optimo quidem regno prohiberi posse magnam iniuriarum multitudinem? Ergo non tam, quas ipse *toleraverit* ab aliis illatas iniurias, queritur, sed quas *viderit* et cognoverit (רָאִיתִי) inferri, alieno atque etiam suo nomine lamentatur. Dico « alieno », quia non constat, quae mala *sibi* illata queri possit Salomon ; atqui indignatione, quam reprehendit, acerbius commoveri necesse est eos, qui vi potentium ipsi opprimantur. Ac tamen « suo » nomine loqui licet ei, qui communia mala, tamquam sua sint, luctuose deploret ; id autem prorsus consentaneum fuit in rege eodemque *sapiente,* i. e. rerum humanarum pervestigatore. Iam 2,21 sqq. manifestum fuit, privatam personam communi commutari, atque adeo a v. 12 *omnis* homo sapiens cum omni prudenti comparabatur eratque vv. 18-20 prima persona *potius* assumpta (ut Iob 34,33 et Rom. 7) quam propria.

Bene significat *Hier.,* paullum amplificari posse sententiam v. 16 ; non enim de iudicum tantum sententia s. de iuris violatione agitur, sed in altera parte additur : « Et loco iustitiae s. probitatis (צֶדֶק), ibi iniquitatem ». *Generatim* enim obtineri potestatis locum et dignitatis, non a iustis, sed ab impiis, nec esse « aliquid iustitiae in praesenti saeculo », hoc Ecclesiastes se perspexisse non sine commoti animi exaggeratione dicit. Ergo in mundo iustitia nulla, sed ad divinum iudicium in altera vita futurum omnia scelera differuntur : hoc firmiter secum ipse pronuntiat : Dixi ego... (v. 17), in quo enuntiato tria verba premenda sunt. Primum ultimum prioris incisi *Deus,* deinde initio et in fine secundi incisi : *tempus* et *ibi,* ut haec sententia exsistat : Necesse mihi fuit concludere a *solo* Deo, non ab hominibus vel inter homines, sed ab illo *tum* demum, cum tempus constitutum venerit, et *ibi,* ubi ipse statuerit, verum iustumque de omni re iudicium exspectari oportere. Nunc enim Deus ius reddere innocentibus cunctatur

atque adeo recusare videtur; tempus exspectandum est futuri iudicii. Atqui hoc ipsum durissimum existimat homo, se nunc destitui; et quisquis id attente consideravit, animo commovetur et humanam sortem miseratur. In vetere vero testamento, cum paullo obscurior esset aeterni praemii notitia necdum esset *crucis* mysterium manifestatum, immoderatior etiam indignatio facile poterat excitari. Cuiusmodi vitium in ipso S. Iobo Dominus invenit reprehenditque; quod mirum non est, Salomoni quoque obrepsisse. Quamquam, ut supra diximus, magis nunc Ecclesiastes alienam incipit induere personam, ut ex disputatione de aemulantibus ac solitariis manifesto, opinor, cognoscetur; neque enim verisimile est ullo modo, *his* illum vitiis laborasse. Generosum est autem in rege sapiente, contemplatione tot iniuriarum, quas prohibere non possit, paene eodem, quo de propriis malis, dolore exardescere.

Pergit, sive suo sive alieno nomine, illam expromere indignationem, affectu, ut exspectamus, acri atque incenso et verbis ea exaggeratione superlatis, quae rei tristissimae sit consentanea. Repetit : « Dixi ego mecum ipse ». Quid igitur? V. 18 « *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis* ». Statuisse Deum ait, penitus explorare ac demonstrare hominum fragilitatem ac vanitatem, si ipsi sibi relinquantur (לָהֶם, vel, ut in aliis codicibus iungitur, הֵמָּה לָהֶם). « Demonstrare » dico; ita enim veteres legerunt (לְרָאוֹת). Etsi non minus apte secundum puncta praesentia (לִרְאוֹת) intelligetur : videre. Hoc enim acerbe dicitur, ut Gen. 11,5 : « Descendit Dominus, ut *videret* civitatem et turrim, quam aedificabant filii Adam », continetque irrisionem quandam, illi non dissimilem (Gen. 3,22) : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est! » Deus idcirco relinquit homines sibi ipsis, ut pudore afficiat eorum superbiam, atque ostendat, non ita multo eos in hac vita praestare *bestiis*. Ad reprimendam enim superbiam pertinere omnem huius vitae mortalis miseriam, supra satis cognovimus. « Ob hanc causam », ut est ad verbum in hebr., « mortales ut exploraret Dominus et videret » vel, ut accentibus masor. magis videtur congruere, sententiae fortasse minus : « Mortalium causa, ut exploraret eos Dominus... » Acerbitas ipsa comparationis inter homines et bestias soni etiam aequalitate signatur (בְּהֵמָה הֵמָּה).

Expolitur autem eadem sententia v. 19 « *Idcirco unus interitus est hominum et iumentorum et aequa utriusque conditio; sicut moritur homo, sic et illa moriuntur; similiter spirant omnia et nihil habet homo iumento amplius, cuncta subiacent vanitati* ». Ad verbum priora

ita vertas (in hebr. est stat. abs. מִקְרֶה) : « Casus sunt mortales et casus bestiae et casus idem utrisque (contingit). » Confer illud Solonis apud Herodotum (1,32) : πᾶν ἐστιν ἄνθρωπος συμφορή, i. e. prorsus est homo casus. Nec solum in ceteris a fortunae ludibriis pendet, verum etiam imprimis mors eius est similis bestiarum; una est enim anima s. spiritus s. vita (רוּחַ), nec ullum nunc, si universa simul (terrestria) fata spectantur, magnum apparet discrimen; vana enim sunt humana omnia, ut ex ipsa morte clare perspicitur. Itaque proximo versu rursum tristissimi exitus hominum fit mentio, idque iis verbis, quae in Genesi 3,19 (paullo ante illam irrisionem, de qua dixi) posita videmus : A pulvere sunt omnia et revertuntur in pulverem : v. 20 « *Et omnia pergunt ad unum locum; de terra facta sunt et in terram pariter revertuntur* ». Non fortuito contigisse hanc vocabulorum similitudinem existimandum est, sed meditate quaesitam. Poena enim primi peccati tanta mala in vitam nostram irruerunt, cuius poenae pars magna mors est; itaque hic eius non idcirco potissimum fit mentio, quod in « iudiciis » innocentes saepe etiam capitis condemnantur, sed idcirco ut intelligatur, illam potentium iniustitiam ex peccato primo fluxisse. Et recte huc quasi aberrat meditatio. Sane enim omnis huius peccati poena, cuius pars aliqua praecipua mors est, eodem spectat, ut homo se cognoscat bestiis similem; vere enim quod de divite impio dicitur in Ps. 48 (hebr. 49), hoc generatim de homine peccatore affirmari licet : « Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis... sicut oves in inferno positi sunt; mors depascet eos ».

In tanta commotione affectus, qui contemplatione universae miseriae e primo peccato derivatae excitatur, non est iam mirum, addi hanc dubitationem (v. 21) : « *Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* » An ipsum spiritum hominis scimus ad Deum ascensurum ac beatum fore, spiritum autem bestiae (solum) in ima descensurum? I. e. peccati labe ipsa fortasse mors *animae* inducitur, non ita quidem, ut exstinguatur, sed ut miserior sit animis bestiarum penitus deletis; *generatim* enim Deus minatus erat mortem primis parentibus (Gen. 2,17) : « In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris ». Aberrat igitur longius contemplantis cogitatio, motu animi abrepta, et ubi gravissimam aliquam vanitatem vitae humanae considerare coepit, repente se constitutum putat sub generali illo decreto Dei, peccato poenam indicentis. Atque hoc ita probo : *primum*, commotio animi

quanta sit, ex manifesta totius loci exaggeratione cognosci oportet; conferenda sunt, quae in simillimo argumento paucis versibus post (4,2 sq.) dicuntur; in huiusmodi autem commotione animus longius abripi solet. *Deinde :* mentio ipsa mortis (v. 19) eaque iterum repetita (v. 20) *non aliter* nisi aberratione aliqua ab iniustitia impiorum ad cogitationem primae poenae peccato propositae satis explicatur, praesertim cum similitudo verborum libri Genesis et in irrisione quadam hominis (v. 18) et in verbis extremis v. 20 agnosci debeat. Quae aberratio cogitationis, ut dixi, incipit a v. 19, nam *haec,* quae ponitur, amplificatio comparationis non proprie pertinet ad *impunitatem sceleratorum,* unde profecti sumus (v. 18). Ipsa tamen *probatio* hominis huiusmodi (v. 18) nonne ab initio mundi ob peccatum primum decreta est? Nec enim nova est, sed omni aetate fuit perusitata vexatio iniusta bonorum, ex quo Cain interfecit Abel. Non igitur *temere* huc delabitur oratio. *Tertio :* Cum manifestum sit ex 12,7 aliisque locis et hic ex certa *iudicii* asseveratione, non posse Ecclesiasten dubitanter loqui de animorum beata immortalitate, necesse videtur esse dubitationem v. 21 expressam sic intelligere, ut peccati poena ad interitum corporis et *fortasse* animi etiam mortem (spiritualem) dicatur pertinere. Nam hic immortalitatem non nude significari, sed beatam immortalitatem designari, ipse, opinor, loquendi modus declarat; mors enim simpliciter vocatur *descensus* ad inferos (scheol), cf. Gen. 37,35 ; 44,29 (Deut. 32,22) ; Iob. 11,8... Itaque *ascensus* animi aliud est, quam eius post mortem conservatio; sed quia peccato factum erat, ut et omnium animorum ascensus divinae misericordiae requireret interventum et singulorum in dubium vocaretur salus : apte scriptor beatae immortalitatis dubitationem enuntiat. Quamquam numquam oblivisci debemus, quanta maestitia oppressus *sensum* potius *naturae* eloquatur, quam mentis, fide illustratae, persuasionem. S. *Hier.* in hunc locum ita scribit : « Si autem videtur haec esse distantia, quod spiritus hominis ascendat in coelum et spiritus pecoris descendat in terram, quo istud certo auctore cognovimus?... Hoc autem dicit, non quod animam putet perire cum corpore, vel unum bestiis et homini praeparari locum, sed quod ante adventum Christi omnia ad inferos pariter ducerentur. Unde et Iacob ad inferos descensurum se dicit, et Iob pios et impios in inferno queritur retentari... Et revera antequam paradisi fores Christus cum latrone reseraret, clausa erant coelestia et spiritum pecoris hominisque aequalis vilitas coarctabat. Et licet aliud videretur dissolvi, aliud reservari, tamen non multum intererat perire cum corpore vel inferni tenebris detineri ». Cuius habitationis descriptionem exhibet Iob (cap. 3), simili tristitia

afflictus. Ergo homo, dum *solas* tenebras inferorum, in quibus tum mortui detinebantur, vel peccati poenam *solam* considerabat, beatam piorum sortem non multum attendebat; facit autem affectus praesentis vehementia, ut *unam* quasi faciem rerum, altera omissa, contempletur. Nec vero Ecclesiastes negat beatiorem esse hominum piorum vitam futuram, sed « adiiciendo *quis* », inquit Hier., difficultatem rei (cognoscendae) voluit demonstrare. Pronomen enim « *quis* » in scripturis sanctis non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur, ut ibi : Generationem eius quis enarrabit — et in Ps. 14 : Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? » Quam Hier. rationem etsi probandam non dico (cf. 2,25 secundum ipsius interpretationem), tamen verum est, ideo *hoc* loco usurpari interrogativum, ut ardentis animi dubitatio quaedam exprimatur. Verum, id quod dicere institueram : non facile iste locus explicatur, nisi dicamus, *eam* considerari mortuorum conditionem, quae et quatenus *peccatum originis* consequebatur. Faciliorem infra novamque proponam v. 21 interpretationem.

De reliquo magnam habet etiam gravitatem, quod Ecclesiastae contemplatio magis iam, quam supra, *totius generis humani* post primum peccatum calamitatem complectitur, atque inde intelligitur, cur ardentius etiam, quam antea, inflammetur affectus. Cogit autem tantae miseriae consideratio rursum concludere (22) : nihil esse homini melius, quam animi studere moderationi ac paci; id quod supra illa imagine cibi potusque exprimebatur, quae quid sibi velit, ex huius loci varietate iam nemini potest esse dubium v. 22 « *Et deprehendi nihil esse melius quam laetari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?* » Agnoscat igitur homo, eam esse ex Dei voluntate praesentis vitae conditionem, ut nullum videatur esse ius innocentium, nullus vindex malorum, ut scelesti impune abutantur potestate et instar animalium tractent humiles atque inopes. Neve curiose exquirat futurum Dei iudicium : « quis enim inducat hominem in cognitionem eorum, quae futura sunt posthac », i. e. quando velit Deus dilati iudicii adducere tempus, utrum in hac mundi aetate an multo post, item quantum tempus commorationi tenebricosae mortuorum (in scheol) praefinierit. Igitur vocabulum אַחֲרָיו amplissime accipiendum puto de omni tempore futuro « post hominis mortem » vel potius : « post tempus praesens » s. « post haec » (cf. 9,3, suffixo neutraliter accepto); iudicium enim, ad quod homo tanta impatientia provocat, communiter ipse cernere non sinitur ob eamque causam dicitur « posterius », sed idem saepe tamen aliquo huius mundi tempore contingit ob eamque causam mi-

nus perspicue, quam supra, significat, id aeternitati reservari; supra enim exaggeratius, in hac conclusione accuratius loquitur. Nec vero ullo modo voluit indicare, aliquando etiam cito ad perniciem ruere sceleratos, quia vel haec ipsa cogitatio pacem illam animi perturbatura est; ergo eam oportet omnino excludere, ut animus acquiescat in *Dei* voluntate. Iubet autem hoc loco Ecclesiastes, non *bonis* frui, sed « suis operibus » delectari idcirco fortasse, quod « suum opus agere eoque delectari » melius opponitur illi occupationi qua aliena opera i. e. scelera malorum et Dei vindicis officium exquirimus.

Ab initio *quarti capitis* novum incipi argumentum ex formula transitionis (hebr. : Et verti ego me vidique...) cognoscitur. Supra de *magistratuum* iniuriis atque etiam generatim de dominatione atque impunitate iniquorum agebatur, hic de oppressione et crudelitate *privatorum* tractatur; ibi indignatio proponebatur de tanta *humilitate* et contemptione, qua iusti, quasi omnis iuris honorisque expertes, premuntur, hic vexatione et saevitia *lacrimae* miseris excutiuntur (hebr.) : Ecce tibi fletus vexatorum, nec est qui consoletur eos. Idque repetitur : Ecce vis s. potentia (physica, non tam « potestas » alicuius officii vel dignitatis) a manu (i. e. a latere, a parte) vexantium, nec est, qui consoletur illos. *Vulg.* 4,1 : « *Verti me ad alia, et vidi calumnias, quae sub coelo geruntur, et lacrimas innocentium et neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiae cunctorum auxilio destitutos* ». Sequitur v. 2 « *Et laudavi magis mortuos quam viventes* », v. 3 « *et feliciorem utroque iudicavi, qui necdum natus est nec vidit mala quae sub coelo fiunt* ». Ita hic quoque affectus vehemens inducitur, e quo similiter meditatio maestissima consequitur. Ecclesiastes beatiores se dicit existimasse mortuos, quam vivos (v. 2), immo vero beatissimos eos, qui numquam fuissent (v. 3). In hoc altero certe exaggeratio doloris est, ut in illa Iobi lamentatione, quam paullo supra indicavi (Iob 3,1 sqq.). Nec hic quaerendum est, verene et ex animo maluerit mortuus vel etiam prorsus non esse, quam vivus talia videre; satis est meminisse, animum magno motu, doloris potissimum, concitatum sua sponte ad huiusmodi meditationem devenire. Causa, cur miseri sint viventes, acerbe non alia ponitur, nisi quod « etiamnum (« usque huc », עֲדֶנָה) vivant » (v. 2), quae verba desunt in Vulg. et sane absurde addita essent, nisi dolor animi spectandus esset; ob similem rationem ad « mortuos » additur in hebr. « multo ante », ac si tanto sint beatiores, quo longius absint a praesenti miseria. In v. 3 extremo item insolita verborum abundantia iniuriae veritas atque gravitas inculcatur. Haec minuta ideo noto, ut recordemur, ad recte explicandum hunc librum nunquam negligi oportere

rationes oratorias ac poeticas; quo pertinet inter cetera repetita formula illa « sub sole », qua proprius vanitatis locus designatur et quodammodo etiam causa eius (ex mundi ordine immutabili repetenda, cf. p. 85), pertinet etiam infinitivus absol. initio v. 2, quo actio verbi sola, nulla personae aut temporis definitione, exprimitur, ut paullo ante in hebr. « ecce fletus » gravius dictum est, quam esset « ecce flent ». Cum autem dicitur v. 3 « quod non *vidit*... », id intimum *contemplantis* dolorem designat; e quo de hominis *patientis* ingenti luctu coniectura facienda est, nec mirum est, hunc « lacrimari ». Itaque in « vidit » pulcherrima *emphasis* figura est. Est autem proprium huius libri, quod non tam in descriptione ipsarum rerum humanarum versatur, quam in Sapientis de illis consideratione; cf. ea, quae de 1,13-18 dixi p. 100.

Argumentum versuum 1-3 propria caret conclusione, quia simile adiungitur, et utrumque v. 6 concludetur. Iniusta *aemulatio* atque invidia aliquo modo genere iniquae vexationis comprehenditur; spectant enim ad deprimendum atque supplantandum alterum. Sed hoc differt, quod huiusmodi homines *magis sibi*, quam alteri nocent; itaque eorum studia vanitatis (non crudelitatis) plena esse dicuntur (v. 4 extr.). Apte hoc aemulantium exemplo transibitur ad eos, qui *iam non* aliis, sed sibi solis nocent, ad *solitarios*, inquam. V. 4 « *Rursum contemplatus sum omnes labores hominum et industrias animadverti patere invidiae proximi, et in hoc ergo vanitas et cura superflua est* » (ex hebr. accurate : Et vidi ego omnem laborem omnemque profectum operis — aemulationem hanc esse viri prae, מִן, proximo suo; haec quoque vanitas pastusque venti); v. 5 « *Stultus complicat manus suas et comedit carnes suas dicens* » (in hebr. abest : dicens); v. 6 « *Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum dolore et afflictione animi* (hebr. : doloris et pastus venti) ». Quam miseri sint aemuli iidemque invidi v. 5 explicatur, quem quidem versum aliter ac solet, interpretandum censeo. Ille « insipiens » non potest (praesertim cum nulla particula praemissa sit) intelligi alius, nisi ipse invidus; omnem enim orationem perturbaret hoc loco mentio hominis *pigri*, quem plerique intelligunt. Licet autem « complicationem manuum » interpretari gestum stomachantis ac paene desperantis; nec repugnat, quod Prov. 6,10 (= 24,33) idem gestus ad pigritiam refertur; nam sua natura profecto anceps est. Latine quoque « manus complosas tenere » de cessantibus et quiescentibus dicitur (cf. Lucan. 2,292), sed « complodere manus » etiam de *iratis* (Sen. de ira 1,1,4), item de admirantibus, de gaudentibus, de dolentibus. Sic aptiorem quoque sententiam habebit illud : « Et comedit carnem

suam » i. e. (secundum usum linguarum orientalium) ipse se absumit ac perdit; nam mire diceretur homo *piger* perdere se ipsum, nisi id aliqua ratione singulari explicaretur. Iam vero multo facilior etiam transitio est ad v. 6, quo repetitur illa conclusio, melius esse moderari cupiditatem; verborum quoque proprietas huic generi hominum aemulantium et invidentium praeclare accommodata est : « Melius pugillus cum requie, quam utraque manus plena laboris pastusque venti ». Haec ultima verba (iam v. 4 posita) eadem sunt, quae in prima libri parte saepe usurpata sunt. Quid ita? Quia hoc genus hominum et vana *appetit* et vana *patitur;* hoc est huius partis magis proprium, illud superioris. Et tamen magis *patiuntur* aemúli atque invidi, cum ipsi se animi dolore consumant (v. 5); quare bene ad hunc locum dilati sunt.

Hier. v. 5 hominem pigrum describi censuit, itemque solent ceteri interpretes. Audiamus illum rationem suae explicationis reddentem : « Stultus est, qui in Proverbiis *piger* describitur, continens manibus pectus suum. Cui tamquam citus cursor venit inopia, et qui propter nimiam famem — hyperbolice autem dictum sit — comedit carnes suas. *Qui melius putat* esse unum pugillum habere farris et otiosum torpentemque vivere, quam laborantem manum utramque complere. Totum autem, quod disserit, hoc est, ut ostendat, et eum qui laborat et habet aliquid, *patere invidiae*, et rursum eum qui vivere vult quietus, inopia opprimi, et esse *utrumque* miserabilem, dum alius propter opus periclitatur, alius propter inopiam egestate conficitur ». Ergo versum 6 audacius homini pigro tribuit loquenti, idque in Vulg. *addito* « dicens » clarius expressit. Sed eo non addito, quis non existimet, versu 6 id ipsum commendari, quod 3,22 et ceteris omnibus locis, quibus eadem fere verborum formula repetitur? Deinde displicet, quod piger dicitur *fame* perire, cuius nulla mentio fit in verbis, nec id hoc toto loco aptum est, ubi ex mala animi affectione miseria derivanda est : ita et in superioribus et in posterioribus. Multo igitur melius, quod ipse Hier. addit : « Vel certe sic : qui alienae felicitati invidet et quasi *spiritus furore* raptatur et invidiam in sinum suum receperit nutrieritque eam in pectore : iste comedit animam suam et carnes suas. Quanto enim eum cui invidet, feliciorem viderit, tanto ipse amplius contabescit et deperit et paulatim zelo et livore distillat ». Idem prorsus, secutus LXX, exponit *Thaum.* et huiusmodi exacerbationem maeroremque vocat « oestrum maligni spiritus » (οἶστρον πονηροῦ πνεύματος), in illa sua persistens sententia : ob dominationem daemonis tantam esse in mundo vanitatem. Sed proximum versum *non* pigro homini attribuit, sed ita dicit : « Malit autem *homo prudens*

alteram implere manum cum tranquillitate et mansuetudine, quam utramque cum aerumna spiritusque fraudulenti astutia atque malitia ». A qua huius versus interpretatione non censendus est abhorruisse *Hier.;* nam post illa haec quoque addit : « Melius est modicum habere iustum, quam divitias peccatorum multas. Et in Proverbiis : *Melior est parva acceptio cum iustitia quam multa genimina cum iniquitate* (Prov. 16,8). Eleganter iustitia requiem habet, iniquitas laborem ». Atque haec iam est tota fere nostra explicatio; sed ea si admittitur, multo melius videtur et maerorem (v. 5) et malam aemulationem (v. 4) *eidem* ascribere illi, qui v. 6 dicitur habere duas manus plenas cum labore pastuque venti; nam ille piger nec habet plenas manus nec laborem nec pastum venti (i. e. inanem cupiditatem). Accedit quod difficile est vv. 4-6 grammatice inter se nectere, nisi ad idem subiectum pertinere dicas; id si est, initio versus quinti statuitur asyndeton explicativum, initio sexti adversativum, eritque connexio facillima.

Postquam summatim 3,16-4,6 *interpretati sumus, ut tota series argumentationis pertexeretur, nunc singula distinctius enarrabimus.*

Hoc loco mirum in modum *Gregorii Thaum.* explicatio aberrat a vero. Qui v. 16 τόπον κρίσεως intelligit damnatorum locum et τόπον τοῦ δικαίου (ubi mendose apud LXX additur εὐσεβής pro ἀσεβής) piorum sedem; deinde v. 17 sic : a Deo omnia *aequalia* νομίζεσθαι καὶ κρίνεσθαι, et iustos et impios et homines et animalia; *tempus* enim vitae itemque mortem iis aequaliter praefinita esse. Sed hoc ultimum, ut ea, quae sequuntur, alicui « cogitationi » (ἐλογισάμην), i. e. *errori* tribuit, a quo se Ecclesiastes initio capitis quarti revocet. Nullam in *hac* interpretatione offensionem habere v. 21 manifestum est; at nec graeca verba nec hebraica in hunc modum accipi possunt. Idem versum 22 eodem errore complectitur, ut Ecclesiastae erranti nullum visum sit bonum praeter voluptatem praesentem, ad quam *redire* post mortem nemo posset. Porro 4,2 sq. ita fere enarrat : Meliores illi *impii*, qui iam sunt mortui, his qui vivunt, et praeferendi ii, qui, cum sint futuri impii, nondum nati sunt, quia impietatem nondum attigerunt. Apparet quam non facile fuerit illi, sententiam aptam invenire; sit autem hoc unum exemplum instar multorum.

Qua animi cogitatione atque commotione Ecclesiastes hunc totum locum scripserit, vel quam aliorum hominum commotionem in sua persona expresserit, melius *Hugo Vict.* explicat. Quod recte cognosci quoniam ad singulorum versuum interpretationem plurimum interest, ali-

quanto plura ex eius commentario delibabo. « Rerum », inquit, « mutabilitas licet a Creatore rerum omnium recte gubernetur, tamen cor humanum per impatientiam in murmurationem et blasphemiam adversus ipsum concutitur... Haec est afflictio hominum, disputatio eorum adversus Deum; quia in eo, quod iudiciis Dei humiliter subdi nolunt et eius dispositionem, quae bona est in rebus omnibus, contumaciter reprehendunt, non solum eos exterius poena adversitatis et tribulationis molestia atterit, sed *multo magis intus furor et impatientia murmurationis* affligit ». Optime sane hic enuntiat, quid huius partis sit proprium, et qua id ratione ad ordinem illum universi pertineat. Pati enim Dei voluntatem, molesta atque perversa permittentis, hoc discere homo debet; in prima autem parte monebatur, ne ultra, quam Deus permisisset, tendere conaretur. Quae diversa esse, nemo non videt. Accedit quod haec ad privata hominum studia spectant, illa ad vitae communitatem. — Idem Hugo, in quo sit et unde similitudo hominis cum bestiis, ita disserit : « Tunc (i. e. ante peccatum primum) per incorruptionem corporis humilis origo tegebatur, et dissimulatum erat per immortalitatem, ne veniret in exprobrationem, quod homo similis esset bestiis... Vestivit eum Deus pulchritudine immortalitatis et posuit eum extra genus in sortem alteram. Cum vero peccasset homo Deo, privavit eum gloria sua et remisit ad originem suam, ut per id, quo ibat, agnosceret, unde venerat ». Atque hanc nos causam fuisse diximus, cur ipse Ecclesiastes illud Dei iudicium de mortalitate e libro Genesis attingeret nec animae mortem ibidem significatam (2,17, ubi mors *praesens* intentatur) omitteret, sed dubitando adderet : Eritne animus hominis mortui beatior anima bestiae? — Item in vexatis (4,1 sqq.) affectum internum doloris ille bene exprimit : « Cum adversa attendunt, hebetantur et corruunt animo... et desperant semetipsos... Et optant magis non esse quam esse »; et in aemulantibus : « Homo bonis operibus alterius invidendo curam animo suo et angorem malitiae inducit, cum invidendo non illi, cui invidet, noceat, sed *sibi* ». Sane ad internum maerorem aut etiam furorem in tribus hominum generibus, quae hoc loco tractantur, omnia referri oportet, ut apte possis hanc partem a priore distinguere. Sic autem cohaerent omnia praeclare, ut non possint melius; atque etiam idonea efficitur gradatio argumentorum, cum multo sit acrior huiusmodi dolor ac maeror, quam cum aliquod studium externum, voluntate susceptum, ad irritum recidit; congruit autem in ipsa dictione Ecclesiastae vehementia maior et ardor affectus, quem nemo non sentit. — Nunc aliqua de versibus singulis.

In 3,16 licet omnino cum LXX, *Del.* aliisque מְקוֹם dicere obiectum verbi videndi (de accentu interposito cf. Gen. 1,1), sed etiam cum *Vulg.* et *Hitz., Zoekl., Elst...* dicere liberius positum pro « in loco » vel similiter, atque haec altera constructio abrupta congruit affectui, ut asyndeta quoque vv. 17. 18 etc., item omissio verbi (*fieri* s. *fit* ob hanc causam), audacior usurpatio vocis מִקְרֶה v. 19, alia multa. Quare sine causa *Gr.* repetitum (v. 16) רֶשַׁע reprehendit, et 4,1 extr. repetitum in hebr. « non est qui consoletur eos »; quae possunt certe animi motui accommodata dici, quamquam facilis haec eius coniectura est, et ibi semel פֶּשַׁע fuisse scriptum et altero loco semel מוֹשִׁיעַ = « adiutor », praesertim cum ibi Vulg. habeat duo vocabula diversa, hic autem et Syrus interpres et Vulg. *adiutorem* significent. Sed quam dubia sit coniectura, patet, nec consuli satis potest, ut in hoc libro explicando ratio habeatur commotae excitataeque orationis.

In v. 16 מִשְׁפָּט *ius* proprie significat et iurisdictionem (κρίσις LXX), sed צֶדֶק *iustitiam* virtutis; videt enim Eccles. et ius administrari ab impiis et virtutis locum ac dignitatem occupari ab iisdem. Putarunt quidam, hanc considerationem in Salomonem, qui rex ipse fuisset, non quadrare. Annon igitur Salomoni circumspicienti mundum undique oblatam esse eiusmodi iuris honorisque perversionem dicemus? An ita fuit occaecato animo, ut in suo regno nihil eiusmodi fieri existimaret? Mirum profecto! Sed angustius omnia interpretantur, qui scriptorem *passum* esse id genus iniuriarum volunt; id nullo verbo dicit, sed *vidisse se,* itemque in proximis loquitur constanter, cum in prima libri parte eadem constantia sibi ipsi studia cupiditatesque inanes ascripserit. Igitur ad hanc quoque differentiam utriusque partis attendi debet. — In proximo versu שָׁם ad tempus referunt *Vulg., Chald.*, alii, nec multum refert, utrum vertatur « tunc » an « ibi »; nam, ut Hier. in commentario « ibi » (LXX ἐκεῖ) ad futurum iudicium refert, sic in omni lingua loci particula retineri facile potest, etiamsi intelligatur : « in iudicio futuro », cuius mentio modo facta est. Sed non male, paullo quidem audacius, nonnulli « ibi » interpretantur « apud Deum, in altera vita » (Gen. 49,24); ita *Midr., Cast., Hengst., Del., Wr.* Non pauci שָׁם legi voluerunt : *Doederl., Elst., Ew., Ren...* sed vix tolerabile videtur, id verbum nulla manifesta ratione ad locum ultimum differri. Ipsum illud « ibi » vel « tunc », in quo summa vis est, in compluribus codicibus LXX iunctum videmus versui 18, idcirco sine dubio, quod suo loco inusitate positum putaretur. — Denique alii « aestimandi » vim verbi talmudici שׁוּם hunc transtulerunt. Nos « ibi » de iudicii divini et loco et tempore dictum putamus, immo etiam de modo et adiunctis, i. e. de iudicio divino, ubicunque, quandocunque, utcumque habebitur. Sed si hic versus cum proximo compa-

ratur et, quae ratio totius loci sit, quaeritur, apparet, in collocatione vocis שָׁם eam vim esse, ut recte verti possit « ibi demum », i. e. non ante, quam omnia adiuncta temporum, locorum, personarum ita prorsus, ut Dei fert voluntas, conveniant. Quod *Mot.* proponit, probari mihi non potest : « Il est un temps laissé à tout dessein ici-bas (?) ; mais sur toute œuvre là-haut, justice sera faite ».

De v. 18. עַל־דִּבְרַת־ LXX verterunt περὶ λαλιᾶς, item Syr., inter recentiores *Herzf.*, *Cast.* Sed recte *Hier.* in Vulg. posuit « de » (ut Chald. « ob negotium filiorum h. »). Vis enim huius vocis est, ut « rem, causam » valeat; ita 8,2 usurpatam videmus, nec aliter 7,14, adiuncto עַל : « ob eam causam, ut », atque ad huius ultimi loci rationem videtur licere iungere עַל־דִּבְרַת לְ, quod dictionem facit audaciorem quidem (propter obiectum transpositum), sed aptiorem, quam si addas genitivum « hominum ». In Ps. 109, qui Davidis est (cf. Matth. 22,44) eadem fere significatio est : secundum causam Melchisedech, i. e. ut *res* erat in M. (κατὰ τὴν ὁμοιότητα, τάξιν Hebr. 7,15. 17). Eodem modo usurpatur identidem עַל־דְּבַר־ = ob eam causam (gall. « à cause de »). Atque haec explicatio est omnium fere recentiorum. — Quae porro ab Ecclesiaste dicuntur, ut rationem reddat, cur Deus cunctetur iudicium facere, ea (quia infra non corriguntur) veram eius sententiam pristinam enuntiant, ita tamen, ut omnia spirent ardorem animi concitati atque exacerbati; quem affectum fuisse immoderatiorem v. 22 significat : Vidi melius esse sibi temperare. — לְבָרְם etsi non omnes eodem modo explicant, tamen generatim de vi « explorandi » fere constat inter universos; secundum sententiam est illud : « ut revelentur ex multis cordibus cogitationes » (Lc. 2,35); id enim proprium est altissimorum Dei consiliorum, ut probent homines et (ib. 34) signa sint, quibus contradicatur, et aut ruinae causa aut resurrectionis. — לָהֶם videtur simul valere « sibi » (i. e. per se) et « inter se »; agitur enim hic de conditione *societatis ;* cui congruit comparatio cum pecorum grege (intell. בְּהֵמָה collective). — Qui דִּבְרַת־ intelligunt de sermone, LXX secuti, sic explicant : « Quod homines dicunt se a Deo distinctos » et cetera, difficili sane connexione, pro responso posita esse volunt. — לִרְאוֹת interpretes ad unum fere omnes aut ad homines referunt (mutato subiecto) aut mutant in לַרְאוֹת, ut ad Deum possit spectare. Hoc alterum post LXX, *Syr.*, *Vulg.* maiorem partem etiam recentiores; sed ea explanatio, quam supra proposui, et retinet scriptionem traditam et toti loco videtur optime convenire; quam fateor me apud neminem reperisse. — De nominativo (an genit.?) הָאֱלֹהִים cf. Esdr. 9,8; Is. 29,23.

In v. 19 מִקְרֶה (st. const.) vel legendum vel saltem explicandum censuerunt plurimi : LXX (συνάντημα υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου), Vulg. (« interitus hominum »), inter

recentiores *Elst.*, *Cast.*, alii; vicissim *Del.*, *Zoeckl.*, *Bick.*, *Wr.*, praedicatum esse ad « homines » censent. Hoc vim certe maiorem habet et duplex רְ facilius explicatur, cum ceteri cogantur aut prius dicere comparativum (cf. Prov. 25,25) aut alterum trahere ad praedicatum. — « Nihil differre inter hominem et bestias », hoc intelligendum est ex vv. 17. 18, i. e. : interea dum Deus cunctatur discernere iustos et impios, sic illi ab his premuntur, ut tamquam pecudes videantur, iure omni destituti; deinde adhibendus est v. 20, ubi dicitur agi hic de corporea et externa hominis conditione, *quatenus* sit a « pulvere » profectus; nam « spiraculum vitae (הָרוּחַ) *Deus* inspiravit in faciem eius » (Gen. 2,7).

De v. 21 praeter cetera hoc tenendum est, nullo modo ibi negari vel addubitari animorum immortalitatem. Quomodo enim Deus iudicabit aliquando iustos et impios (v. 17), nisi erunt superstites? Nam agi de *alterius* vitae iudicio, ex sententia totius loci et vel maxime ex hoc cognoscitur, quod evidenter significatur, ante iudicium factum mori ut animalia homines (v v. 19. 20, item 4,2. 3); ac nimis per se manifestum est ex ipso v. 17, exspectari ab Ecclesiaste tale iudicium, quale in mundo non fit unquam. Quodsi ad hoc eludendum *Gr.* eum versum vertit : « Censui *oportere* Deum iudicare », quorsum ratio ibidem addita spectabit? Et manet eadem in v. 18 difficultas; esset enim blasphemum dicere, Deum tam dure probare homines, nisi reservaret iudicium aequum. Porro iudicium futurum proponitur 11,9 et « spiritus (הָרוּחַ) reverti ad Deum » dicitur 12,7, atque hi duo loci non ardorem affectus habent, sed doctrinae asseverationem. Itaque falso *Knob.* scripsit, Ecclesiastae opinionem fuisse, omnia in materiam abire, ac si v. 20 non dixerit, ea sola, quae sint a materia, in eam resolvi, aut ignoraverit, secundum Gen. 2,7 animum a Deo inspiratum esse materiae formatae. Falso item *Gr.* : « Nihil est hodie novi dicere, hoc versu prorsus ut dubiam proponi immortalitatem animorum ».

Ergo hoc solum quaeritur, qua sententia Ecclesiastes eam dubitationem (quae videtur) protulerit. Masoretae putantur consulto *articuli* puncta subscripsisse He interrogativo; sic enim efficitur ut id, quod de animo enuntiatur, ipsa dubitatione non comprehendatur, sed tantum affirmatae veritatis *cognitio* evidens et quasi experimentum in dubium vocetur. Erit enim haec sententia : « Animum, qui ascendit in altum, quis est qui manifesto videat? » Sensus enim nihil nobis nuntiant; ita fit, quoniam sensuum usu duci solemus, tum maxime cum maestitia premimur, ut animi immortalitatem non recordemur. Quam interpretandi viam inierunt *Hengst.*, *Hahn.*, *Mot.*, alii. Sed negari non potest, cum primum legamus verba hebraica, punctis non additis, sua sponte nos intelligere, He non esse articulum, sed particulam interrogationis, praesertim cum post participia pronomen sit

repetitum. Deinde difficile est rationem reddere, cur rursus mentio inferatur animae brutorum; fuit enim sententia post prius incisum concludenda, quia alterum incisum additum rursus cogit ad considerandam aequalem hominis et bruti conditionem, quorum animam *aequaliter* ignoremus, quo evolet. Nec tamen prorsus improbabilem eam explicationem dixerim. De cetero addere iuvat, puncta He interrogativi et articuli aliquando confundi, ut non sit omnino certum, Masoretas voluisse intelligi articulum, quamquam id censeo verisimilius, cf. *Gr.* et *Del.* ad l.

Sed et interpretationes interpretesque veteres et plerique recentiores a vi interrogativa enuntiationis profecti sunt : LXX, *Chald., Syr., Vulg., Gr. Ven., Elst., Zoeckl., Del., Wr., Cast., Bick...* Sunt autem, ut dixi, qui omnino dubitasse Ecclesiasten de *ipsa* animorum immortalitate dixerint; quos nunc omitto; cf. supra p. 11 sqq. Alii, ut *Del.*, dubitare eum de sola philosophiae demonstratione censent, de fidei autem doctrina nunc vix recordari, denique aliqua tamen vera *haesitatione* illigari. Idem etiam apertius eloquitur *Elst.* : « Quis scit », ita enarrat, « num sic differant homines et bestiae, i. e. quis id tam accurate perspiciet ac demonstrabit, ut id omnino persuasum habere ac tenere possimus? Atque haec dubitatio, quam hoc loco Koheleth enuntiat, nunquam non recurret, quomodocunque conatus eris, immortalitatis notionem rationis ac philosophiae argumentis demonstrare; nunquam non haec offeretur quaestio : Quis tandem scit an aliter tamen se res habeat vitioque aliquo minimo ac ratiocinandi errore in perpetuitate argumentationis tollatur ad extremum tota probationis evidentia? Quo ostenditur, nullo rationum pondere adduci nos, ut aeternos esse hominum animos sine haesitatione credamus, sed sola communione Filii Dei, qui est vita ipse vera, verissimum vitae sempiternae sensum persuasionemque nasci in hominum mentibus posse ». Quae explicatio probari nemini potest, qui necesse esse admiserit, verba sacri scriptoris omni errore vacare. Certissimum est autem ratiocinando demonstrari omnino *posse ac debere,* animos esse immortales, nec fieri potuisse, ut scriptor inspiratus hoc loco perspicue doceret, de immortalitate dubitandum esse, nulla *addita* significatione huiusmodi : id de sola *rationis* demonstratione intelligendum esse. Quae cum ita sint, nullam illa interrogatione veram dubitationem proponi dicendum est, nisi simul, eam a scriptore improbari et corrigi, ostendi possit.

Quod ipsum conati sunt, qui eam ex *aliena* persona propositam esse arbitrati sunt. *Thaum.* supra vidimus omnem hanc meditationem iam inde a v. 17 tribuere *errori pristino* Ecclesiastae, a quo se

initio c. 4 revocaverit (ἀπὸ τούτων ἁπασῶν ἐμαυτὸν ἐπιστρέψας τῶν ἐννοιῶν). Eandem interpretationem, non ut suam, affert *Hier.* : « Superiori *errore* turbatus, quod putarem inter homines et bestias nihil interesse, in hanc sententiam prava opinione deductus sum, ut nihil aliud bonum dicerem nisi praesentem carpere voluntatem ». *Olymp.* quoque id dici ab « aliis » scribit : « Multis in rebus Ecclesiastes hominis voluptarii partes agens tamquam ex illius persona profert sermones ». Sed ista explicatio non est admittenda. Nam 1) initio cap. 4 verbum וְשַׁבְתִּי non improbationem superioris meditationis continet, sed tantum transitionem ad aliud considerandi argumentum; 2) v. 22 non debet aliter, ac ceteris locis similia, explicari; ostendit igitur veram iam ante enuntiari absolvique scriptoris sententiam; 3) omnia, quae dicta sunt a v. 17 ad 20, rerum veritati consentanea sunt, etsi verbis enuntiantur ardentibus et superlatis; 4) nec usquam alia ulla invenitur perspicua correctio. Non licet igitur versus 21 sententiam excipere, ita ut alienam esse a mente scriptoris dicamus.

Itaque Hier. solam *difficultatem* rei cognoscendae interrogationis formula expressam censuit. Sed quorsum pertinet, difficultatem cognoscendi hoc loco enuntiari, nisi ea ad *rei veritatem* aliquo modo spectet? Nihil enim hic quaeritur, nisi qualis animi sors post mortem futura sit. Ob eandem rationem mihi non probantur haec *Hugonis Vict.* : « Non dixit, Falsum est hoc, sed, Quis novit hoc? Nemo hoc novit. Non enim sciri potest ab homine, et tamen credi potest ». Omnis autem vis argumentationis eo tendit, ut *deprimatur* hominis dignitas. Ita fit, ut interrogatio sua sponte vergat ad negationem, nec vere deprimitur hominis dignitas, si, quod fide certum est, id rationi tantum, vel potius, ut Hugo rectius dicit, sensibus dubitabile est, vel certe rationi ita tantum, ut nullam ne increduli quidem patiatur dubitationem.

Alia est *mystica* quaedam interpretatio prorsus negligenda, quam *Olymp.* primo loco proponit : homines in hoc v. 21 intelligi bonos, animalia impios; « quis autem scit », inquit, « utrum ii qui videantur plerisque prudentiores, cum iudicii tempus advenerit, digni futuri sint regno coelorum, an poenis inferorum? quis item contra, illine, qui videntur esse rationis expertes, occulto Dei iudicio ad superna sint ascensuri? » Quam eandem opinionem *Hier.* « ad spiritualem intelligentiam » post verborum enarrationem non improbans adiungit. Unum hic recte dici puto : de *beata* agi immortalitate, qua boni *supra* apud Deum fruituri sint. Deinde illud amplector, quod ab Hier. *primo loco* propositum supra retuli : quaeri, sursumne aliquando ascensurus sit animus, an infra, i. e. in limbo *remansurus;* « non multum autem

intererat perire cum corpore vel inferni tenebris detineri ». At ne hoc quidem potuisse ab Ecclesiaste dubitanter proponi dixeris. Recte quidem, si spectatur tempus omne futurum; sed Hier. videtur opinatus esse, de praesenti rerum conditione sola loqui scriptorem, quasi diceret : « Quis audet affirmare nostros animos non mansuros in tenebris inferorum? » Idcirco ille addidit : « Et revera, antequam paradisi fores Christus reseraret, spiritum pecoris hominisque aequalis vilitas coarctabat ». Sin omne tempus futurum (id quod res postulare videtur) spectavit Ecclesiastes, dicendus est loqui ex persona hominis peccato oppressi et illa audientis verba Dei vindicis : « In quocumque die comederis ex eo, morte morieris », i. e. si peccaveris, mortem *et animae et corporis* incurres. Et re quidem vera a v. 18 omnia sic describuntur, ut conditio hominis lapsi *omissa restitutione futura* exprimatur; quod si attenditur, non est mirum de beata immortalitate illatam esse dubitationem, praesertim cum ipsa gratia redemptionis, ob salutis periculum singulorum, non impediat, quin nunc ita loquamur : « Et post tantam vitae miseriam sursumne ascendet homo, an tum quoque bestiis similis ad ima descendet, non exstinctus ille quidem, sed Deo beataque vita privatus? » Ita efficitur, ut verissima sit versus 21 sententia, atque adeo magnum afferat argumentationis incrementum; nam huc usque de corporis (e pulvere facti) miseria dictum est, nunc de animi conditione futura iniicitur maestissima dubitatio. Ea de causa רוּחַ בְּנֵי אָדָם, quo maiore vi efferretur, transpositum est, sive id obiectum verbi יֹדֵעַ esse volueris sive subiectum proximae sententiae, quod deinde repetatur pronomine הִיא.

Videtur mihi etiam alia eaque *admodum facilis* explicatio v. 21, quam non inveni apud quemquam, posse defendi optime ac tuto teneri. Nihil enim prohibet, quominus « spiritus » eodem prorsus modo, quo v. 19 accipiatur (Vulg. verbum exhibet « spirant »; hebr. : « idem spiritus omnibus »). Sed ibi necessario spiritus vitalis s. aura spirabilis (gall. « souffle », germ. « Odem »), non id, quod proprie animam vel animum appellamus, intelligi debet. Id autem si accommodamus ad v. 21, haec sententia exsistit : « Quae sunt de pulvere, redeunt in pulverem. Quis scit, vita hominis s. supremus spiritus eius, quando efflatur, num sublime feratur, et bestiae spiritus, eodem modo efflatus, num in terram decidat? » Qui loquendi modus est valde poeticus : iubemur hominem, qui vivus bestiae similis fuerit, etiam morientem contemplari, atque diligenter observare, utrum diversa via evolet spiritus ultimus utriusque, an sit prorsus in tota *hac vita*, non excluso mortis articulo, perfecta similitudo utriusque. Frustra obiece-

ris, spiritum hominis evolantem ipsum esse animum. Quae philosophi ac theologi obiectio non cadit in poetam, et possit retorqueri in ipsos hoc modo : Bestiae anima excedens e corpore (vel potius in ipso iam corpore) *exstinguitur;* absurde igitur quaeritur, quorsum aufugiat. Sed *poetica* imago est utraque et figura interrogationis acerbitatem continet. Annon igitur haec longe facillima interpretatio est et egregie commendatur notione « spiritus » duobus versibus ante? Quam nolui ab initio proponere, quia nimiam novitatis suspicionem movere facile potest. Nam etiam veteres latini interpretes usque ad Cornelium a Lapide et amplius non videntur proposuisse nisi has quinque opiniones : 1. « Ecclesiastes voluptariorum vel rudis vulgi dubitationem refert » (cf. S. Bonavent.); 2. « De philosophiae demonstratione agit »; eamque multi negarunt nullam esse posse, saltem, quae a plerisque intelligeretur (de qua opinione v. *Pin.* p. 373, *a Lap.* p. 135); 3. « De limbo Patrum haec dubitatio proponitur », ut ex *Hier.* attulimus (cf. *Alcuin.*); 4. « Illud Quis novit — aut de rei cognoscendae difficultate aut de sensuum cognitione et experimento aut de recogitatione diligenti et perpetua recordatione dicitur »; 5. « Homines et bestiae intelliguntur boni et mali ».

V. 22 sententia haec est : Proinde homo suum agat negotium *laetus et alacer;* haec enim ei pars attributa est; non enim discet unquam, quando futurum sit Dei iudicium; at illo demum omnis aequabitur inaequalitas tolleturque iniquitas, sive id aliquatenus inchoabitur in hac ipsa terra, sive totum differetur in aeternitatem. Vox אַחֲרָיו (quam explicavi « post hoc » s. « posthac ») 6,12 de rebus dicitur in terra futuris, sed 9,3 de iis, quae post vitam atque in ipsa morte fiunt. Hic non potest non referri ad iudicium, de quo v. 17; alioquin argumentatio male esset conclusa. Ergo abiicienda est, inquit Sapiens, importuna flagitatio iudicii divini, et acquiescendum in conditione praesenti ac Dei voluntate, et exspectandum tempus praefinitum. Quod quidem, ut ipsa Ecclesiastae argumentatio satis ostendit, in hac vita plerumque frustra speratur.

In hoc toto loco *Hahn* singularis est. Suum illud persequitur, iam 1,4 sqq. et 1,13 sqq. propositum : Nihil demonstrari ab Ecclesiaste, nisi frustra laborare homines, ut a peccato eiusque poenis liberentur. Itaque v. 17 hanc sententiam esse : Deus et iustum et impium *condemnabit* ostendetque nullam fuisse in ullo homine iustitiam. Habent sane mortales tempora ab ipsis constituta suis laboribus sub sole (! שָׁמָּה). Oportet autem (v. 18) et Deum aliquando exsolvere (« purgare ») eos a peccato et nos intelligere nostram cum bestiis similitudinem. Nunc concludendum est (v. 22), non esse bonum ullum, e quo (?), homini liceat

gaudium percipere. Contorta haec sunt omnia, commentis similia, non interpretationibus.

Ad 4,1. עֲשֻׁקִים priore loco pro « vexationibus » (subst.!) accipiendum esse recte censuerunt LXX, *Hieron.*, *Syr.*, *Chald.* et recentiores plerique; cf. Iob 35,9; Am. 3,9. Contra *Symm.* (τοὺς συκοφαντουμένους) secuti *Ginsb.*, *Herzf.*, alii vertunt « vexatos »; sed voces additae נֹגְשִׂים et דִּבְיָה satis definire vim vocabuli utroque loco videntur. — כֹּחַ « violentiam » interpretantur LXX, Vulg., Ewald, Elst., Zoeckl., Del., alii, sed contra linguae consuetudinem nec necessario. Teneri potest notio « potentiae » simpliciter. Nam hic מִיַּד explicare licet « a dextra s. parte s. latere », cf. מִיָּצַד Deut. 31,26 (Vulg. « in latere »), aliaque permulta prorsus similia; ergo « potentia est apud vexatores ». Sine causa porro בְּיַד legendum putarunt *Luzz.*, *Gr.* — Numerus sing. vocis דִּבְיָה non proprie est collectivus, sed ipsam fletus *notionem* effert, cf. Is. 25,8 : « Auferet Deus lacrimam ab omni facie » et Apoc. 7,17 : « Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum ».

V. 2 infin. absol. agnoscunt *Hitz.*, *Hengst.*, *Zoeckl.*, *Del.*, *Gr.* etc. Deinde v. 3 ex eodem verbo intelligendum videtur « iudicavi », quod bene Vulg. addit; alii hunc versum separantes a secundo vertunt : « Meliores *sunt* », cf. LXX et *Gr. Ven.*, nec negari potest, notam accus. אֵת addi aliquando nominativo, quod cum eius vi primaria minime pugnat (Ier. 38,16).

De sententia versuum 2 et 3 cf. dictum a poetis ac philosophis saepe usurpatum : « Non nasci homini longe optimum, proximum autem, quam primum mori » (Cic. Tusc. 1,48); proprium est enim acerbe dolentium, non attendentes nisi ad praesentem calamitatem, nihil non melius sua ipsorum miseria opinari, nec tamen id considerate omninoque ex animo loquuntur, sed commoti animi sensum effundunt. In huiusmodi dictis attendendus est ardor affectus. Nec tamen sequitur, ut non sit quaedam in huiusmodi locutione immoderatio; nam ut in superiore capite, ita hic animi effervescentis cogitatio evagatur; exponit autem haec omnia Eccl. *eo ipso* consilio, ut temperandos animi motus esse persuadeat. Iob quoque admonetur, ne cupidius expetat « noctem », i. e. mortem (36,20, hebr.). Perperam *Del.* : « Quod eadem vestigia [Buddhistarum qui « nirvana » summum bonum existimant] prementem invenimus Koheleth, ex eo explicatur, quod, quamdiu vita hominum verti versarique in bonis huius temporis videbatur, nec ad aeternitatem manifestum patebat iter, non potuit non deesse eiusmodi consolatio, quae miseriam praesentem vel tolleret vel elevaret ».

V. 4 invidiam creari *laborantibus*, ut LXX (ζῆλος ἀπὸ τοῦ ἑταίρου) et *Hier.* (patere invidiae proximi), intellexerunt etiam *Ges.*, *Vaih.*, *Hahn*, *Cast.*,

Mot. Sed aliter longe plurimi recentiores, quia vox קִנְאָה et 9,6 huius libri et aliis omnibus in locis vim activam habeat « cupidae aemulationis, simultatis, irae »; ita *Ew.*, *Elst.*, *Ren.*, *Gr.*, *Del.*, *Bick.* (מִן iam sonat « prae », i. e. comparationem indicat cum proximo, qua quis ad aemulationem instigatur). Idem iam *Chald.*, qui tamen suo more ea admiscet, quae huc nullo modo quadrent : « Aspexi laborem omnem et eorum, quae faciunt homines, bonitatem; quid enim aliud est, quam quaedam veluti invidia atque aemulatio, qua alteri invidet quispiam, ut eum imitando consequatur? » De bona aemulatione nihil hoc loco. Sed activa notio « invidiae » vel potius « aemulationis » sequenda est, ut dolor et aegritudo aemulantium intelligatur, qui superare ceteros cupidissime studeant (v. supr. p. 176).

Versus 5 ad eosdem illos, qui laborant, sed aemulatione stimulantur, recte refertur a *Midr.*, *Luther.*, *Vaih.*, Geier, Bauer, itemque Gr.; hic mirum in modum « complicare manus » vult esse « ligare » (i. e. ad perpetuum laborem applicare?), illi melius de contorquendo, qui est gestus dolentis ac paene desperantis. Sed ceteri omnes veteres ac recentiores, quod sciam, sequuntur id, quod est in Vulg.; graecum tamen περιέβαλε vel περιπλέκεται (LXX, Symm.) Gr. sibi favere arbitratur. — Mendelssohn, Hitz., Zoeckl. v. 5 verba hominis diligentis, deinde v. 6 responsionem hominis pigri volunt esse, ut minus inepte videantur iungi sententiae. Sed multo melius existimamus utrumque versum referri ad descriptionem cupidi morosique aemulatoris. Cui convenienter applicatur admonitio versus sexti. Cf. 9,11 : « Vidi nec velocium esse cursum nec fortium bellum nec sapientium panem... sed tempus casumque in omnibus », i. e. a Dei dispositione et fortuna quasi eius administra omnia pendent.

b) Vana morositas 4, 7-16.

ARG. — Ad *civilem* vitae consuetudinem itemque ad animi maerorem ex ea conceptum diximus pertinere, quae in hac altera libri parte (3,16-7,30) tractarentur. Habet autem ipse per se convictus hominum suas molestias, quas patienter libenterque tolerari decet; vult enim Deus semper homines vitae societate esse coniunctos. A qua quisquis morose se subducit, ut solitarius vivat, commune bonum negligat, suo commodo soli serviat, is ordinem non servat a Deo constitutum, fitque iustissimo Dei iudicio, ut, qui alios iuvare recusaverit, ipse deseratur, et qui superbe consilia nec dederit nec petierit, incurrat in contemptum odiumque omnium. Duo ad huiusmodi vitae institutum pellicere solent : avaritia et superbia; prior 4, 7. 8 perstringitur, altera deinde in regis exemplo v. 13 sqq. describitur. Quamquam de his *ipsis* vitiis proprie non agitur hoc loco, sed de *solitudine*, ad quam invitant, et de maerore atque calamitate, quam afferunt, ut in avaro *morositas* designetur et in superbo *fastidium*, quod a morositate non

multum differt. Calamitas autem imminens est solitudo *non* quaesita : amicorum recessus, omnium abalienatio.

In primo huius partis exemplo, quod erat de iuris iniquitate, indignatio gravissimam de Dei severitate afferebat conquestionem, in altero de vexatione dolor nimius ad vitae desperationem propellebat (4,2. 3), in tertio aemulantium invidia vires consumebat corporis (v. 5, ubi non erat, cur Sapiens suum ipsius dolorem eloqueretur, ut ante fecit ; nam invidi atque aemuli *contemptu* sunt digni) ; denique in postremo genere morositas periculum amittendae prosperitatis (in avaro) et dignitatis (in superbo) procreat, in omnibus mansuetudinis caritatisque civilis oblivio evadit periculosa. Utcunque igitur hanc totam tractationem examinaveris, eam optime cohaerere et praeclare dispositam esse invenias. Hoc quoque facile animadvertas, prout minuatur vitium et periculum emergens, minui etiam orationis ardorem. Unum mirari possis : diffusius, quam videatur necesse esse, agi de solitariis, et regis etiam exemplum illustrandi causa asciri. Cuius rei causa est, opinor, ut doctrina generatim inculcetur : servandam esse studiosissime vitae civilis consuetudinem et caritatem, et esse hanc omnino Dei voluntatem, ut homines non minus mutui commercii, quam sanguinis communione coniungantur. Atque hoc ipsum huius partis est maxime proprium : commendare vitae communitatem.

Versa audiamus. 4,7 « *Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole* » ; v. 8 « *Unus est et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis ; nec recogitat, dicens : Cui laboro et fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, et afflictio* (occupatio) *pessima* » ; v. 9 « *Melius est ergo duos esse simul, quam unum ; habent enim emolumentum societatis suae* » ; v. 10 « *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur ; vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se* » ; v. 11 « *Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo ; unus quomodo calefiet?* » ; v. 12 « *Et si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistunt ei ; funiculus triplex difficile rumpitur* » ; v. 13 « *Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto, qui nescit praevidere in posterum* » (hebr. : illustrari s. doceri amplius) ; v. 14 « *Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, et alius natus in regno, inopia consumatur* » (hebr. paullo aliter, v. infr.) ; v. 15 « *Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole, cum adolescente secundo, qui consurget pro eo* » ; v. 16 « *Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum, et qui postea futuri sunt, non laetabuntur in eo ; sed et hoc vanitas et afflictio spiritus* » (animi cruciatus). Pergit scriptor circumspicere studia vana mortalium, dum ab uno se convertit ad alia (v. 7, cf.

v. 1); persistitque in illa sua formula, qua ipsam vanitatem designat : « sub sole » (cf. 3,16 ; 4,1. 3; etiam 4,15 illis « transcurrentibus sub sole » suam inurere vult notam vanitatis). V. 8 ad solam orbitatem naturalem et avaritiam perperam nonnulli retulerunt ; nam quae vv. 9-12 de solitariis dicuntur et quidem sine ulla transitione adiunguntur, non apte connecterentur, nisi in avaris quoque eiusmodi *solitudo* reprehenderetur, quae voluntaria, non necessaria sit. Sed praeterea initium v. 8 in hebr. rem aperte declarat : « Est unus nec est secundus *atque etiam* filio et fratre caret ». Singularis hominis conditio describitur, qui *nulla* sit societate iunctus « secundo », i. e. amico vel socio; quod quia excusationem aliquam haberet, si consanguineis caritatem et sollicitudinem omnem impenderet, idcirco id quoque statim negatur; unde intelligitur (addito praesertim גַּם = « etiam », quod deest in Vulg.) voluntariam esse solitudinem, et eum reprehendi, qui ne amicum quidem sodalemve sibi devincire studerit, sed communitatem fastidiens sibique soli intendens sordidae cupiditati deserviat, tanto turpiori, quod nec alteri nec sibi prosit. Quod indignatus Ecclesiastes exclamat : « At quare ego si voluero mihi soli laborare, fructu laboris ipse me privabo? » Apparet, quare *prima* utatur persona in re nihil ad se pertinente; nec longe arcessenda explicatio est ; nam cum homo ille nihil spectet nisi sese ipsum, apte occurritur : fac igitur me nolle nemini nisi mihimetipsi providere, annon stultitiae est, genium meum ipsummet fraudare? In Vulg. tollitur explicandi difficultas verbis additis : « nec recogitat dicens », ut moneatur avarus, quid eum deceat meditari. Simillime « ego » usurpatur de quolibet homine Iob 34,33 (hebr.). Nullo autem pacto hic, ut in prima parte libri, Salomon suum ipsius studium discribit; dixit enim paullo ante : « vidi vanitatem » et « est unus aliquis... ».

Sed illi solitario eidemque avaro, ad emendandum eum, v. 9 « emolumenta ostendit societatis », ut recte in Vulg. circumscribuntur verba hebr. : « bona merces in opere suo ». Comparantur deinde vv. 10-12 inter se unus et duo, vel potius quidam singuli cum quibusdam binis (hoc significat articulus hebr.). In binis, i. e. in quibuslibet sociis vel amicis tria exsistunt communis societatis commoda; quae poetice demonstrantur in iis, qui *iter* difficile ac periculosum una faciunt. Si unus « ceciderit » (Vulg.), vel etiam generatim, si singuli « ceciderint » (ita hebr., quia agitur de quibusvis hominibus pariter euntibus), unus manum porrigit alteri ad resurgendum. Iidem, si nocte frigida sub dio cubandum erit parumque suppetet tegumentorum (Ex. 22,26; Is. 28,20), inter se fovebuntur (וְ ante חַם apodosin inducit). Latro autem incursans, alterutri si vim intulerit, non superabit tamen

utrumque. Quodsi etiam *tres* erunt comites, ut funiculus triplici plexus filo, ita illorum societas perfringi opprimique non ita cito poterit. Bene hac amplificatione absolvitur commendatio vitae communis ac societatis; duobus autem prioribus exemplis additum est detrimentum solitudinis : vae soli! (v. 10 sq.).

A v. 13 non rem tractari disparatam, sed similem, ex eo cognoscitur, quod nulla transitione aut particula disputatio de rege sene et adolescente paupere inducitur, nec vero statim de *regis* fortuna, tamquam de novo argumento fit mentio, sed de prudentia pauperis adolescentis. Itaque longe aberrant plerique, cum locum prorsus novum de subita *fortunae* rerumque publicarum *mutatione* explicari dicunt. Qua opinione omnis perturbatur argumentationum series. Nec est cur conqueramur, a scriptore proverbia proverbiis adiungi, nullo vinculo aut nexu; immo statim etiam voce הִזָּהֵר (in Vulg. obscure : « praevidere ») adumbravit, quo omnia pertinerent : quia princeps, senectutis morositate vel superbiae fastidio, non patitur amplius se illustrari, doceri, moneri, ideo ruit in perniciem. Ergo consilii adiumentum quia negligitur, ideo fit in hoc homine, quod in superiore ob societatis opem neglectam factum vidimus. Tam enim necesse est regi, quam homini privato servare eam vitae communitatem, quam Deus voluit vigere et praesens conditio mortalium ipsa postulat. Homo ab homine et facto et dicto, i. e. ope et consilio adiuvatur; qui solitarius esse vult, is periculis magnis obiicitur. Iam vero consilii capiendi necessitas non potuit melius illustrari, quam regis exemplo, regno pulsi ob fastidiosam solitudinem. Cui nec aetas longa nec rerum usus nec summa potentia quidquam profuerunt, quominus in perniciem imprudentia sua detruderetur. Argumento vis etiam maior accedit ex opposito adolescentis inopis eiusdemque sapientis exemplo. Nihil igitur esse probabilius potest, quam vv. 13-16 esse ita connectendos cum superioribus, ut alterum exemplum *solitarii* hominis iis proponi dicamus. Unum fortasse obstare dixeris, quod obscurius sit designata morositas, perspicue autem *imprudentia*. Sane ad imprudentiam maximam pertinet in vita civili, imprimis si quis est alto loco positus, morositas et fuga consilii. Cur autem non in *qualibet* imprudentia, sed in eo genere quod explicavi, versari regis culpam existimem, causa est, quod a fuga societatis, descripta vv. 7-12, prorsus ita transitur, ut *eadem fere* culpa regi tribuatur, et quod « doceri nolle » in rege aut arrogantiae est aut morositatis, arrogantiam autem puniri multo minus indicatur; licet autem *fastidium* intelligere, quo includitur et superbia et fuga societatis atque consiliorum. — Iam haud magna erit in singulis versibus difficultas.

Adolescens vel potius adolescentulus (יֶלֶד) laudatur ob « sapientiam » (prudentiam), qua, cum esset infima conditione, perfecerit, ut regnum invaderet; rectene egerit necne, hoc loco non attenditur, cum dicitur « praestat », sed affirmatur, ei melius esse, i. e. eum feliciorem esse (cf. טוֹב 4,3. 9); melius enim ei omnia succedunt. Ut ex contrario regis exemplo cognoscitur, sapientia illius in *adiutoribus amicisque* sibi conciliandis consistit. Cuius studii mirus effectus v. 15 ostenditur; nemo enim est homo vivus — ita Eccl. non sine ingenti exaggeratione, huic loco prorsus accommodata dicit —, quin illum adolescentulum sequatur, qui iam dicitur secundus, quia protenus successurus est in locum prioris regis. Augetur vis documenti explicata inopia et aetate admodum parva illius (v. 14) : e carcere prodit, domo quoque paupere est, et natus cum alter iam regnaret. In Vulg. quidem hoc alterum incisum ad regem senem refertur, quod ad sententiam parum interest, sed verbis hebr. non congruit, cum subiectum novum (« alius ») non sit indicatum et ad regnum additum sit « suum », nec (nunc quidem) legitur : natus vivit (« consumitur ») in paupertate s. fit pauper, sed : natus *est* inops (נוֹלַד רָשׁ, non נוֹלָד). Item in Vulg. hic perfecta, quae sunt in hebr., commutantur cum praesentibus; iam igitur illi versus 13 *et* 14 *generalem* sententiam enuntiare videntur, non rem factam designare. Sed ut v. 15 ostendit (« Vidi »), scriptor rem generatim quidem v. 13 propositam pergit ita explicare, *ac si* facta sit; rectius igitur illa perfecta hebr. in v. 14 retinentur. Tempus praeteritum, speciem afferens veritatis, non est dissimile Graecorum aoristo gnomico, sed minus usu detritum atque accedens ad parabolarum evangelicarum fictionem vere poeticam. Fictam enim hic, non veram rem narrari ab Ecclesiaste, probabilius est; etenim cum multae sint viae initae hunc locum ad historiae fidem interpretandi, nulla inventa est, quae communius probaretur.

Res fusius enarrantur. Cum summa dissensio sit de toto loco, tamen vv. 7 et 8 non de sola ac nuda *avaritia* esse, nonnulli agnoverunt. In Vulg. huc referre licet « ergo » v. 9. « Post sollicitudines et miserias », inquit *Hier.* ad eundem versum, « in quibus correptus est ille [avarus], qui in opibus conquirendis absque certo herede se cruciat, nunc ad sodalitatem sermo confertur », i. e. quia in avaro turpissimum exitum habuit solitudo, ideo sequitur cohortatio societatis ineundae. Quamquam quod de *herede* et ab Hier. et a multis dicitur, displicet. Nec שֵׁנִי = secundus (v. 8) per se heredem significat, nec id apte huc quadrat; et in hebr. ante « filium » legitur « etiam », ut ille secundus *distinguatur* ab herede. Itaque dubitari non debet, quin « secundus »

valeat « sodalem, amicum », et avari solitudo sit voluntaria ac vitiosa. *Pin.* recte ita incipit disserere : « Videtur haec sententia (v. 8) cum aliis etiam sequentibus dicta in avarum illum *solitarium*, qui non solum a filiis et cognatis solus sit, sed etiam ab amicis et omni humana societate... Semper igitur solitarius incedit avarus ac, ne aliis commodare possit, aliorum commoda et societatem refugit. Quare hortabitur nunc Ecclesiastes ad abiiciendam illam agrestem avaritiae *incivilitatem* suadebitque conciliare multorum benevolentiam et amicitiam ». Sed idem ad extremum haec omnia addubitat, quia avari solitudo videatur necessaria. « Nexus hic », inquit, « utilis et argutus, si tamen de *hac* avari solitudine aliquid praecessisset, ac non solum de *illa*, quam orbitas filiorum et propinquorum facit ». Sed, ut dictum est, in hebr. a filio et fratre distinguitur ac seiungitur ille secundus. LXX quoque (ut *Syr.*, *Chald.*) legerunt illud גַּם, vertunt enim : ἔστιν εἷς καὶ οὐκ ἔστι δεύτερος καί γε υἱὸς καί γε ἀδελφὸς οὐκ ἔστιν αὐτῷ.

Ita hic ab una particula pendet recta loci interpretatio. Iam *Olymp.*, cum primo loco dixisset de legitimo herede, altero tamen loco addidit : « Unum vocat eum, qui se solum diligat, qui fratrem aut filium *nolit* habere. Qui enim *volunt*, etiamsi careant affinibus et consanguineis, tamen, si secundum Dei voluntatem vivunt, habent omnes homines pro fratribus et filiis... Iste unus igitur, qui nolit quemquam sibi esse fratrem aut filium, *vitiosa voluntate sua* spoliat animum bonis. » Recte etiam *Gr.* : « Falso plerique interpretes vv. 7-12 avaritiae reprehensionem esse dicunt, cuius rei vix vestigium ullum est [nisi in v. 8]. Bene *Hitz.* hominem solitarium ac singularem castigari censet; quo pertinet etiam : funiculus triplex... » Deinde ostendit « unum » (אֶחָד) non raro usurpari pro solo, dissociato, velut Ios. 22,20, et maxime Ez. 33,24 : « Unus erat Abraham et haereditate possedit terram; nos autem multi sumus. » Idem *Gr.* etiam regis exemplum ad solitarii reprehensionem adnectere velit, « si *secundus* possit dici idem valere, quod v. 15, i. e. *successorem*. » Sed haec via ineunda non videtur, cum *secundus* nec v. 8 successorem proprie nec, opinor, v. 15 sodalem vel sociatum significare possit; quamquam hoc alterum pulcherrime iungeret hos duos locos, cum dictum esset : Vidi omnes mortales adolescenti adiungi illi sociato. Neque tamen opus est hac interpretatione. Non enim quidquam frequentius usu venit, quam ut rex aliquis, qui senex aut stultus vel utrumque sit, se imprudenter segreget ab eorum consiliis, quos audire debuerat. Ergo consentaneum est voluntariam solitudinem dicere illud commune vinculum, quo regis exemplum iungatur cum superiore, praesertim cum in clausula

v. 13 ipsa segregatio voluntaria sit expressa et transitio ad hanc partem sua sponte videatur afferre significationem rei *similis*, non disparatae, et solitudini nihil possit magis diverse opponi quam *favoris* a iuniore captati exaggeratio.

Quae cum ita sint, miror praeter illud leve indicium apud *Gr.* nihil me invenire apud quemquam, quod ad connectendum regis exemplum cum solitario pertineat; omnes hiulcam esse totam disputationem facile patiuntur. Causam aliquam suspicor esse, quod ipsa regis appellatio protenus induxit plerosque, ut inquirerent, quis tandem ille rex fuisset. Sed sive voluit Eccles. certum aliquem, quem nosset vel audisset, describere, sive noluit : id primo loco minime quaeritur, quia ad *morum* doctrinam praeter cetera exemplum assumitur, nec multum refert, verumne sit an fictum, praesertim cum similia saepissime fieri nemo non sua sponte videat. Hoc igitur solum morum documentum ad primariam loci sententiam spectat. Deinde multi nimis assueverunt, illud pro concesso habere, omnino haud multum in hoc libro in connectendis partibus singulis laborandum esse, quod manifestum sit, totam disputationem ex disparatis particulis conflatam male cohaerere. Ita fit, ut parum studeant investigare, cur suo quidque loco positum sit, quid antecedat, quid consequatur. Denique veteres saepe mystica consectantur, verborum propria sententia prorsus neglecta.

Ergo regem senem atque stultum iam *Chald.* interpres existimavit esse Roboam filium Salomonis. At nec senex ille (3 Reg. 12) nec eo, quod nullum, sed quod perversum consilium secutus erat, regno expulsus est. *Pin.* ipsum Salomonem esse regem stultum putat. At ubi ille, quem omnes mortales sequebantur? Causa autem, cur regnum a stirpe eius auferretur, num consilii prudentis morosa contemptio? Alii Saulem et Davidem compararunt, vel Pharaonem et Iosephum, vel Nimrod et Abraham; rursum alii descendendo per inferiores aetates Ioam et Amasiam vel Astyagen et Cyrum, vel Oniam magnum sacerdotem et Iosephum sororis filium (200 a. Chr.), vel Achaeum et Antiochum Magnum, vel Herodem illum Idumaeum et Alexandrum filium. Recte autem videntur *Hengst.*, *Elst.*, *Cast.*, *Wr.* existimare certum aliquem hominem designatum non esse, vel saltem *Umbr.*, *Ew.*, *Zoeckl...* negare eum nunc demonstrari posse. — Sed alia vetustissima opinio est, hunc locum « spiritualiter » intelligi vel debere vel licere. Hieronymus in comment. primo loco celebrem apud Iudaeos auctorem, Baracibam, disserentem inducit : « meliorem esse *interiorem hominem*, qui post quartum decimum pubertatis annum in nobis exoriatur, *exteriore homine*, qui de matris alvo natus sit, qui nesciat recedere a vitio et qui de domo vinctorum, de utero videlicet materno, ad hoc exivit, ut regnaret in vitiis... » Quam explicationem exempli causa affero; manifestum est autem eam ad veram verborum sententiam describendam inutilem nec eo consilio ab auctoribus propositam esse. Deinde Hieron. ubi Gregorii Thaumaturgi et Apollinaris Laodiceni simplicem verborum enarrationem retulit, Originis et Victorini facit mentionem in hunc modum : « Post generalem illam sententiam, quae omnibus patet, quod melior sit adolescentulus pauper et sapiens, quam rex senex et insipiens, et quod frequenter

evenit, ut ille per sapientiam suam etiam de carcere regis egrediens imperet pro dominatore perverso, et rex insipiens perdat imperium, quod tenebat : super Christum et diabolum hunc locum interpretati sunt, quod puerum pauperem et sapientem Christum velint ». Et paulo post additur : « simulque duo ex Israel populi significantur. Prior qui ante adventum Domini fuerit, et posterior qui Antichristum pro Christo suscepturus est, quod prior non penitus sit abiectus... et in fine Iudaei, qui Antichristum pro Christo suscepturi sunt, non laetentur in Christo » (haec de v. 16 dicuntur). Aliquanto autem supra idem ille haec scribit : « Quidam hunc locum ab eo, quod ait : Est unus... (v. 8) super Salvatore interpretantur, quod solus et absque ullo comite ad salvandum mundum descenderit... » Apparet in his rebus mos veterum « spiritualiter » interpretandi ea quoque, quae secundum veram verborum notionem prorsus diversa significent. Similia apud Olymp., Alcuinum, alios inveniuntur, quae bona cum sint per sese, tamen veram scriptoris sententiam obscurant atque adeo obruunt. — *Hahn* pro suo instituto sibi hoc potissimum loco demonstrandum sumpsit de *tollendo peccato, Christi interveniente redemptione*, agi, atque ad id efficiendum ut viam sibi muniret, multa iam ante, ut vidimus, satis mire interpretatus est. Sententiam autem versuum 13-16 sic breviter complectitur : Avaritia stultorum cedere iam debebit amori verae Sapientiae, quae tam certo faciet homines beatos, quam certum est, eam aliquando dominaturam esse in terras gentesque universas. » Deinde a v. 14 nihil iam nisi de Christo esse censet, qui sit « secundus », i. e. rex verus Israel, melior illis « primis », qui salutem afferre populo non potuerint. Ille autem puer divinus e carcere atque adeo e sepulcro surget ad regnandum in suo loco (תַּחְתָּיו), i. e. in solio patris David. Eum innumerabilis multitudo omnium aetatum colet; postremi autem, i. e. Christi in terra degentis aequales non gaudebunt adventu eius, quae est summa vanitas. At quis credat v. 16 post multitudinem omnium fidelium Christianorum in hunc modum posse continuari orationem : etsi *postremi*, i. e. Iudaei Christi aequales non gaudebunt in eo? Porro unde tandem intelligitur « secundum », nulla addita explicatione, id valere, quod Hahn vult? Denique ut non *prorsus* alieno loco videretur mentio de Christo fieri, id ille supra explicationibus maxime singularibus perfecit. Quapropter neutiquam probari posse existimo locum esse de Messia, nec id ea interpretatio, quam adhuc per totum hunc librum sequendam esse putavimus, ullo pacto admittit.

Ad singulos versus : v. 8 recte Vulg. servat « oculi » numero plur., ut etiam hebr. scriptum legitur, etsi Masoretae legere iubent numerum sing.; sed huiusmodi pluralis rerum inanimarum bene componi potest cum singulari verbi finiti, cf. 1 Sam. 4,15, item infra 10,1. Vulgatae accedunt paene omnes recentiores. Singularem verterunt LXX et Syrus. — In ultimo inciso primam pers. (אֵנִי) ad Ecclesiasten tamquam ad avarum proprie spectare voluerunt *Hitz.*, *Ren.*; alii, ut *Olymp.*, *Zoeckl.* ad avarum resipiscentem; alii tamen eo fere modo explicant, ut est in Vulg., *Chald.*, *Thaum.*, inter recentiores *Elst.*, *Mot.*; optime, ut videtur, *Cast.* : « *Maioris efficaciae* causa scriptor loquitur prima persona » ; v. supra p. 190.

V. 9 cum ceteris certe ita interpretandus est, ut ipse ille homo avarus moneatur, ne commoda negligat vitae sociatae; *Pin.* quoque, quem vidimus negare illum sua voluntate et vitio vixisse solum, tamen hic ita disserit : « Eum, qui unus et solitarius a natura est, quamvis multis opibus laborare non cesset, salutari consilio instruit Ecclesiastes, ut, ne tam solus sit tamque ab aliorum praesidio imparatus, faciat sibi amicos ex mammona iniquitatis atque naturae orbitatem resarciat et soletur aliorum societate, de quibus ingenue, liberaliter et bene mereatur : sic fiet, ut liberali usu divitiarum genium suum minime defraudet, quin potius iucundissima atque honestis-

sima societatis et amicitiae voluptate fruatur, et levi ac vili suarum pecuniarum pretio ingentia commoda, quae ex societate et benevolentia multorum comparantur, habere possit. »

V. 10 אִילוֹ recte LXX, *Vulg.*, *Syr.* et omnes fere recentiores separandum censent, ut sit « vae ei », cui addatur (in hebr.) appositio : « illi uni »; cf. 10,16 (separant etiam codices multi editionesque). *Gr.*, *Chaldaeum* secutus, legi vult אֲלוּ = si (cf. 6,6, ubi tamen non sequitur אֲשֶׁר, nec Esth. 7,4); absurdum enim dicit, ob pedis lapsum alicui « vae » inclamare. Sed non attendit, in horum sodalium itinere ut latrones incursare (v. 12), ita posse etiam graves casus occurrere; deinde poeticae hae sunt imagines pro quibuslibet periculis, quae possunt certe amicis gravissima accidere.

V. 11 de coniugatis intellexit *Chald.*; perperam, ut omnes fere censent interpretes; id ne includitur quidem, quia sodalitas virorum designatur v. proximo.

V. 12 verbo תָּקַף quidam prostrationem, alii aggressionem significari volunt; 6,10 iunctum particulae כֹּחַ valet : « vim habere (maiorem) », ergo hic vertamus : vim inferre, violenter aggredi. Proxima enim vocabula eiusmodi sunt, ut neuter amicorum videatur primo impetu prostratus esse. Subiectum eius verbi indefinitum est : si *quis* eum, i. e. illum unum, vi invaserit... ; ita reddunt LXX, Vulg. et longe plurimi recentiores (cf. 2 Sam. 14,6; Prov. 13,24). Non potest commode legi יִתְקְפֵנִי, quia sequitur pron. sing. (ceterum de suffixo ĉhu pro ô cf. Hos. 8,3; Ps. 35,8). Sunt autem, qui « unum illum », aliter atque vv. 9-11, pro peregrino aggressore accipiant : *Cast.*, *Rosenm.*, *Gr.* cum *Syr.*, *Chald.*, *Ab. Ezr.*; sed articulus defin. obstare videtur.

Verba לְהַזְהִיר עוֹד כִּי LXX videntur iunxisse : τοῦ προσέχειν ἔτι ὅτι ἐξελεύσεται = « attendere amplius ad hoc : proditurum esse ». Ita certe intellexit *Thaum.* : ᾧ ἐνθύμιον οὐ γεγένηται ὡς δυνατόν ἐστιν... ; item *Olymp.* Hinc explicatur etiam illud Vulg. : « qui nescit praevidere in posterum (= עוֹד = ἔτι), quod ». Facilius fortasse hoc modo explicantur duo כִּי, quae alioquin nescio quomodo offendunt legentem; sed quoniam pro « praevidere in posterum » proprie vertendum est « illustrari amplius », nescio an rectius soleat v. 14 a 13 seiungi, praesertim cum vv. 14 et 15 res tamquam praeterita narretur, cf. supra p. 192. Alterum כִּי iungo cum גַּם et pro coniunctione relativa accipio : « cum tamen etiam, etsi vel », cf. quattuor כִּי 8,6 et 7.

De v. 14 ambigitur, utrum ad senem an adolescentem pars posterior referenda sit. De sene dictam volunt *Chald.*, *Thaum.* et *Orig.* ciusque alumnus apud Hier., qui ipse quoque vertit : « et alius », auctorem secutus Symmachum (ut e comment. cognoscitur); ex recentioribus autem *Hengst.*, *Ginsb.*, *Gr.*, *Cast.* Rectius autem, quia subiecti mutati nullum indicium est, ad adolescentem utrumque incisum spectare dixeris; ea quoque, quae sequuntur ad eundem pertinent, et multo facilius, quod legitur « in regno *eius* », explicatur. *Gr.* quidem reddit : « in suo regno factus est miser », sed נוֹלַד valere « factus est » minime verisimile est, etsi Symm. quoque vertit ἐγένετο et LXX ἐγενήθη (quae possis ita explicare), Chald. autem certe eodem modo intellexit. *Hier.* et vertendo verba Symmachi : « cum esset rex natus, paupertate oppressus est » et in Vulg. : « natus in regno inopia consumitur » omisso *eius* pronomine legit נוֹלָד (partic.) et רָשׁ fecit verbum finitum.

Sed iam *Olymp.* totum versum de adolescente interpretatus est; item recentiores *Ew.*, *Del.*, *Wr.*, *Bick.*, *Mot.* Potest autem, ut dixi, כִּי גַּם verti « etsi etiam », ut fit a multis, vel « nam etiam », ut rationes afferantur, cur ille admodum adolescens

fuerit (יֶלֶד plerumque puerum sonat) et cur e carcere prodierit; erat *enim* non tot natus annos, quot ille regnarat, et homo de infima et sordida plebe. Quas rationes addi, certe melius est, quam de rege ea adiungi, quae nemo non sua sponte cognoscat vel opinetur; deinde pulchrum est, protenus omnino *tacere* scriptorem de illo, quem « mundus totus » deserit. Parum apte *Zoeckl.*, *Hitz.*, *Elst.*, *Vaih.*, *Ew.*, *Mot.* adolescentem dicunt in *suo futuro* regno natum esse pauperem. — Sunt pauci qui הַסּוּרִים non sine ratione probabili accipiunt de hominibus expulsis vel abiectis vel transfugis : *Ew.*, *Hitz.*; cf. Is. 49,21, Iud. 4,18. Sed nonnulli codices הָאַסּ (cum א) exhibent.

V. 15 adolescentem « secundum » alium ac priorem esse censent praeter *Hahn Cast.* et *Ew.*; sed, si res ita esset, quid sibi vellet articulus definitus in hebr., et cur de hoc altero, qui nulla nobis descriptione commendetur, plura dicerentur, quam de illo, cui iam favere coepimus? — *Ew.* part. עִם comparandi vim habere arbitratus est, ut scriptor se vidisse testetur universitatem hominum *compositam* cum illo uno homunculo et intellexisse, quam *nihili* esset unus alterve, quamque necesse esset, eius memoriam cito interire; sed quorsum hoc?

V. 16 *Gr.*, litteram לְ quinti vocabuli trahens ad quartum, vertit : « non est finis *laborandi* (illi seni); omnes qui ei serviebant (= erant coram eo) itemque postremi parum gaudebunt eo ». Quae mutatio facilem reddit versus constructionem, sed nec ob illam laboris mentionem placet, nec est necessaria; in eandem enim sententiam nostra explicatione deducti sumus : nec aequales nec posteros illo sene gaudere. Repetita autem mentio infinitae multitudinis (in primis vocabulis) post hyperbolen versus 15 mira videri nullo modo debet. Nec porro necesse est dicere « serviebant ei » (*Mot.* : « la multitude qui *leur* rendait hommage »), sed retineamus « qui erant coram eis », quibus verbis apte significantur aequales. *Vulg.* quidem et *Syr.* porro habent pronomen numero singulari, sed contra LXX (etiam apud Olymp. et Arab.) et *Symm.*, ut est in Comment. Hier., qui ipse quoque ibidem habet « ante illos », nec aliter Chald. et Ven. — *Bick.* hoc loco multa intercidisse arbitratur; illud certe recte censet, quae dicta sint de posteris, ea ad regem senem spectare, non ad eum, qui regnum invaserit. Multo enim convenientius exemplum illius stulti senis calamitate absolvitur; si enim alter quoque, nulla ratione allata, similem sortem nactus dicitur, iam non stultitia, sed fortunae ludibrio prior videtur decidisse; adversatur igitur scriptoris consilio, hic plura (duo vel etiam tria) poni exempla, quibus fortunae mutabilitas declaretur, ut volunt *Zoeckl.*, *Del.*, *Wr.*, *Cast.*, *Ren.*, *Elst.*, *Mot.* Recte, ut Bick., ita *Gr.* et alii; melius etiam est sane, suff. 3. pers. sing. tribus locis continuis (vv. 14-15. 16) de eodem intelligere, et in clausula versus, si ea quae proxime antecedunt ad *iuniorem* spectant, tota illa « sapientia » (v. 13) subito vanitas dicitur nervusque argumentationis interciditur.

Verba אֲשֶׁר הָיָה לִפְנֵיהֶם suo iure permulti, Chaldaeum secuti, vertunt : « quibus praeibat s. praeerat adolescens »; ita *Knob.*, *de Wette*, *Hitz.*, *Ginsb.*, *Del.*, *Wr.*, alii; cf. 1 Sam. 18,16; 2 Chr. 1,10; Ps. 68,8. Sed fit difficilius proximum בְּ ad senem referre, quod quidem maxime necessarium existimo, ne locus totus (vv. 13-16) sua sententia propria, quae est in hominis solitarii reprehensione et imprudentiae castigatione, exuatur. Totum hunc locum *Mot.* non bene, opinor, de Iosepho illo Aegyptiaco interpretatur; itaque intelligit verba « in eius locum venit » : primus eius administer factus est; item : « natus in regno suo futuro » : venit (!) in Aegyptum. Quid omnino rationis est, cur res factas, non fictas proponi dicamus?

Partis secundae recapitulatio 1. *De indignantibus* 4, 17-5, 7.

ARG. — Perdifficilis est aditus ad proximam cohortationem, quae usque ad finem septimi capitis producitur. Post 4,16 aliquam conclusionem exspectamus similem illis, quas vidimus 2,24; 3,22. Pro qua longa ponitur admonitio, cuius primum versum capitum divisores parum apte ad c. 4 traxerunt, sine dubio, ut esset pro conclusione alibi usurpata. Sed multo molestius est, quod ea ipsa, quae dicuntur, nullo vinculo cum superioribus iungi videntur, quam ob rem plerique generatim « praecepta de religione et pietate » ea nuncupaverunt.

At vidimus primam libri partem quadam quasi *peroratione* absolvi, nec recte plerosque illam de tempore disputationem (3,1-15) ab iis, quae ante disputata erant, separasse. Idem hoc loco divinari oportet. Sic igitur statuamus : ad exempla proposita a 3,16-4,16 nunc amplificationem applicationemque vitae utilem adiungi. Primum autem aliquid exspectamus, quod ad *iniustitiam* iniuriamque patienter ferendam spectet ac respondeat 3,16 sqq. Et sane 5,7 hic ipse locus aperte attingitur. Et quoniam 3,16 sqq. etiam *illa* indignatio tractata est, quae Dei providentiae (iudicium differentis) obniti videretur, hic aptissime *reverentia* divinae maiestatis commendatur (4,17), quae imprimis a *verbo* imprudenti (5,1 sqq.) caveat; nam expostulatio cum Divina Providentia solet *querelis* potissimum Deo iniuriosis uti. Porro ab octavo vel nono versu rursus aliquo saltem modo de avaris ut 4,8 sqq., denique 6,1-6 de homine ditissimo (rege), ut 4,13 sqq. agi manifestum est... Ita primo aspectu iudicari omnino oportet, a 4,17 sqq. usque ad 6,6 responderi ad ea, quae supra 3,16 sqq. disputata sunt. Atque hoc multis indiciis fiet infra vel probabile, vel potius certum.

Verba audiamus; totum enim locum oportet in uno conspectu poni, ut de summa sententia iudicetur.

4,17 « *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei et appropinqua, ut audias. Multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimae, qui nesciunt, quid faciunt mali* » ; 5,1 « *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo, Deus enim in coelo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui* » ; v. 2 « *Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia* » ; v. 3 « *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio, sed quodcumque voveris, redde* » ; v. 4 « *Multoque melius est, non vovere, quam post votum promissa non reddere* » ; v. 5 « *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam*; *neque dicas coram angelo : « Non est providentia », ne*

forte iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum » ; v. 6 « *Ubi multa sunt somnia, plurimae sunt vanitates, et sermones innumeri; tu vero Deum time* » ; v. 7 « *Si videris calumnias egenorum, et violenta iudicia, et subverti iustitiam in provincia, non mireris super hoc negotio ; quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii* » ; [v. 8 « *Et insuper universae terrae rex imperat servienti* ».]

Transitio ad hunc totum locum fit subito, ut in priore recapitulatione c. 3, nec id inusitatum est, cum in extrema aliqua disputatione vel oratione praecipua argumenta amplificando repetuntur. Sed ut illic, ita hic reditur ad id, quod toti tractationi fuit propositum, ut Dei causa, mundum fortiter regentis et omnem conatum suae voluntati contrarium severe reprimentis, studia vitiosa compescere disceremus. Modo (4,13-16) terribilis apparuit Dei poena in regis insipientis ruina. Itaque non inepte sic pergitur : « Cave tibi, ubi res tibi erit cum Deo, apud quem melior est obedientia quam victimae (1 Reg. 15,22) ; nihil enim Ille mali aut facit aut praecipit. » Deinde haec norma ad singula vitia proposita accommodatur, ac primum quidem ad *indignationem*.

In v. primo huius partis (4,17) non existimo *proprie* de adeundo templo agi, sed generatim de adeundo Domino, id quod ad generalem interpretationem aptius est, quam *subito* iniici mentionem de modo frequentandi templi. Nam generatim explicandum hoc loco videtur, quanta observantia homo debeat se gerere erga Deum. Et re quidem vera in ipsis verbis fortasse indicia quaedam sunt; nam 1) in templo non proprie audiebantur legis praecepta, sed preces cantusque, hic autem manifestum est intelligi auditionem praeceptorum, quamobrem plurimi « audire » cum Vulg. interpretantur « obedire » (1 Sam. 15, 22), nec 2) נְתַן זֶבַח de immolatione usitate dicitur; 3) vitari ab Eccles. *omnem* significationem legis Mosaicae magna sunt indicia, cf. supr. p. 38. Ergo totum versum puto esse poeticam enuntiationem huius sententiae : Cave ne temere irruas in conspectum Dei; melius est ab eo petere verba praecepti, quam omnia pietatis opera insipientium praestare. Iam etiam ultima particula versus, in qua tantopere laboratur, quam optime expeditur; ad Deum enim spectare censeo in hunc modum : « Nescit enim mali s. pravi quidquam agere ». Num. plur. participii amplitudinem maiestatemque designat, ut 12,1 et mea opinione, etiam 5,7; cf. Ios. 24,19 : אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא = Dominus sanctus est; Gen. 20,13; 31,53; Dan. 7,18. 22; Hos. 12,1; Prov. 9,10; 30,3 etc. Valde autem improbabiles ceterae *omnes* interpretationes videntur, velut ea ipsa, quam facile optimam dixerim : « Nesciunt quid faciunt

mali » (Vulg.) vel, ut est in comm. Hieron : « Nesciunt, quod faciunt, malum (esse) ». Explicat ipse : « Quod (i. e. audire) stulti nescientes remedium esse peccati, aestimant oblatione munerum Deo satisfacere se posse, et ignorant hoc quoque malum esse, non obedientia et operibus bonis, sed donis et victimis emendare velle, quod fecerint ». Licebat fortasse hebr. verba ita explicare (minus quidem usitate) : « Nescii sunt faciendo s. dum faciunt malum », item verba LXX : οὐκ εἰδότες τοῦ ποιῆσαι κακόν. Sed nec haec inerpretatio probanda est, nec illa non absimilis : « Nescii omnino sunt insipientes, ita ut agant perverse » (*Del.*). *Nemo enim non sua sponte iungit* יֹדְעִ֣ים לְ, et satis *supervacaneum* fuit, eam sententiam, quam eruunt, addi. Contra vis inest maxima, si removeri a Deo crimen erroris aut iniustitiae dixeris; qua re repente fit luce clarius, quo universa admonitio tendat. Nec grammatice difficile est, Deum facere subiectum sententiae, etsi modo nominati sunt « insipientes », quia, ut nostra fert interpretatio, notio Dei longe principalis est totius versus, illi autem indirecte tantum per comparationem commemorati sunt; cf. autem relationem pronominum 4,14-16.

Iam 5,1 non abrupte ad templi frequentationem, ut omnes volunt, cautio prudentiaque sermonis adiungitur, sed, quod proprium est huius loci, *divinae maiestatis,* mala in hoc mundo fieri patientis, *reverentia* amplius commendatur. Facit enim indignatio illa de dilato iudicio Dei, ut homo, quemadmodum est in hebr., facile « prorumpat ore suo et mente properet ad proferendum sermonem », ineptum sane, « in conspectu Domini », oblitus *excelsae* maiestatis Eius, qui regit coelum et terram et suae ipsius *humilitatis,* cui essent congruentiora in huiusmodi negotio verba *paucissima.* Apparet quam apte singula vocabula electa sint ad eam, quam volumus, sententiam exprimendam. Item proxima (v. 2) : Nam ut qui nimium sollicitus fuit interdiu, noctu somniorum texit commenta, ita qui multa temere eloquitur, effutit stultitiam. Ubi prior pars vim habens comparationis coordinate ponitur, quae constructio est et audacior et gravior. *Eodem* hoc artificio deinde duo integri versus (3. 4) de voti faciendi cautione proponuntur, qui non habeant nisi vim *comparandi;* sequitur applicatio versu demum 5. Expressit scriptor partim ipsa verba Deut. 23, 22-24, ut quasi praeceptum repetens Domini moneat, caute loquendum coram illo; fortiore enim argumento concludendum est, in re praesenti cavendum esse a temeritate sermonis. « Ne dixeris », inquit v. 5, « coram angelo : error fuit » (hebr.). Vox שְׁגָגָה significat peccatum vel errorem oblivionis, quasi dicatur : « Deus non attendens s. tamquam dormitans hoc permisit », quod si ex animo pronun-

tiatur, blasphemia est, si in subita commotione animi, saltem summa irreverentia. Iob 34,18 in eadem de providentia quaestione Elihu increpat Iobum cum Deo expostulantem : « An regi licet dicere : Impie! et principibus : Facinorose! » Est sane similis in levi etiam murmuratione Dei iniuria, etsi saepe imprudentibus excidere verba solent parum considerata. « Coram angelo », h. e. vel : coram eo coelitum, in cuius tu tutela es quique te perpetuo comitatur, vel : coram eo Dei nuntio, qui *ipsius Dei personam* agens te observat, iudicat, punit; nam quidquid a Domino fit, id in Scriptura per aliquem angelum interpretem fieri dicitur, ita ut saepe promiscue usurpentur « Deus » et « angelus Dei », ut Gen. 16,9. 10. 13 et Ex. 3,2. 4, ubi Vulg. etiam pro « angelo » ipsum « Deum » posuit, item hoc ipso loco LXX verterunt πρὸ προσώπου τοῦ θεοῦ. Ergo qui quodammodo in faciem maledicit Deo, negans eum satis providere rebus omnibus, is in « peccatum ac poenam » uno oris verbo coniicit « carnem » s. corpus s. personam suam totam; nam הַחֲטִיא valet : peccato et poena obstringere (Deut. 24,4; Is. 29,21) et בָּשָׂר (cf. 11,10; 2,3) poetice designat ipsam personam. Non potest autem non irasci Deus huiusmodi insipientiae nec abstinere a poena gravissima. Cur igitur Eum tibi vis reddere inimicum? « In somniis enim profecto » (v. 6; reditur ad comparationem positam v. 2, interruptam brevi illa digressione de votis), in somniis profecto et ineptiis (vanitatibus הַהֲבָלִים) numeranda sunt etiam (וְ) verba multa; vel ut paullo liberius Vulg : « Ubi multa sunt somnia, plurimae sunt vanitates et sermones innumeri »; somnia enim supra appellati sunt stultorum quasi delirantium sermones (v. 2). Sequitur gravis conclusio : « Immo (כִּי) tu Deum time. » Et magis perspicue idem dicitur v. 7 : itaque si vexationem pauperum et iuris iustitiaeque oppressionem videris in conspectu tuo, noli indignari nimis עַל הַחֵפֶץ, i. e. de isto studio, de ista violentia atque impudentia malorum. Pro verbo autem « indignandi » תְּמַהּ usurpatum est, quod terrorem, stuporem, perturbationem sonat; cf. qal et hithpael iuncta Hab. 1,5 : « admiramini et obstupescite » (Vulg.), item Is. 29, 9 : « Obstupescite et admiramini » (ib.), et Is. 13,8 solum qal : « unusquisque ad proximum suum stupebit ». Monet igitur scriptor, ne quis in eum affectum ingentem se sinat abripi, qua homini quodammodo mens ipsa excutiatur, qualem in se revera descripsit 3,19 sqq., sed ut sistat in recordatione iudicii futuri (ib. 17); nam ut inter homines excelsi observantur ab excelsioribus, ita Celsissimus iudicabit omnes (comparatio per coordinationem expressa ut v. 2). Num. plur. גְּבֹהִים eodem modo maiestatem Dei significat, ut 4,17 (Vulg. saltem v. 8 trans-

it ad Deum). Bene ista admonitio in iudicii mentione *subsistit*. Supra (3,17) praevia recordatio iudicii non videbatur placare meditantem, qui, ea relicta, in acerrimam indignationem prorupit; sed potius illa (ut nunc praecipitur) amplectenda et tenenda in eaque conquiescendum, haec autem prorsus comprimenda fuit.

Non existimo iam posse ambigi, quin a 4,17-5,7 proponatur remedium illius vitii, quod descriptum est 3,16-22, vel potius usque ad 4,3. Nam ad duas res *similes* illic separatim tractatas Eccles. hic maluit respondere coniunctim. Utrobique, ut rerum gravitas postulabat, dictio usurpata est nervosa et incensa et feliciter audax; omitto singula ostendere, sed manifestum videtur non potuisse haec nisi a magno dicendi artifice conscribi.

Restat autem, ut quaedam accuratius tractemus nostramque interpretationem amplius defendamus.

Non est, cur infitiemur duas esse difficultates. Prior versatur in explicanda « domo Dei ». Sed nec ipsa audacia poetica aliena est ullo modo ab huius libri scriptore nec translatio « domus Dei » ad alia significanda inusitata. In Cant. Cant. 1,16 « domus » fingitur divini Sponsi et Ecclesiae, quam mundi huius quasi templum vel aliud simile intelligere licet; item Bar. 3,24 « domum Dei » prorsus « mundum » designare existimo. Sed manifestam similitudinem offert בֵּית אֱלֹהִים Gen. 28,17 (19). Omnino recordari videtur Eccles., dum reverentiam divinae maiestatis inculcat, illius visionis Iacob patriarchae et horum potissimum verborum : « Vere Dominus est in loco isto... Pavensque : Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi *domus Dei* et porta coeli. » Iam vero quid magis poeticum, quam eiusmodi imagine uti, qua sub sensus subiiciatur Numinis maiestas? Congruit, quod de pedum custodia dicitur. Nihil enim communius apud veteres, quam sacerdotes atque etiam alios supplices ad loca sacra accedere pedibus lotis ac nudis, unde illud symbolum Pythagoricum : « Discalceatus sacrifica et adora » et praeceptum Moysis ab ipso Deo e rubo loquente datum : « Ne appropies huc : Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est » (Ex. 3,5). Si ita interpretamur, minus etiam causae est, cur mutemus « pedes » in « pedem »; ut Masoretae volunt et exhibet Vulg., etsi *translate* frequentius usurpatur numerus sing. (cf. autem Prov. 1,16 et ps. 118,59). Vox « appropinquandi » e loco, quem modo exscripsi, deprompta videtur, nec ullam iam admirationem movere debet, quod auditio praeceptorum commendatur ei, qui ita accedat ad « domum Dei », etsi ad *templum* non eo imprimis consilio adibant. Porro num. plur. יוֹדְעִים, quia amplitudinem dignitatis significat, hoc loco, ut 5,7 et 12,1, magis effert

id ipsum, quod scriptor premere vult et proximis versibus amplificare pergit, *maiestatem* divinam. Est autem huius incisi ultimi explicatio a nobis proposita eiusmodi, ut sit et ad grammaticam facillima et ad sententiam uberrima; ceterae et difficultate non contemnenda laborant nec ad rem, quae tractatur, multum afferunt. LXX habent : οὐκ εἰσὶν εἰδότες τοῦ ποιῆσαι κακόν; quod quidem ita non est perspicuum, ut in multos codices irrepserit vitiosa emendatione καλόν. Qui vetus videtur esse error; nam et *Syr.* et *Ar.* « bonum » verterunt. Aliter *Chald.* cum Midr. : « bonum et malum non discernunt. » Itaque in mentem venit Pagnino aliisque, ut vocem hebr. רַע ex aramaico derivantes explicarent « voluntatem » (Dei), et Graetzio, ut scribendum proponeret טוֹב אוֹ רַע. *Hahn, Ren., Wr.* explicant : « nihil sciunt nisi facere malum »; quorum duo posteriores addi volunt כִּי אִם = nisi. Alii reddunt : « nesciunt se facere malum », ut *Ew., Elst., Zoeckl., Mot.*, et iam *Olymp.* verba LXX ita enarrat; sed exemplo 1 Reg. 19,4 minime comprobatur sciendi verbum adiuncto לְ vim habere posse accusativi cum inf. Similis est *Hieronymi* tum in comment. tum in Vulg. explicatio. *Del.* vertit : ignari sunt ad faciendum (i. e. ignorantes s. ob ignorantiam faciunt) malum; sed לֹא יָדַע לְ nec invenitur sic usurpatum nec facile in hanc sententiam (usitatae *contrariam*) a lectore intelligi potuit. *Knob.* et *Vaih.* interpretantur : « negligunt se male facere », *Hitz.* : « nesciunt tristes esse »; quidam vetustiores : « ad nihilum rediguntur, qui nihil norunt nisi... »; *Bick.* non pauca verba intercidisse arbitratur. *Herzf.* et *Ginsb.* aliud quaerunt subiectum idque contineri censent in verbo « audiendi », in hunc modum : « nesciunt ii, qui Deo obediunt, facere quidquam mali »; sed quoniam toto hoc loco (4,17-5,7) perpetuo Dei sanctitas proponitur et saltem in extrema parte (5,5. 7) eius providentia eo modo, quo 3,16 sqq., attingitur, ad *Deum* illa verba spectare dicendum est, eoque consilio usurpari, ut iniustitiae crimen ab eo removeatur.

Verbum hoc קָרוֹב vel pro imperativo poni vel adiectivum esse, ad quod audiendus esset imperativus, opinati sunt *Aq., Hier., Syr., Chald., Rosenm., Hengst., Cast.*; LXX nude reddunt ἐγγὺς τοῦ ἀκούειν. Infinitivum melius pro subiecto acceperunt *Ren., Del., Hahn, Zoeckl., Bick.*, alii; pro obiecto *Böttch.*, ita ut ex « observa » pendeat. LXX a voce מִבִּיאָתָ (sic legisse videntur) novum enuntiatum incipi censuerunt : ὑπὲρ δόμα τῶν ἀφρόνων θυσία σου, item eos secutus interpres *Arabs*; sed pronomen 2. pers. non est in hebr. Apud *Hier.* olim edebatur similiter : « super donum enim insipientium sacrificium tuum », nunc ita : « donum enim insipientium sacr. » (Migne), ac si legerit מִבִּיאָתָ; idem amplectitur *Cast.* Quodsi קָרוֹת vel pro subi. sumitur, cuius quidem rei exemplum nullum est, vel pro obi., vel imper., particula בִּין vim habet

comparativam, omisso טוֹב, cf. 9,17; Is. 10,10; Ez. 15,2 (Del.). — Sententia, eadem ascita comparatione, frequenter invenitur : 1 Sam. 15,22; Prov. 21,27; Is. 1,13; Os. 6,6.

Offensionem non levem esse in subita transitione a v. 16 ad reliqua, praesertim si *proprie* domus Dei intelligitur, nonnulli senserunt. « Nullo vinculo », inquit *Del.*, « vel instar appendicis vel in modum embolii, hae sententiae s. apophthegmata ad superiorem tractationem et narrationem adiunguntur ». Quantum laboratum sit a veteribus, ut apte hunc versum connecterent ceteris, v. apud *Pin. Castelli* eum transponit post secundum proximi capitis; *Eichh.* et *Hahn* translate vel comparative dicta esse ea, quae de templi frequentatione ponuntur, viderunt, etsi, quo proprie spectent, non recte explicant. Antiquitus *Thaum.* templi mentione adductus est, ut *sacerdotibus* vel *praedicatoribus* praecipi diligentiam putaret : « Quisquis Ecclesiastae munere fungeris, illud ob oculos habeto, ut et rectum vitae iter teneas, et pro stultis preceris, ut hi quoque adhibita prudentia malorum agendi modum vitare sciant ». Multo melius *Olymp.* : « Observa animi ingressum in rebus omnibus, dum ambulas et appropinquas in conspectum domus Dei, quae est Hierusalem coelestis. »

Ut concludam : et initio versus et in clausula deprehenditur summa difficultas communis interpretationis; contra in ea, quam proposuimus, nihil est insolitum nisi « domus Dei » ad novam significationem poetica translatio. Cuius tamen unum saltem simillimum exemplum in promptu est; quodsi non esset, nonne audacia ipsa poetarum satis probaret, vocem *potuisse* ita transferri? Sententiam autem eruimus longe aptissimam ad reliquam Ecclesiastae disputationem; quae quidem stabit, etiamsi omnino velis « domum Dei » proprie accipere et ita explicare : Ad templum accedens vide ne indignus sis Dei conspectu ob animi tui malos affectus sermonesque Providentiae iniuriosos; nonne recordaris, quam severe Deus in votis verborum peccata puniat? ergo cave a Dei iniuria, cuiusmodi continetur in expostulatione cum Providentia. Sed malumus novam « domui Dei » notionem attribuere, quam ita repente ac prorsus sine causa inducere templum Hierosolymitanum.

Est autem haec prior quaestio coniuncta cum altera de *votis*. Satis habent hic quoque interpretes dicere, agi de votis; qua ratione scriptor adductus sit, ut eorum faceret mentionem, non quaerunt. « Diversa », inquiunt, « proponuntur de pietate praecepta ». Sed qualis tandem haec erit disputatio : Postquam de regis calamitate tractatum est (4,13 sqq.), monet scriptor, ut ad templum caute accedat homo et audiat potius verbum Dei, quam hostias indignus immolet; deinde,

ne quid temere loquatur, ut vota servet semel facta, ne dicat coram angelo : error est, neve miretur subverti iustitiam; sequitur denique reprehensio avaritiae (a 5,9)! Ergo ut modo, sic nunc quaerendum imprimis putamus, quo *vinculo* haec omnia coniungantur, ne Eccles. videatur esse scriptor *omnis artis* expers.

Iam vero concedimus, audacius interposita esse ea quae de votis dicuntur, si (ut nobis visum est) *indirecte* tantum ad rem tractatam pertineant. Sed 1) non aliter se habet 2^a ad 2^b, ac 3 et 4 ad 5; ergo ut somnia e sollicitudine profecta ad stultos sermones referuntur, ita Dei severitas in votis servandis ad periculum iniustae querelae : *comparationis* causa unum praemittitur alteri; 2) quoniam vv. 1. 2. 5. 6 de *sermone* admonent, item vv. 3. 4 ad *sermonem*, ut videtur, spectare necesse est. Iam ut fert communis explicatio, nihil ibi de concipiendo, sed de *explendo* voto dicitur, non oris, sed operis peccatum reprehenditur. Illud enim Vulg. « displicet ei infidelis et stulta *promissio* » in hebr. est : « displicent ei insipientes ». Itaque id ipsum taceret scriptor, quod fuit maxime dicendum : in *concipiendo* voto posse esse *oris* peccatum. Nos argumentamur a severitate Dei in una re ad eius severitatem in altera; ergo etsi voti comparatio adhibetur etiam idcirco, quod vota verbis concipiuntur, tamen praecipue hic agitur de *operis* peccato, cum vota non implentur, ac satis est *secundariam* esse comparationem in sermone. Huiusmodi est re vera conformatio totius loci, qualem scripsit Eccles.

Nonnulli, ut oratio scriptoris paullo melius cohaereat, iam 5,1 ad vota (in templo facta pertinere dicunt. Sed quemadmodum verborum proprietas declarat, irreverentia *omnis*, quae in festinato sermone coram Deo committitur, generatim castigatur, et « festinatio ac properantia « $5,1^a$ (hebr.) potius designat irae vel similis cupiditatis affectum. Deinde vv. 2. 6, *multiloquium* reprehenditur; sed num vota tam multa stulte concipiuntur? Contra querelae de Providentia frequentissimae sunt. Denique in leviter *concipiendo* voto, dummodo promissum praestetur, non solet esse tanta irreverentia, quanta toto loco reprehenditur. Rogaverim etiam, ut ostendatur ad v. 7 et ad 9 idonea transitio, et omnino ut quaeratur, qui in toto libro locus sit huic de votis disputationi. Potius igitur « paucitas » verborum ex iis, quae ante dicta sunt (4,17), explicanda est; monet Eccles., ne quis audeat expostulare cum Deo, quod « faciat malum » (כִּי אֵינָם יוֹדְעִים לַעֲשׂוֹת רָע), ne Providentiam incuset, ne quid *contra* Deum loquatur (ut recte *Cast.* interpretatur לִפְנֵי). Ac minus bene illustrandi causa afferunt Matth. 6,7 : « Orantes nolite multum loqui sicut ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur »; melius quadrat Prov. 10,18 sq. : « Qui

profert contumeliam insipiens est; in multiloquio non deerit peccatum ».

Reliqua iam facile ex ordine explicabimus. V. 2 « somnium post nimiam laboris sollicitudinem » explicandum est ex 2,23 et 8,16, ubi cupiditas curaque immoderata perturbare dicitur quietem nocturnam. Hic eadem res pro simili assumitur, quo appareat, eandem immoderationem etiam in *vigilantibus* afferre stultiloquium; nam ut somniatio est quaedam mentis perturbatio, item stulti cum Deo expostulantes quodammodo delirant. Quod idem repetitur v. 6 : « Nam in somniorum ac vanitatum infinita multitudine profecto annumerandi sunt etiam sermones multi ». Quam stultitiam tollit verus Dei timor (ib.).

Ad vv. 3-5. Ipsa repetitio (v. 6) vocis חֲלוֹם, qua se scriptor a digressione brevi revocat ad versus 2 sententiam, ostendere videtur, ea quae interposita sint, *exempli* tantum vim habere, unde severitas divinae iustitiae in verbis hominum observandis cognoscatur. Sed affert illud exemplum, e lege depromptum et quasi depressa voce graviter recitatum, magnum pondus argumentationi. Ad modum iungendi vv. 3 et 4 cum 5, cf. 8,8, ubi tria enuntiata coordinata comparationis vim habent, ut in ultimo demum vera sententia exprimatur; cuius vis ipsa illa praeparatione augetur. Ex uno igitur oris peccato cognoscitur alterum multo gravius. Nam si Deus vota pio animo facta (cur enim stulte facta intelligamus?), adeo severe exigit, quid in verbis contumeliosis et blasphemis faciet? Itaque sequitur poenae denuntiatio v. 5 : cave ne ore tuo, exiguo membro corporis, totum corpus atque personam culpa ac poena obliges (Deut. 24,4), blaspheme loquendo. Rectissime, ut mihi videtur, *Hier.* שְׁגָגָה הִוא vertit : « Non est providentia » ; nam de voto in hoc versu non iam agitur, sed verba, exempli gratia e Deut. relata, versibus 3 et 4 absolvuntur; hic autem argumentum ipsum, quod est de verbo *Deo iniurioso* et de reprehensione providentiae pertexitur. In qua interpretatione etiam מַלְאָךְ proprie accipere licet vel de angelo custode vel de eo, qui nomine Dei observator atque vindex est blasphemiae. « Angelus bonus », inquit *a Lap.*, « providentiae est administer; quare qui illam negat, *tam angelo quam Deo* est iniurius. Unde nonnulli hinc probant custodiam angelorum circa homines. Rursum ex hoc loco concludit D. Thomas I. 57,2 angelos habere cognitionem et providentiam rerum creatarum. Angelum ergo nominat, qui hic est providentiae divinae exsecutor, aeque ac tutor et vindex, perinde ac si quis dicat : Ne dicas coram praetore : « in hac civitate non est iustitia » — quia praetor, qui est iustitiae tutor et vindex, hanc inuriam a se depellet teque ob eam iuste capiet et pu-

niet ». Quare licuit omnino LXX interpretibus ipsum Deum ponere pro angelo eius personam sustinente. Quodsi quis *custodem* cuiusque angelum intelligere mavult vel angelum *orationibus* praepositum (Apoc. 8,3; Tob. 12,12; ita Pin.), parvi interest. Fuit porro vetus Origenis opinio aliorumque, certos *diabolos* certis vitiis praeesse. Sane in Scriptura et in vitis Patrum crebro nominatur v. c. angelus blasphemiae, luxuriae, superbiae. Hinc explicandum videtur, quod est apud *Chald.*, qui ipse quoque verbum « contumeliosum » intelligit : « Ne sermones tuos pervertas, unde corpus tuum in iudicium gehennae tradatur. Neque enim die magni iudicii poteris dicere coram angelo crudeli, qui arguet te : Ignorantia est. Tum enim Dominus iratus verbis tuis per contumeliam dictis dissipabit opera manuum tuarum ». Cf. Rabbinorum « angelos destructores » (מַלְאֲכֵי חַבָּלָה). Sed multo melius bonum angelum Dei administrum intelligemus; itaque Syrus quoque vertit « coram Domino » et Arabs distinctius : « Ne dicas esse in conspectu Dei corruptionem cognitionis ». *Hier.* in comment., etsi vertit : Ignorantia est — tamen omnino blasphemiam interpretatur : « Non in ventum dicta transeunt, sed a praesenti angelo, qui unicuique adhaeret comes, statim perferuntur ad Deum... Si enim hoc dixeris, Deum provocas quasi auctorem mali atque peccati ». Contra recentiores plerique totum versum ad vota referentes et ad sacerdotem (Mal. 2,7) vel eius ministrum, rem promissam exposcentem, comparant Num. 15, 22-26. Sententiam igitur esse volunt, inanem excusationem ignorantiae vel imprudentiae in votis coram ministro sacro adhibitam a Deo puniri. At v. 7 qua tandem ratione cum his connectetur? *Del.* dicit, post Dei timorem apte regis observantiam commendari; sed ne ipsius quidem explicatione de honore regibus deferendo quidquam in v. 7 exhibetur. Quinque alios nectendi modos v. apud *Pin.*

Versus 6 tantummodo constructionem grammaticam habet difficiliorem. Sententia apta non exsistit, nisi בְּרֹב intelligas « in multitudine *computantur* » ; cum enim hoc enuntiatum sit tantum repetitio v. 2, non potest in aliam sententiam explicari. Sequitur, ut de « verbis multis » quasi praedicative enuntietur : « sunt in multitudine somniorum », i. e. : etiam hoc loco multiloquia dicuntur somnia s. somniis similia; non, ut est in Vulg., de somniis, sed de verbis aliquid affirmatur. Nisi forte velis cum *Del.* partes huius versus traiicere in hunc modum : « Nam in somniis *et multiloquiis* etiam (= pariter) vanitates inveniuntur » s. non minus in multiloquiis quam in somniis sunt vana multa. Sed videtur conservari posse verborum collocatio, ut exstat : in somniorum infinito numero et vanitatum etiam verba multa computanda sunt. Optime *Olymp.* : « Tria inter se similia comparavit : inania somniorum simulacra, *vanos hominum labores* et loquacitatis ineptias. Affines enim somniis sunt loquacium sermones; nec vero quidquam a somniis discrepant *vana studia* mortalium ». Particula וְ ultimo loco « etiam » vertenda est, ut 2 Sam. 1,23; quod etsi rarius fit,

tamen nec est inauditum et ab aliis quoque interpretibus in *priore* וְ admittitur. S. Hier. utrumque pro « et - et » accepit, cuius rei plura exempla sunt : Ps. 76,7 ; Num. 9,14 ; Gen. 2,20. *Knob., Hitz., Elst., Zoeckl., Wr.* reddunt : in multitudine somniorum sunt *etiam* vanitates, item *in* verbis multis. *Ginsb.* et *Gr.* addito הִיא (= quod fit in) vel omisso כִּי hunc versum connectunt cum superiore *Ew.* et *Heiligst.* volunt e somniis *oriri* etiam vanitates verbaque inconsiderata. *Bick.* multa intercidisse putat. Ceterum quod illa verba natura sua blasphema non acrioribus vocabulis, quam versibus 2 et 6 continentur, reprehenduntur, demonstrat, intelligi verba *inconsiderate* dicta. Cf. diligenter de eadem re 7,8-11 ; 10,4 sqq. 12-14. 20, ubi ipsa paene verba huius loci repetuntur.

In v. 7, *Deum* supremum iudicem reverendum esse, plurimorum interpretum sententia, docemur ; e recentioribus nomino *Knob., Ew., Elst., Vaih., Kleinert, Hengst., Zoeckl., Hahn, Hitz., Heiligst.* Inter veteres *Olymp.* ita scribit ad hunc locum : « Cum videris a locupletibus et calumniatoribus inopes opprimi, noli admirari, h. e. noli graviter ferre et perturbari et nullam esse in mundo providentiam opinari. Omnibus enim excelsior *Deus* est, sedem obtinens coelestem et speculans omnia, quaecunque fiunt ab eo [homine], qui videtur esse excelsus et opulentus et gloriosus, ut suam cuique vel poenam vel mercedem pro merito retribuat ». *Hier.* autem sententiam fert in hunc modum : « Nitamur non pro voluntate nostra opinationum pannos hinc inde consuere, sed unum disputationis servare textum et eundem sensum et ordinem sequi. Supra dixerat : Ne dixeris in conspectu angeli, quoniam ignorantia est, ne irascatur Deus super vocem tuam... et adversus eos fuerat locutus, qui negarent providentia res humanas regi. Quia igitur adversus hoc praeceptum suboriebatur quaestio, quare iusti calumniam sustinerent et quare iniqua fiant in toto orbe iudicia et non est ultor Deus, nunc infert et solvit, quod opponi poterat, dicens : Si videris calumniam pauperis, qui beatus in evangelio praedicatur, et res vi geri, non iustitia, ne mireris et tibi novum aliquid videatur. Excelsus quippe super excelsos haec respicit Deus, qui angelos suos super iudices et reges terrae praeposuit ». Itaque Hieronymi sententia non directe hic Deus dicitur vindex, sed tamen indirecte, per *angelos* ministros ; eamque interpretationem in Vulg. fortasse expressit vertendo : super hos eminentiores sunt *alii* (plur.) » (in comment. : *excelsior* est super illos). Existimat enim, ut mox videbimus, v. 8 demum agi de Deo supremo vindice malorum. Est autem exemplum ultionis divinae huic loco vel maxime congruum Dan. 4,10 sqq. : « Ecce vigil et sanctus de coelo descendit. Clamavit fortiter et ait : Succidite arborem... In sententia vigilum decretum est... donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum ». Ut

omittam *Thaum.*, cuius verba hoc loco intelligi vix possunt, iam *Chald.* interpres iudicium *Dei* exspectandum esse docuit, ita tamen, ut ministros adhiberet viros fortes bonosque : « Ne commovearis dicens : Quae tandem in his rebus omnibus Dei voluntas? Is enim potentissimus e coelo observat hominum opera et bona et mala; ab eo viri magni atque fortes mittuntur, qui cohibeant sceleratos eisque imperent ».

Fuerunt, qui solam *hanc* miseram consolationem praeberi oppressis censerent : quod ii, qui opprimerent, opprimerentur ab excelsioribus; alii admirationem et indignationem *hac* cogitatione tollendam esse dixerunt : idcirco corrigi nihil posse quod mali omnes ad iniuste agendum inter se consentirent; id quod etiam peius est. Del. ei explicationi, quam communiorem esse diximus et omnino amplectendam esse censemus, duas opponit rationes : 1) eo ipso, quod iniustitia pervagetur, demonstrari, saltem non inveniri aliquem *medium*, qui sic observet inferiorem, ut ipse observatur a Deo. Sed nihil prohibet observandi verbum (שָׁמַר) intelligere amplissime; iam vero *generatim* certe recte dixeris excelsum observari ab excelsiore, etiamsi istud sane nec constanter fieri nec semper ita, ut oportet, verissimum est. Scriptor *ordinem* tantum auctoritatis proponit, cuius gradum supremum obtineat Deus, ut si forte minus ab excelsiore homine ius inopum vindicetur, tamen sit unus celsissimus, in quem nec iniustitia cadere nec impotentia possit. — Deinde 2) Del. obiicit, non consolationem quaeri, sed explicationem, quia dicatur : Noli mirari. Sed id non recte dicitur; neque enim aliud hoc loco quaeritur, nisi documentum morum, quo ad honeste agendum impellamur; at reprimendis eiusmodi affectibus, quales intuitu iniustitiae impune vagantis commoventur (3,16-4,3), nulla rei *explicatio* idonea est, nisi eadem afferat *consolationem* eamque minime futilem. Atque ostendimus supra, verbum תְּמִיהָה non tam admirationem, quam terrorem, perturbationem, stuporem significare (cf. etiam Iob 26,11 Ier. 4,9); itaque de coercenda indignatione, non de removenda aliqua ignoratione rerum humanarum agitur.

Ostendit tota interpretatio nostra, nec locum civilem de tyrannide tractari ab Ecclesiaste nec praecepta tradi disparata de templi frequentatione, de sermonis prudentia, de votorum solutione, denique de optimo genere rei publicae (id quod v. 7 sqq. inferunt), nec vota hic commemorata ad superstitiosam somniorum interpretationem spectare, quem morem a Graecis ad Hebraeos transferunt *Gr.* et *Ren.*, sed locum exponi ad pietatem et religionem proxime pertinentem et

morum documentum gravissimum perpetua argumentatione inculcari. Mot. recte ad 5, 1 : « A chaque instant l'auteur se montre préoccupé de justifier la Providence, et son conseil partout répété est de ne point juger la conduite de Dieu ». Sed idem nec explicat, quid sibi velit 4,17, nec de votis aliud affert nisi hoc : « Les jugements sur le gouvernement de Dieu, mal compris, mènent à l'incrédulité et à l'infidélité. On est peu soucieux de remplir ses promesses lorsqu'on est persuadé que Dieu ne s'occupe pas de ce monde ». Partem alteram v. 7 ita enarrat : « La position [des oppresseurs, qu'on envie peut-être] n'est pas si belle qu'elle paraît. On peut y voir aussi l'expression d'une *excuse*. Bien des intermédiaires séparent du roi le peuple des provinces, la surveillance est difficile ».

V. 8 ad superiora an ad posteriora pertineat, mox viderimus. Quae autem sequuntur (9-19) evidens est in *avaritiae* reprehensione versari. Supra autem 4,4-12 post *indignantes* mentio fiebat eorum, qui vel ob ingentem pecuniae cupiditatem turpiter aemularentur alios, vel a convictu hominum morose secederent, ut opes suas intactas servarent. Prorsus igitur, ut oportuit, Ecclesiastae procedit oratio, si quidem, ut statuimus, recapitulatio superiorum proponitur, quae quidem etiam ex hoc agnoscitur, quod post 4,17 nullum est positum « Ego vidi »; ergo nihil novi proponitur, sed superiora amplificantur.

2. *De avaris* 5, 8-19.

Versum primum Vulg. annectit superioribus 5,8 « *Et insuper universae terrae rex imperat servienti* ». Est de eo magna inter omnes disputatio et opiniones plurimae. Ex verbis hebr., ut nunc exstant, *Hieronymi* interpretatio explicari non potest, ne illa quidem, quam in comment. posuit : « Et amplius terrae in omnibus est rex in agro culto »; melius congruunt verba LXX : καὶ περίσσεια γῆς ἐπὶ παντί ἐστι, βασιλεὺς τοῦ ἀγροῦ εἰργασμένου. *Sententia* Vulg. perspicua est : Versu enim, qui antecessit, dictum erat (ut est in Hieronymi comment.), *angelos* Dei vindicis administros invigilare iniustis ac tyrannis (cf. Vulg. « super his eminentiores alii »); hoc (v. 8) iam ipse iudex supremus imperare dicitur universae terrae Deus. Quo modo argumentatio prior aptissime concluditur, favetque ו particula, qua octavus versus ad septimum, quasi continuando eodem argumento, adiungitur; quamquam eadem aliquando etiam nova res inducitur, ut 3,16; 4,1. 4. Explicat Hier. : « Deus angelos suos super iudices et reges terrae praeposuit... Sed quoniam servat *in fine* iudicium et in

consummatione mundi, quando, cum matura seges fuerit et messores venerint, iussurus est, ut separetur triticum et lolium tradatur incendio : ideo nunc exspectat et differt sententiam, quamdiu ager mundi istius excolatur. Quod autem ager interpretatur mundus, Dominus in parabola zizaniorum et tritici exposuit ». Qua explicatione, non ea quidem in libro veteris testamenti admodum probabili, rationem reddit, cur vocem hebr. שָׂדֶה (= « ager », aliquando etiam = « regio » ab aliqua *gente* occupata, cf. Gen. 14,7 ; 1 Sam. 6,1) vel intelligat vel reddat « terram ». In eandem prorsus sententiam *Ol.* enarrat LXX, *omissis* tamen vocibus καὶ περίσσεια γῆς : « Tamquam hortum Deus mundum suum adornavit eique quasi agro suo et imperat et providet. Qua de causa non oportet ob rerum humanarum perturbationes opinari, carere suo mundum gubernatore ac provisore, sed meminisse oportet, huius agri mundani, quemadmodum loquimur secundum Evangeliorum parabolam, hominem a Deo constitutum dominum, ut est in illo loco : Omnia subiecisti sub pedibus eius ». *Gregorii Thaum.* verba, quibus vv. 7ᵇ et 8 reddit, satis manifestant, eum sententiam rectam ex interpretatione LXX eruere non potuisse : de ambitionis periculo loquitur, cum alius alio maior esse cupiens sibi ipse paret metus et cruciatus. *Syr.* interpres (et *Ar.*) fere congruit LXX nec magis perspicue loquitur ; *Chald.* agriculturam dicit rebus omnibus praestare, posse autem fieri, ut rex agricolis subiiciatur.

Et LXX et *Hier.* in comment. ita verba ipsa hebr. vertendo exprimunt, ut dubitari non possit, quin ea ex illis temporibus incorrupta ad nos pervenerint ; verbum e verbo sic reddas : Et abundantia (vel utilitas) terrae in omnibus haec [est] ; rex agro culto. Hier. tamen non « agri » (LXX), sed « in agro » vertit, deinde primum substantivum pro adverbio usurpatum putavit (cuius rei exemplum non reperitur) atque ita unam enuntiationem ex duabus conflavit ; in Vulg. sententiam perspicuam et loco aptam effecit, sed a verbis hebr. satis longe discessit, cum « agrum » prorsus omitteret et pro « terrae in omnibus s. omni » scriberet « universae terrae » ; « servienti » autem defendi satis potest, si נֶעֱבָד non ad agrum, sed ad regem referas : « rex cultus in agro s. mundo ». Sane hoc verbum et de agri cultura (ita plerumque) et de famulatu sacro (Num. 8,15) cultuque Dei generatim (Ps. 22,31 ac saepius) usurpatur. Media autem significatio satis ostendit, nihil esse cur negemus, etiam de famulatu hominis erga hominem עָבַד potuisse adhiberi. Ergo bifariam recte vertitur alterum incisum : rex agro culto (est) — rex in agro cultus s. colitur. Hoc alterum prius videamus. Praepositio לְ causam designare potest, quare

rex sit in honore : « rex ob agrum colitur », i. e. pro amplitudine ac fertilitate agri regis etiam potentia crescit ac dignitas. Exemplum simillimum est 3 Reg. 10,23 : « Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terrae divitiis et sapientia » (לְעֹשֶׁר וּלְחָכְמָה = *ob* s. *pro* s. *ratione*). Iam vero in priore parte versus בְּ intellige de pretio; cf. Is. 7,23 : « Mille vites mille siclis (aestimandae) »; itaque verte : « Et abundantia terrae instar omnium est », i. e. pretio aequiparanda est bonis omnibus ». Qua ratione utriusque partis versus octavi aptissima convenientia efficitur, cum etiam verba prorsus *usitate* sint explicata. Quodsi cui probabilius videatur נֶעֱבָד ad agrum spectare, vertere possis : « Rex est agro culto (positus s. destinatus) », et quoniam multi malunt : « Rex est in agri servitutem datus s. agro addictus, subiectus », hoc quoque in eandem sententiam intelligendum erit. Est igitur haec interpretatio : Et fructus terrae abundantes instar bonorum omnium sunt : regis potentia in agro vertitur.

Quae cum ita sint, v. 8 inducitur nova, ut omnino mihi persuadeo, disputatio de moderanda auri cupiditate. Qui enim *agri* fructum plurimi aestimat, is a pecuniae aviditate longissime abest : poetice quidem id existimatur verissimum, estque hic locus a permultis poetis tractatus; ipse Ecclesiastes c. 11 rura diligenter colenda esse suadet; intellige, hoc eum uti *industriae moderatae symbolo*. Illi igitur *invido et aemulo* et illi *avaro solitario,* quos descripsit 4,4-12, incipit salutare vitae melius instituendae praeceptum dare. Sed quoniam ipsius aemulationis et ipsius solitudinis detrimenta iam supra explicavit, hic, ut *causam mali* tollat, solam per se avaritiam castigat. Prorsus igitur similis haec est disputatio (5,8-19) proxime superiori (4,17-5,7); utrobique gravissima amplificatione argumentatio absolvitur, ibi de indignantibus, hic de pecuniae cupidis. Nec iam de transitionis modo laborandum est; *rerum* enim ordo postulat, ut de avaris hoc loco dicatur. Ceteri interpretes ipsi viderint, quomodo disputationes de rege stulto (4,13-16), de votis (4,17 sqq.), denique hanc de avaritia inter se concilient atque componant; vix quisquam id facere serio conatus est.

Iam reliqua omnia uno intuitu conspicere et brevissime percurrere licet. Haec igitur ipsa sunt verba : 5,9 « *Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis; et hoc ergo vanitas* » (hebr. pro « et qui » — « ex eis » : et quis in tumulto delectatur sterili?); v. 10 « *Ubi multae sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?* » v. 11 « *Dulcis est somnus operanti, sive parum sive multum comedat; saturi-*

tas autem divitis non sinit eum dormire » ; v. 12 « *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiae conservatae in malum domini sui* » ; v. 13 « *Pereunt enim in afflictione pessima; generavit filium, qui in summa egestate erit* » ; v. 14 « *Sicut egressus est nudus de utero matris suae, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo* » (in hebr. adduntur aliqua, v. infr.) ; v. 15 « *Miserabilis prorsus infirmitas : Quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei, quod laboravit in ventum?* » v. 16 « *Cunctis diebus vitae suae comedit in tenebris et in curis multis et in aerumna atque tristitia* » (hebr. post « tenebris » : cruciatur multum ; quid vero aegrimonia eius et acerbitas?) v. 17 « *Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis et bibat et fruatur laetitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole numero dierum vitae suae, quos dedit ei Deus; et haec est pars illius* » ; v. 18 « *Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et laetetur de labore suo ; hoc est donum Dei* » ; v. 19 « *Non enim satis recordabitur dierum vitae suae, eo quod Deus occupet deliciis cor eius* ».

Singulis versibus Sapiens singulas proponit vitandae aviditatis *rationes;* tantum vv. 12. 13 et 14. 15 coniuncte sumendi sunt, ac versibus 17-19 ipsum *remedium* mali ostenditur. Summa igitur argumentorum haec est : fructu terrae nihil melius — avarus auro non impletur — alii potius quam ipse fruuntur bonis — etiam corporis quiete caret — amissis divitiis multo gravius cruciatur (12.13) — saltem moriens cum dolore spoliatur (14-15) — vitamque omnem perdidit (16) — itaque melius est frui bono tamquam Dei dono nec curis alienis distendi (17-19).

Facile intelligitur haec rationum momenta maxime diversa esse ab iis, quae modo tractata sunt, sic autem adiungi ut, praeceps *esset* transitus, nisi, quo omnia respicerent, aliunde sciremus. Quare necesse est haec ita, ut diximus, ex ordine respondere iis, quae 4,4 sqq. (post propositum vitium indignantium) reprehensa sunt. Ubi castigati sunt invidi et avari (usque ad v. 12), quorum hoc erat commune, quod cupiditate pecuniae et aliis molesti et sibi perniciosi exsistebant. Congruunt omnino quae nunc disputantur ; sunt enim omnia de ipsa pecuniae aviditate, ut hoc tamquam venenum, morbi materies, e venis expellatur. Nam « morbidum malum » scriptor ipse illa sordida cupidorum studia, quibus se ipsi comedunt (4,5), bis terve appellat 5,12. 15. 16 (in hebr.). Unum opponere possis : 4,8 avarum filio carere, at 5,13 filii fieri mentionem. Sed quia Ecclesiastes certe non solis illis solitariis dissuadere cupiditatem vult, hoc altero loco, ubi eam magis generatim vituperat, potuit facile illud addere : « Quodsi habeat fi-

lium », atque in *hunc* modum (conditionate) plerique sua sponte reddunt וְיהוֹלִיד בֵּן. Praeterea scriptor hic invidum quoque sua reprehensione complectitur, quem orbum esse non dixerat. Ergo hoc quoque capite quinto omnem rerum ordinem ac dispositionem diligenter considerantes quam aptissima deprehendimus.

De v. 8 hae sunt variae doctorum opiniones. « Rex agro subiectus s. addictus s. devotus » verterunt *Rashi, Ab. Ezr., Herzf., Rosenm., Ren., Gr., Cast., Del., Wr.* — « Rex agro culto », ut *Symm.* et *Syr.* (LXX et Theod.: agri culti) e recentioribus *Hitz., Hengst., Bick., Fuerst.* — « Rex a terra (populo) cultus » *Knob., Vaih.* (*Hahn:* per terram cultus). — « Rex agro factus s. praefectus » ex aramaico idiomate explicarunt *Ew., Heiligst., Elst., Zoeckl.* Alii aliter. In priore parte versiculi solent בְּכֹל reddere : « *omnino, universe* » aut « *interim, nihilominus* », *Cast.* « pro omnibus ». Existimant autem plerique hic regem agriculturae deditum opponi *tyrannis*, de quibus v. 7, deinde transiri ad avaritiae castigationem. Quae quomodo tandem concordant? Noto Ketib הִיא fortasse posse retineri, cum non videatur ab Ecclesiastae scribendi consuetudine abhorrere : « Fructus autem terrae-haec (i. e. terra) instar omnium est, ex agro enim pendet regis auctoritas ». Non absimilis enim constructio est infra v. 18. *Mot.* priorem partem, ut nos, alteram aliter explicat, sed in sententiam fere eandem : « Mais bien préférable à tout est le travail de la terre; *c'est un roi*, celui qui cultive les champs (= qui est attaché aux champs) ».

V. 9 לֹא תִבְוָּאה ab amandi verbo aptum esse voluerunt *Rashi, Ab. Ezr., Cast.:* « Et si quis amat opes, non fruges, haec quoque vanitas est »; a satiandi verbo longe plerique : *Heiligst., Herzf., Ew., Vaih., Ginsb., Hahn, Del., Wr...* : « Et qui amat opes (s. turbam), non satiabitur lucro (fructu) »; *Ren.* aliquod verbum addendum esse putat. LXX ad id accedunt, quod nos supra proposuimus : τίς ἀγάπησεν ἐν πλήθει αὐτῶν (οὐ?) γέννημα, *Hitz.* autem recte omnino, ut videtur : « Quis amat multitudinem nihil afferentem? » Et ad sententiam quidem, quae sic efficitur, conferre licet Prov. 12,11 : « Qui operatur terram, satiabitur pane »; cui contrarium hic est : « Qui amat argentum (s. generatim pecuniam), argento non satiabitur ». Ut ille locus demonstrat, non est necesse ita interpretari : is plura semper appetit; immo aptius huic loco est : is frustra quaerit satietatem, quia pecunia os non implet, implent autem fruges terrae, de quibus v. 8. Quod quidem pro poetica imagine accipiendum esse, vix est cur identidem repetam; sententia est, vitam beatam moderatione cupiditatum, non aviditate et avaritia contineri. Quod sequitur, מִי, non licet nisi interrogative explicare; si enim vim relativam haberet, turpissimum exsisteret vitium dicendi, ut sine ulla ratione et cum summa inaequalitate constructionis esset additum. Quadrat autem optime (ut v. 10) interrogatio : « at quis amat (s. amet) tumultum sine fructu (s. sterilem)? » Ceterum לֹא saepe valet *sine*; cf. 1 Chron. 2,30 : Et mortuus est Saled בָּנִים לֹא, i. e. sine filiis », item ib. v. 32. *Frugem* proprie dixit (in hebr.), non fructum, ut comparatio agri includatur. *Tumultum* verto, tum quia habet vim gravissimam, — constanter enim quies moderate viventium sollicitudini perturbationique cupidorum opponitur, cf. v. 11, — tum quia dubito, unquamve הָמוֹן dicatur de multitudine omissa plane notione tumultus; ea enim nec Is. 60,5 omnino deficit nec 1 Chron. 29,16 nec Ps. 37,16, quibus locis ea copia intelligitur, quae adiunctum habeat strepitum; ergo saltem accipienda vox esset pro copia labo-

riose coacervata. Ad *sententiam* nihil interest, quod Hier. (Vulg.) בּוֹ pro relativo accepit et לֹא תֹ pro apodosi : « non est ei fructus » s. paullo elegantius : « fructum non capiet ex eis ».

Postquam negatum est, pecuniam natura (qualitate) sua idoneam esse ad satietatem afferendam, v. 10 idem de eius copia (quantitate) dicitur, quae nihil efficiat, nisi ut *alii* quod est supervacaneum comedant, ipse autem idem, cum comedere non possit, oculis tantum contempletur. V. 11 argumentum continetur ex consequentibus : nam etiam *post* diurnum laborem atque post cibum diurnum, hoc differt inter moderatum et cupidum, quod hic somnum capere vix potest. Etenim ea, quae ei contigit satietas, qua se possit existimare mercenario quolibet beatiorem, ea ipsa impedit somnum ; quae est duplex : et plus sibi comparavit labore diurno et lautius paullo coenavit; at illud curas quiescenti affert, hoc, quando homo corpus non fatigavit, saepe cruditatem. *Hier.* : « Adhuc de divite et avaro sermo est et comparatur *operanti* et *absque sollicitudine* dormienti, sive parum sive multum comederit, quod ille labore operis et sudore qualemvis cibum digerat et dulci somno perfruatur, dives vero *distentus dapibus* et *cogitationibus in diversa laceratis* dormire non valeat, redundante crapula et incocto cibo in stomachi angustiis aestuante ». Accedit malum perditum (רָעָה חוֹלָה) non constanter, sed saepe comitans opulentiam, ut haec, operose acquisita, amittatur et amissa infinitam afferat aegritudinem homini (v. 12). Quod malum deinde (v. 13) quale sit describit Eccles. ponitque verbum tempore *praeterito* (אָבַד), ut id factum et a se visum gravius exprimat (hic repetit רָאִיתִי, hucusque consulto vitatum) ; et coordinate ponit ob eandem causam vel potius more Hebraeorum ; latine fortasse aptius subordinate enuntiatur : cum perirent..., filius autem, si quem genuerat, esset... Dicit עִנְיָן, i. e. negotium, molitio (Vulg. afflictio, cf. 1,13), quia in iis, qui soli pecuniae inhiant nec bona tutiora quaerunt, facile fit, ut non casu ac fortuito opes amittant, sed negotio temere suscepto s. conatu ancipiti fortunam universam sub uno ictu calamitatis ponant. Augetur miseria eo, quod etiam filiis, si qui sunt, haereditas interit, ut duplici casu pater afflictetur.

Quae sequuntur (vv. 14. 15), *novum* argumentum explicant, quod cadit in *omnes* homines, non solum in eum, qui bona maxima amisit (vv. 12. 13) ; non de *filio* hic igitur (ut quidam volunt) disputatur, quia is sine causa diceretur *omni sui laboris fructu* (sine culpa) *carere*. Illud etiam attendendum est, vv. 15 et 16 ita comparatos esse, ut homo *retinuisse* videatur opes, usque dum morte spolietur; ac repeti-

tum : « et hoc *quoque* malum morbidum », demonstrat aliud vv. 12. 13 propositum esse argumentum.

Quamquam negari non potest, eam esse in hebr. transitionem a v. 13 ad 14, ut facile exspectes eiusdem rei amplificationem. Magis fuerat perspicuum scribere : וְעֵרוֹם כַּאֲשֶׁר, quia in nuditate summa morientis, ut nascentis, est vis nova probandi. Nunc prior pars enuntiati submissa voce pronuntianda est, ut tanto gravius premantur, quae sequuntur; ergo non logica haec, sed oratoria atque inusitata est verborum collocatio. Gravius etiam quam עֵרוֹם premenda est prima pars v. 15 : « Et hoc quoque profecto malum morbidum est », quae verba omnino separare a v. 14 ineptum sit. Soph pasuk post v. 14 hic maiorem separandi vim quam insequens Sakeph habere non debet; similia autem aliquando inveniuntur. VV. 14 et 15 potius, ut opinor, longam constituunt periodum, in qua pronuntianda perpetuo invalescere vocem oportet. Nec multum dissimilis est ratio versuum 12 et 13.

Sententia est eadem, quae in Iobi verbis, cum se bonis omnibus spoliatum vidit : « Nudus egressus sum de utero matris meae et nudus revertar illuc », quibus verbis etsi videri possit enuntiari, *nunc* amissa fortuna se nudum reversurum in terram, tamen potius haec generalis conclusio est : « Etiamsi hoc casu conflictatus non essem, nihilominus me mors exspoliasset, nec in iis, quae possedi, tamquam perpetuo mansuris vitam positam esse beatam putavi ». Item apud Eccl. v. 14 sic explica : « Qui (i. e. pater, non filius) etiamsi non aliqua calamitate occupatur, tamen, ut naturae fert necessitas, nudus e vita discedet, sive pauper moritur sive opulentus, nec in divitiis est vita beata constituenda ». Atque hoc firmissimum argumentum 14^b et 15 magno verborum circuitu in hebr. inculcatur : Nudus revertetur, ut abeat qua venit — nihil auferet ex (s. pro) labore suo, nihil manu sua abducet — at haec profecto miseria ingens (quod incisum non minus ad v. 14 quam ad 15 spectat) — prorsus sic ut venit, abibit — quae igitur utilitas laboris in ventum? Haec omnia *more huius scriptoris* rei gravitatem ipsa quasi turba verborum et repetitionibus demonstrant.

Quod quidem v. 16 inutilitate universae vitae tamquam clausula argumentationis confirmatur : nam et aemulus et solitarius sordida cupitate sua vitam totam corrumpunt. Quem versum ad verbum redditum ex hebr. supra addidimus, nisi quod pro « quid vero » legitur tantum וְ; in Vulg. paullo concinnior constructio adhibita est, et in comment. Hieronymi eadem fere exstant : « Et omnibus diebus suis in tenebris comedet et in indignatione plurima [ac si substantive dictum sit : בַּעַס, non כָּעַס] et in infirmitate [ac si habeatur חֳלִי, non חֳלִין, et בְּ superius huc quoque pertineat] et in iracundia ». LXX item verterunt, ac praeterea וְאֵבֶל pro יֹאכַל transtulerunt : καί γε πᾶσαι αἱ ἡμέραι αὐτοῦ

ἐν σκότει καὶ ἐν πένθει καὶ θυμῷ πολλῷ καὶ ἀῤῥωστίᾳ καὶ χόλῳ. Recentiores varie rem difficilem expediunt. De summa sententia ambigi non potest. « Ecclesiastes divitem describit », inquit *Hier.*, qui nec ipse possit suis divitiis perfrui et crebro propter eas in discrimen veniat nec haeredi, quod congregavit, relinquat, sed ipse et (?) filius eius, sicut venerunt nudi, ita nudi revertantur in terram, et nihil eos suorum comitetur laborum. Nonne enim languor est pessimus, pro divitiis cogitatione torqueri et perituras opes, nec quas nobiscum possumus auferre morientes, in tristitia, in gemitu, in indignatione, in litibus casso labore conquirere? »

In v. 17 illud « quod pulchrum » in Vulg. omissum est, ut quaedam supra in v. 14, quia huiusmodi abundantia verborum alienior a communi consuetudine est, sed eadem tamen huius scriptoris propria perque totum librum reperitur nec sua vi caret oratoria. Protinus v. 18 eadem fere rursus dicuntur ac v. 17; immo iam 3,13 paene ipsa verba legimus. Quamquam v. 17 proprie dictum est de illo ipso homine (ideo subiectum ad אכל nullum expressum est); versu deinde 18 sententia ad *omnes* transfertur; ita *nimia* repetitionis molestia tollitur. Additur autem v. 19 id, quod aptissime congruit huic loco : Qui ab avaritia sibi temperat, is (nisi a Deo aliqua calamitate inusitata probatur) bonis suis moderate fruens *beata incuria atque oblivione* maerorem omnem absterget et in perpetua *laetitia* versatur. Non quod homo iustus desidem inertemque agat vitam, sed quod non est « *sollicitus* in crastinum, sed crastinum diem sibi suam habere sollicitudinem et malitiam » iubet (Matth. 6,34). Optime *Corn. a Lap.*, etsi idem paullo artificiosius : « Dives », inquit, « qui liberaliter suis ad suum et aliorum commodum utitur, laborat quidem in opibus colligendis et honeste expendendis; sed Deus ex aequo respondet [ita מַעֲנֶה suo iure vertit, Vulg. « cor occupat »] labori ipsius eique rependit laetitiam aequalem, imo maiorem, quam sit labor. Sicut enim in concentu musico basso respondet altus et quantum ille deprimit et aggravat vocem, tantum hic erigit, exaltat et exsultat : sic pariter Deus liberaliter temperat dolores et gaudia, et tristitiam et laetitiam huius vitae, ut haec illi ex aequo respondeat, imo praeponderet; quantum ergo tristitia eum deprimit, tantum et amplius laetitia eum exaltat, ut exsultet. Itaque ex utrisque concinna fit musica et harmonia, quae tam iustum liberalem, quam Deum et angelos oblectat ». — Nunc minutiora ad 5,8-19.

V. 10 בְּעָלִים sic usurpatur pro singulari (sequente etiam *pron.* sing.), ut אֱלֹהִים

אדֹנִים. In hoc et duodecimo versu mire errarunt LXX, illam vocem ex עַל et בְּ compositam rati, in priore etiam אֵם (= mater) « initium » intelligentes, v. supra p. 54. Recte *Symm.*, quem *Hier.* in comm., ut solet sequitur : τί γὰρ ἀνδραγάθημα τῷ ἔχοντι αὐτήν, εἰ μὴ μόνον θεωρία ὀφθαλμῶν αὐτοῦ.

V. 11 LXX pro *laborante* ponunt *servum* (עֶבֶד), id quod satis aptum est; sed iam Hier. in comm. habet *operantem*. V. 12 quod non est scriptum רְאִיתִיהָ id *seram* Ecclesiastae aetatem *non* designat ullo modo. Sententiam versuum 12-14 bene explicat *Del.* : « Amisisse divitias in *singulari* homine ingens calamitas est, quia minus malum est pauperem esse, quam e divite fieri egenum; sed maior erit miseria *patrisfamilias*, qui opibus diligenter conservatis, optime consultum esse filio in posterum opinatus, iam eum cogitur inanem post se relinquere. Quae autem v. 14 adduntur, de hoc ipso divite dicta latius tamen patent spectantque ad omnes divites generatim; itaque in novo genere malorum ponuntur ». Nec incongrue adiungit : « quam formulam (15ª) oportuerat poni ante v. 14 ». Huc enim revera, si sententia spectatur, pertinet et saltem potius ad v. 14 trahenda est, ut diximus.

V. 13 nescio cur multi vocem עִנְיָן, contra ac ceteris huius libri locis, *casum adversum* significare velint. Nam Iobi comparatio hic non est usque eo extendenda, ut similis dicatur illi et huic diviti casus accidisse; nam in illo culpa nulla erat, at hic ut *stultus* describitur in eoque amissio opum poena stultitiae est (cf. 2,26); nec est in pecuniae cupidis quidquam usitatius, quam ut fluens illa atque incerta auri argentique possessio subito diffluat, dum eam homo lucri amplioris studio periculis imprudenter ipse obiicit (*Mot.* : fâcheuse entreprise).

In extremo v. 14 suo iure LXX, *Symm.*, *Hier.* (in comm.) legerunt שֶׁיֵּלֵךְ; item *Hitz.* et *Bick.* (= quod eat cum eo, i. e. quod comitetur eum). Paullo ante בְּ intelligi potest vel « pro » vel « ex »; minus recte alii instrumentale esse voluerunt. Futurum in extr. v. 15, quod *Gr.* cum perf. commutandum censet, satis inde explicatur, quod sententia potius generatim enuntiatur, quam certo cuidam accommodatur : ᾗ μοχθεῖ εἰς ἄνεμον (LXX), sed *Vulg.* « laboravit » (etiam in Hier. comm.). Sequitur certe futurum, quod diversae rationis non est : *Vulg.* « comedit » (in H. comm. « comedet »).

V. 16 יֹאכֵל praeter Hier. legerunt *Chald.* et *Syr.* Pronominis in voce חָלְיוֹ nusquam ullum indicium apud veteres reperio. An ut in יִתְרוֹ (a יֶתֶר) paragogicum esse וֹ censuerunt? Quod facilius admiserim, quam quod *Ges.* et *Fuerst* הֳלִי לוֹ explicari volunt. — Aliquot codices hebr. pro יֹאכֵל habent יֵלֵךְ, alii verbum omittunt. Et est sane dictio inusitata : « comedit in tenebris »; quam quidam proprie intelligunt : *non ante vesperam*, ut pauperes (*Ab. Ezr.*), vel *in secessu obscuro*, ut lugentes vel captivi (*Del.*); alii improprie : in *morositate* et tristitia (*Hitz.*, *Zoeckl.*), id quod alteri praetulerim. Sed ipsum verbum אָכַל esset ineptum, nisi edendi mentionem toties faceret Ecclesiastes, ut hoc loco metaphorae instar de omni agendae vitae ratione posset explicari; ergo dicitur : « in obscuro edere » per imaginem de vita maesta avari (solitarii), cui imagini subiiciuntur alia quaedam sine ulla translatione et quasi explicationis gratia. Sequitur, ut melius sit, כעס explicare ut novum verbum; saltem displicet subst. כַּעַס ita iungi superioribus, ut dicatur : dies suos comedit et dolorem (ita *Hitz.*, qui « dies » pro obiecto positum putat). Non pauci autem recentiores, LXX secuti, pro « comedet » substituunt « in tristitia » : *Ew.*, *Heiligst.*, *Ren.*,

Bick.; *Boettch.* praefert וְאֹפֶל = et in obscuro. Multi vel בְּחֻלְיוֹ vel וְחֻלְיוֹ legunt. Retenta ad litteram scriptione masoretica inusitata dictio explicanda est pro exclamatione et ita fere, ut initium v. 16 c. 29 apud Is. et v. 16 c. 49 apud Ier. (*Del.*) : « quid vero aegrimonia eius et acerbitas » ; nec erit iam in illo pronomine magna admiratio.

In v. 17 אֲשֶׁר יָפֶה legerunt omnes veteres; nam quod in Vulg. ea verba desunt, concinnitatis causa, ut opinor, sicut alia, omissa sunt; in Hier. comm. est : « quod vidi ego bonum, quod est optimum ». Quamquam vocem *est* malim omitti, ut אֲשֶׁר per repetitionis figuram sit duplicatum. Ita plerique censent recentiores; sed LXX cum Hier. consentiunt : ἀγαθὸν ὃ ἐστι καλόν; item *Hengst.* et *Gr.*, qui num iure afferant Os. 12,9, nunc missum facio, sed quod alter opinatur, hic graecum καλοκἀγαθόν expressum esse, id tanto incertius est, quanto omnis haec explicatio minus necessaria.

V. 18 הִשְׁלִיטוֹ iam significat illud הִשַּׁל 6,2, ubi ostendetur, in summa rerum omnium copia tamen eam potestatem s. Dei gratiam posse deficere. Ita optime indicatur, a voluntate ac favore divino derivari eum vitae fructum, quem iubet scriptor appetere. Recte igitur *Pin.* — necesse est autem id identidem contra quosdam interpretes repetere — : « Suadetur frugalis et honestus divitiarum usus tum ad vitae iucunditatem, tum ad comitatem illam et splendorem bonitatis et beneficentiae » et idem : « Iam quater haec sententia videtur in hoc libro intercalata; videlicet 2,24; 3,12. 13. 22, nunc (5,17) etiam quinto repetitur, ut non obscurum argumentum sit, proferri a Salomone non tam ex carnalium hominum sententia, quia indigna esset, ut toties usurparetur, sed ex propria, tum ex proprio et germano totius libri scopo, qui ad *vitae tranquillitatem* et *moderandas omnes animi cupiditates et perturbationes* dirigitur ». *Mot.* : « C'est à peu près la pensée de saint Paul : Habentes alimenta et quibus tegamur, contenti simus » (1 Tim. 6,8).

V. 19 verbum עָנָה vel *respondere* sonat vel *canendo respondere* vel (moleste) *occupari* (cf. 1,13; 3,10). Hoc ultimum *Hier.* in comm. et Vulg. secutus vertit : « Deus occupat eum » et explicat : « Avocat quippe eum Deus in laetitia cordis sui; non erit in tristitia, non cogitatione vexabitur, abductus laetitia et voluptate praesenti... Notandum quoque, quod hic περισπασμός [LXX περισπᾷ] in *meliori* parte accipitur pro occupatione spiritualis veraeque laetitiae ». At hoc ipsum licuitne ex usu Hebraeorum, perquam dubium est. Neglectus est etiam ab Hier. stat. const. שִׂמְחַת; LXX autem obiectum αὐτόν addiderunt. Deinde media illa significatio a *Koest.* non recte, ut videtur, ad *canendi* notionem extenuatur : « Deus facit eum canere ». Melius communissima vis vocis ita ad hunc locum accommodatur, ut dicamus hiphil hic valere idem quod qal et Dei *responsionem* esse in *remuneratione* vel saltem *consensione* positam : Deus respondet et quodammodo occurrit in laetitia cordis eius, quam largitur. Ita plurimi recentiores; quidam autem causativam vim hiphil servantes vertunt : « Deus facit respondere s. succedere ei (omnia) ». *Rem* bene explicat *Thaum.* : « Dei est donum, posse hominem frui suis laboribus cum iucunditate, divinitus accipiens bona, non vi rapiens. Qui nec aegritudine ulla laborat animi nec solet malis servire cupiditatibus, sed benefactis modum ac pulchritudinem addit vitae, in omnibus autem animi fruitur pace gestitque laetitia ob donum divinitus sibi collatum ». — *Gr.* ad c. 5 multa explicat vel mutanda censet, quae, quia non facile cuiquam probari puto, tacitus praetereo.

3. *De rege fastidioso* 6, 1-6.

In capitis sexti priore parte haesitandi locus non est. Necesse est enim eam ad 4,13-16 respicere; nec id negari iam potest, postquam, superiora quo spectent, intellectum est. Et re quidem vera, ut supra regem descripsit Eccles., ita nunc hominem fingit, cui et divitiae opesque sint et *gloria ac dignitas* (כָּבוֹד), quod deest 5,18, aliaque omnia, ut *nulla re optabili* careat; supra regem fecit regno extrudi per hominem *vili loco natum*, hic non sinit Deus hominem frui bonis, sed homo *alienus* ea comedit. Porro illic insignis adhibebatur potentiae exaggeratio (4,15), hic item aetatis et domus regiae (6,3.6); illic posteri non gaudebant rege stulto, qui erat regno deiectus (4,16), hic ille potentissimus ne sepulcri quidem fit particeps (6,3). Illud unum mirere, non addi hic, qua de causa non sinatur a Deo frui bonis, atque alter ea occupet; sed eo ipso, quod nulla ponitur, ea alibi quaerenda est, et quoniam conclusio cap. 5. (v. 17-19) et initium cap. 6. omnino separant haec a proxime superioribus, *avaritiam causam mali intelligere prorsus non licet*. Itaque necessario id acceptabimus, quod erat 4, 13 sqq. vel dictum vel significatum. Erat ibi dictum, ob spretum consilium aliorum tantam miseriam accidisse, significatum autem ipsa lenissima a v. 12 ad 13 transitione, consilii despicientiam ex morositate eadem et fastidio societatis humanae eodem, atque in avaro solitario, dimanasse. Itaque pro certo habendum est 6,1-6 admonitionem regis stulti continere. Ergo disseritur, vitam bonis omnibus affluentem, etsi *mirum in modum producatur* (etiam 4,13. 14 rex admodum senex per hominem ipso regnante natum dignitate exturbatus dicebatur), tamen etiam *vita nulla*, exstinctione ac morte perpetua, esse deteriorem, nisi comitetur honesta *delectatio*, quae cibi potusque symbolo proposita ad pacem iucundam vitaeque fructum honestum, ut vidimus, referri debet. — Haec autem ipsa sunt verba scriptoris :

6,1 « *Est et aliud* (« aliud » non est in hebr.) *malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines* » : v. 2 « *Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam et honorem, et nihil deest animae suae ex omnibus, quae desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud; hoc vanitas et miseria magna est* »; v. 3 « *Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies aetatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiae suae, sepulturaque careat : de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortivus* »; v. 4 « *Frustra enim venit, et pergit*

ad tenebras, et oblivione delebitur nomen eius »; v. 5 « *Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali* » (hebr. : melius est huic quam illi); v. 6 « *Etiamsi duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis, nonne ad unum locum properant universa?* »

V. 1 רַבָּה, ut de multitudine calamitatum (« frequens » in Vulg.), ita de gravitate (magnitudine) interpretari licet (verte : malum incumbens homini graviter), et quoniam de homine agitur potentissimo, hoc alterum videtur convenientius; nam si 5,12 in divitibus conditione mediocri acerbitatem amissae fortunae tantam esse dixit Eccles., hic magis etiam gravitas premenda est, praesertim cum tanti casus non ita frequenter evenire soleant. Graecum πολλή (LXX) sonat *frequens* et *grave*. Media verba v. 2 ita presse vertas : « Minime est carens animae suae (LXX : οὐκ ἔστιν ὑστερῶν τῇ ψυχῇ) iis omnibus, quae desiderat ». Deus autem dicitur potestatem negare *voluntate*, ut aiunt, *consequente*, i. e. propter hominis vitium antecedens, cf. 2,26, nec aliter supra 5,18 sq. fuit explicandum; nam Deus pro hominis *merito* tribuit laetitiam moderato, cupido sollicitudinem et inopiam. « Comedere ex eo » dicitur, non quod homo edere possit etiam כָּבוֹד (honorem), sed quia opibus et auctoritate facultas data est fruendi bonis, qua facultate tamen ille non utitur; itaque ne tantulum quidem fructum ex rebus omnibus (בּוּמְנוֹ) percipit, ut « cibum » sumat (quod ipsum de percipienda honesta iucunditate dicitur), sed a Deo ea etiam poena afficitur, ut bona ab « alieno » occupentur et absumantur. Fuerunt, qui *heredem* intelligerent hunc « alienum », sed et vox ipsa נָכְרִי et quae 4,14. 15 dicta sunt, aliud demonstrant. Opponunt, quod vv. 3 et 6 videatur homo usque ad obitum opes retinuisse. At primum, quod v. 3 de sepulcro additur, evidenter declarat illum de conditione sua deiectum esse; nec ratio idonea est, cur ea verba cum *Hitz.* deleamus aut cum *Bick.* post v. 4 traiiciamus. Deinde versus 6 verbis simillimus eodem modo explicari potest, aut, si ita placet, ibi conditionate conceditur (אִלּוּ) : « Esto vivat duo millia annorum in regno; at mors eum spoliabit, et vitae vanitas apparebit », quem in modum 5,14 sqq. interpretati sumus, itemque *licet* v. 3 explicare, si necesse est. Certe quidem אִישׁ repetitum v. 3 indicium est, amplificari iam aliquatenus sententiam et ad *quemlibet* hominem, vita modeste non fruentem, accommodari; item 5,13 illud הוֹלִיד בֵּן ad amplificandam sententiam pertinebat, et rursum ib. 14 sententia fuit longe amplissima, ut nemo iam homo exciperetur.

V. 3 liberorum numerus dynasten aliquem orientis significat, ut 4,15 multitudo populorum; deinde vitae diuturnitas (3 et 6) ad anti-

quiora tempora referenda videtur. Nam ne ipsa quidem exaggeratio oratoria placeret, si in homine mediocris aetatis *bis mille* anni per superlationem ponerentur. Itaque de rege aliquo, verbi causa, Nemrod simili (cuius etiam ad 4,13 Chaldaeo interpreti venit in mentem) cogitandum existimo; qui quidem, cum esset nepos Cham, Gen. 10,8 sqq. appellatur potens in terra et robustus venator coram Domino et rex Babylon, Arach, Achad, Chalanne; de reliquo fictio poetica scriptoris non debet uni certo viro quasi propria accommodari. « Sepulchrum » sine dubio *honorificum* intelligitur, quale regem deceat, cf. 8,10 et Iob 21,32, e quibus locis, quanti fuerit honor sepulturae, cognoscas. — Ad רַב שֶׁיִּהְיוּ confer latinum : mirum quantus; licet autem רַב vel pro verbo vel, si cui placet, etiam pro adiectivo accipere, sed generis neutr., non (ut factum est a Knob. et Vaih.) gen. masc. in hunc modum : « Si sit magnus, quotquot erunt dies vitae eius ». Verba Vulg. : « Melior est abortivus » ita intellige ut 4,3 : « *Feliciorem* iudicavi » vel 4,9 : « *Melius est* esse duos simul ».

V. 4. « Frustra enim venit », i. e. in cassum natus est; « nomen delebitur », proprie « obtegetur », i. e. nomine omnino carebit. Acerba in hoc ironia est : Melior abortivus, *quia* quodammodo umbra tantum ac nihil est.

V. 5 quandam gradationem addit (hebr. גַּם) : « *Praeterea* autem hoc unum habet bonum, quod vitam sub sole vanam nec vidit nec expertus est » (4,3); vanum aliquid est igitur abortivus, sed miser tamen non est. — Verbum יָדַע Hier. ad ea traxit, quae sequuntur, et נָחַת = « quietem » ad optabilem « differentiam » extenuavit : Neque cognovit *distantiam* boni et mali (זֶה neutraliter vertit et suo modo interpretatur); similiter *Symm.* : οὐδὲ ἐπειράθη διαφορᾶς ἑτέρου πράγματος πρὸς ἕτερον, LXX autem : οὐκ ἔγνω ἀναπαύσεις τούτῳ ὑπὲρ τοῦτον. Sed nihil est, cur non יָדַע referamus ad solem, ut supra fecimus, deinde reliqua (ut apud LXX) ad verbum exprimamus : « Quies est huic prae illo », i. e. abortivo prae illo rege. Cf. Iob 3,13 item de abortivo : אָז יָנוּחַ לִי = (Vulg.) somno meo requiescerem. Ipse Hier. in comm. : « Et quidem solem non vidit nec cognovit : requies huic magis prae illo », et explicat : « Illud hyperbolice adiicit, quod, etiamsi centum liberos procreavit, et non ut Adam prope mille, sed duobus millibus vixerit annis, et anima eius cupiditate et avaritia contabescat, multo deterioris conditionis sit abortivo, qui statim, ut natus videtur, interiit. Ille enim *nec mala vidit nec bona* : iste vero, cum bona possederit, semper tristitiis et cogitatione cruciatus est; magisque *requiem*

habet abortivus, quam avarus ille longaevus. » Quamquam quod de avaritia dicit, id nec verbis expressum est nec satis huic loco congruit. Ipse Hier. in Vulg. (contra atque in hebr. et apud LXX et in ipsius comment. est) v. 1 addidit « aliud », ut hoc a superiore malo discerneret. An aliud est avaritiae genus? Sed id conclusio capitis quinti, quae omnino absolvere rem institutam videtur, deinde necessaria comparatio cum 4,13 sqq. non sinit existimare. Quod autem quaedam valde similia hic atque in cap. 5 enuntiantur, similitudo facit mali, cui remedium quaeritur; nam et ille avarus et hic ipse rex morosus communem vitae usum fructumque vel nesciunt vel fastidiunt, ob eamque causam « frui bonis » iubentur. Nam, ut et superior argumentatio (5,16) et haec (6,6) concluditur, cum mors omnibus communis appropinquaverit, vita sine ullo fructu erit perdita.

Roges, quomodo recte dicatur perdita, cum tamen nihil nisi sensuum delectatio « edendi bibendique » amissa sit. Recte quidem; sed 1) apparet saltem, quam stultum fuerit in istis, quod etiam hanc miseram voluptatem moderatae laetitiae sibi ipsi contra Dei voluntatem ademerint. Accedit 2), quod eo vitio occupati ne aliis quidem profuerunt, quare etiam contemnuntur a posteris (4,16 et 6,3 : sepulcro privatur). Denique 3) passim toto libro ostenditur, quisquis adversetur Deo, eum a Deo vel in hac vita (velut paullo infra 7, 18) vel in iudicio futuro (11,9) punitum iri; contra is, qui sic, ut docet scriptor sacer, norit « edere et bibere », h. e., omnem moderari cupiditatem pravamque animi affectionem, is Dei sibi gratiam amicitiamque conciliat. Virtus est igitur vera nosse hanc vitae normam. Fit autem 4) huiusmodi obiectionibus, quarum modo exemplum posuimus, manifestum, quam ineptum sit, *in primaria illarum vocum significatione haerere,* nec attendere, quo imago poetica spectet quidve universi libri sententia orationisque contextus postulet. Ne Horatio quidem sit dignum profecto tam saepe tamque graviter cibi potusque commendare usum tamque acerbe deplorare, si quis nescio quo vitio ea se iucunditate privet. Nefas est igitur tam humilem vilemque explicationem libro cuipiam sacro adhibere. Sequitur, ut nihil sit mirum, ipsi regi illi, qui ob morositatem consiliorumque contemptionem in periculum veniat amittendi regni, *tale* dari consilium; aliud enim sonant ista, aliud dicunt. *Moderatio* consulitur omnis malae affectionis.

Quodsi opponas de *morositate* regis nihil prorsus toto loco significari, respondeo : 1) id minus recte dici; nam quod hic homo bonis omnibus abundans iis non fruitur, aut poena *tantum* Dei est morbo aliquo id impedientis, aut avaritia, aut morositas. Atqui primum dici non potest, quia certe etiam voluntaria hominis insipientia reprehen-

ditur; quae ab avaritia quoque perspicue discernitur (et quid sibi vellent « honor » v. 2 et « centum liberi »?); nihil igitur relinquitur nisi morositas quaedam vel misanthropia. 2) Odium omnium huiusmodi homo non idcirco incurrit, quod parcissime bonis suis ipse utatur; immo id laudi tribuitur ditissimis; at ille sepultura carere ob odium hominum prorsus videtur (cf. etiam 4,16), nec tamen ullo modo *iniuriam aliis* fecisse narratur. Quapropter si moribus privatis bonorum usu prohibetur et caritate hominum spoliatur, quid probabilius est, quam vitio eum morositatis laborare, ut 4,13 satis indicatum est (supr. p. 191)? Minime autem necesse fuit, eam culpam hoc loco rursus significari, quia eo ipso morositas fit vitiosa, quod bonis paratis prudenter uti nescit, et hoc quidem solum vituperari satis est; vituperatur autem acriter (vv. 2. 3. 6). Deinde aptum fuit hic (ut 5,18 et iam 2,24-26) adiungi, culpae hominis a Deo ipso constitutam esse suam propriamque poenam; itaque homo dicitur et ipse se fraudare et a Deo fraudari (v. 2). — Subiungo de vv. 1-6 aliqua minutiora.

6,2 אִישׁ paullo liberius ponitur, ut facile in comparationibus permittitur, cf. « Simile est regnum coelorum homini qui seminavit... negotiatori... regi... » Tria bona, quae hic ponuntur, ea ipsa sunt, quae Salomoni divinitus promittuntur 2 Par. 1,11. 12; sunt igitur, quemadmodum supra explicavimus, dona *regia*; quae tamen, ut illo loco proponitur, cum *sapientia* debent esse coniuncta, cum hic in stulto rege ea ipsa desit (4,13). Vim vocis כָּבוֹד ad opum abundantiam spectare *Ginsb.* et *Herzf.* voluerunt, quia sequitur אָכַל, sed hoc verbum ad usum vitae moderatum transferri tot loci demonstrant; valet igitur : « voluptatem ex eo (ex illis omnibus) moderatam non percipit », sed poetice dicitur : « ne cibum quidem habet ex omnibus ». Et haec quidem et ipsius hominis culpa et Dei poena (consequens) est, *post* quam gravior poena spoliationis additur. Sed illi mille anni v. 3 rursus ad *felicem* regis conditionem, quae hic cum exaggeratione repetitur, pertinent; deinde iterum dicitur exspoliari, ut ne sepulcri quidem fiat particeps. Versu demum sexto intelligi licebit, felicem conditionem usque ad mortem produci; et sane conclusio illius versus talis est, ut illud fiat valde probabile. Tollitur hoc modo illa offensio, ne idem iisdem fere verbis dici videatur, ob quam causam *Cast.* v. 6 ad ipsum abortivum referendum esse arbitratur, id quod absonum profecto est. De cetero non poterat haec universa tractatio melius quam mortis commemoratione absolvi, quod quidem argumentum instar omnium est. — V. 5 rursum apparet perspicue, sub *sole* vanitatem esse, secundum poeticam scriptoris fictionem; cf. etiam 4,15; 5,12; 6,1. 12. (7,1). V. 6 locus ille, quo omnia tendunt, solet intelligi Scheol; sed non dicitur « omnes », atque per se melius videtur intelligi interitus seu magis proprie terra et pulvis (cf. 3,20). — Nihil attinet commemorare, quae *Hahn*, suo more, singulariter ac mire ad vv. 2 et 3 disseruerit. — *Mot.* et superiora et quae sequuntur nihil censet esse nisi uberiorem explanationem eorum, quae extremo c. 5 dicta sint : ostendi ait, posse esse opes maximas sine facultate eis utendi. Sed ad id demonstrandum num opus est tantis ambagibus? Recte idem negat proprie de avaro agi, propterea quod mentio fiat « gloriae » et « copiae omnium rerum quas desideret » (v. 2) et quod « alienum » (ib.) non liceat

dicere heredem; ad heredem autem sua sponte transmitti bona intacta avari. Sed rem *novam* c. 6 tractari principium satis videtur declarare, praesertim cum res a Deo decreta non possit dici « mala », nisi ob culpam aliquam hominis permittitur calamitas (quanta fingatur vide vv. 3-5). Quodsi culpa intelligenda est et tamen avaritia excluditur, nonne ad id deveniemus, quod 4,13 sqq. est propositum?

ORATORIA AMPLIFICATIO.

a) **De Divinae voluntatis decreto 6, 7-12 (Vulg. 7,1).**

Arg. — Postquam ad singula vitia a principio II. partis huius libri (3,16) proposita remedia adhibita sunt (4,17-6,6), restat ut magis perspicue ad id unum omnia revocentur, quo universa disputatio Ecclesiastae potissimum tendit, i. e. ad servandum illum rerum ordinem, quem Deus homini praefinivit. De quo actum est et in prooemio et cap. 3; de eodem nunc agitur 6,7-12.

Sed — ut universam rerum seriem usque ad finem huius II. partis (usque ad c. 8 excl.) paucis verbis indicem — non satis habet scriptor, haec generatim repetivisse : gravius ea et oratorie confirmare et inculcare pergit 7,1-22, idque ita, ut ad duo genera hominum, de quibus adhuc disseruit, accommodet, atque aliquatenus *utramque* disputationis partem respiciens complectatur. Vitia enim castigavit et nimiae *levitatis* et morosae *austeritatis* (ita placet appellare); ad illam spectant studia voluptatis et magnificentiae (maxime c. 2), ad hanc indignatio et maeror et fuga societatis humanae (3,16 sqq.). Deinde ad severitatem reducitur etiam sapientiae studium male ordinatum 1,13 sqq. (cf. 2,12 sqq.), ad levitatem autem, quidquid passim stultitiae nomine comprehenditur, sive strictim tantum significatur (ut 1,17; 4, 13. 17; 5,3), sive paullo fusius cum virtute vitiove contrario comparatur (ut 2,12 sqq.). Haec duo enim sunt genera hominum divinae voluntati adversantium : unum sensuum vitiosas sequitur cupiditates, alterum in contrariam partem peccat; huic alteri Ecclesiastes, qui ipse, nunc quidem, sit admodum austerus, tamquam parti meliori multo plus curae adhibet, neque vero prius illud negligit. Ergo eo loco, de quo dicere coepimus (7,1-22) separatim utrisque praecepta tradit, levibus salutarem commendat luctum (— v. 6), austeris moderationem retinendam suadet (— v. 14), denique omnibus « auream mediocritatem » inter stultitiam et austeritatem proponit sequendam (— v. 22). Quae cum ita sint, facile est videre, quam apte haec pars libri secunda et desinat in eius rei commendationem, quae est omnium tutissima agendi regula, et quam oratorie resumat atque complectatur, quidquid est ante disputatum. Sane et quae sit summa sententia

libri, magis magisque aperitur, et magno incremento invalescens huc usque processit oratio.

Ad hoc incrementum pertinet etiam illud extremo loco praeter exspectationem additum, quod nisi oratorias rationes spectes, in alium prorsus locum transponendum fortasse dixeris. Nam post v. 22 in hunc ferme modum scriptor pergit : « Haec omnia cum vidissem ac perspexissem, visus sum mihi sapientiam ipsam consecutus. At falsus sum vehementer; unum idque maximum mihi deerat : ultimam enim hanc nactus sum scientiam, nihil vanius, nihil periculosius esse *muliere;* virum inveni unum recte comparatum inter mille, feminam nullam ». Quod argumentum ad luxuriam (c. 2) pertinere non inepte putaveris, si *solum* rationis ordinem sequendum scriptori praescribas. At oratores et poetae vim argumentorum alia etiam norma metiuntur. Velut hoc ipsum de periculo amoris ac libidinis eo vehementius movet lectorem, quo magis inopinanti obiicitur; et quod maximum est in aliqua oratione, id si ultimo loco collocatur, infigitur inhaeretque animis. Quodsi, ut prorsus existimo, *Salomon* Ecclesiastae induit personam et ista scripsit *post* errores, ingens ex ipsius exemplo pondus extremo argumento accedit. Qui sane si in tantam perniciem, quantam scimus, ruit amore mulierum, fieri vix poterat, quin loco insigni ac sede illustri ea de re tractaret. Non oportuit igitur eam inter ceteras quasi abditam latere, sed insolito loco conspicuam prominere. Quamquam *aliquanto altius* hoc idem argumentum spectare, infra demonstrabimus, omnisque tolletur offensio.

Iam primum eam partem c. 6, quae reliqua est, videamus; addo primum v. c. 7 (sec. Vulg.; is in hebr. est v. 12 capitis 6). Commodum autem iudico, integram exscribere aliam interpretationem, quam hebraico congruentiorem iudico :

6,7. *Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non implebitur.*

Omnis labor hominis ori destinatur ipsius, nec porro spiritus unquam implebitur.

8. *Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?*

Quid enim [aliud] sapiens, stulto comparatus, habet praecipuum? Quid miser, qui norit commercia mortalium?

9. *Melius est videre, quod cupias, quam desiderare, quod nescias. Sed et hoc vanitas est, et praesumptio spiritus.*

Melior est intuitus oculorum, quam spiritus evagatio; haec quoque vanitas est pastusque venti.

10. *Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius; et scitur, quod homo sit, et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere.*

Quod factum est, eius pridem vocatum erat nomen, et cognitum, quid esset homo; qui non potest cum eo, qui fortior ipso est, inire iudicium.

11. *Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.*

Sunt enim verba multa multam afferentia vanitatem; quid prosunt homini?

7, 1. Quid necesse est homini maiora se quaerere, cum ignoret, quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suae, et tempore, quod velut umbra praeterit? Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub sole sit?

Nam quis novit, quid sit bonum mortali in vita sua diebus vanitatis suae, quos velut umbram peragit? Quis indicabit homini, quid posthac futurum sit sub sole?

Quod dicitur v. 7 in Vulg. : *in ore eius,* rectius LXX εἰς στόμα αὐτοῦ; sec. hebr. *ori eius,* i. e. natura sua, vel melius, Dei voluntate *destinatur, attribuitur* fructus omnium laborum hominis ori eius ad fruendum moderate. Non enim videtur haec sententia aliter posse accipi atque illa superiora : nihil esse in vita melius cibo potuque, i. e. moderatione ac pace. Hier. quidem in comm., ubi item vertit : *in ore ipsius* (ac si legerit בְּפִיהוּ), rem sic enarrat : « Omne quod laborant homines in hoc mundo, ore consumitur et attritum dentibus ventri traditur digerendum; cumque paululum gulam delectaverit, tamdiu videtur tribuere voluptatem, quamdiu gutture continetur; cum vero in alvum transierit, desinit inter cibos esse distantia ». Sed huiusmodi enuntiatio de vana cibi voluptate non facile consistit cum vv. 2. 3. 6 et ultimis c. 5. — « Anima non implebitur », i. e. desiderium, cupiditas non satiabitur, ut v. 9, ubi pro *evagatione animae* Vulg. habet *desiderare, quod nescias. Hier.* explicat : « Non impletur anima comedentis, sive quod rursum desideret, quod comedit, et tam sapiens quam stultus absque cibo nequeat vivere, et pauper nihil aliud quaerat, nisi quomodo possit organum sui corpusculi sustentare nec interire inedia; sive [atque hic animam pro *mente* interpretatur] quod nullam utilitatem anima ex refectione corpusculi capiat et cibus tam sapienti quam stulto communis sit ». Hoc alterum etiam *Olymp.* amplectitur. Sed ut v. 9 perspicue cernitur, pravum *animi* desiderium hoc loco reprehenditur. Eodem versu nono oppositum videmus insatiabile animi desiderium laudabili sensuum voluptati (« videre, quod cupias », hebr. « intuitus oculorum »); unde intelligitur, etiam in v. 7 oris delectationem honestam comparari inexplebili cupiditati non *oris,* sed *animi,* immoderate aliis rebus inhiantis. Recte igitur « animam » (Vulg.) cupiditatem interpretabimur, sed ita tamen, ut *mentis* aviditatem vitiosam designet, quae non cibi, sed aliarum (deteriorum) rerum appetentia perpetuo exagitetur. Vitia enim ab Ecclesiaste vituperata hoc fere, si ipsius sequimur dicendi modum, afferebant mali, ut hominem a cibi potusque usu honesto prohiberent. Prorsus igitur apposite ad totam eius disputationem v. 7 sic explicamus : Deus omnem laborem hominis ori servire voluit, et porro (וְגַם = et simul s. insuper...) animo inquietae et vagae cupiditates pacem nunquam afferunt.

Duo enuntiantur : Dei voluntas et miseria cupiditatis. Pro « anima » « spiritum » dixi, in qua voce saepe notio continetur cupiditatis, cf. « avidum domare spiritum » (Hor. Od. II 2, 9 sq.) et : « altiores spiritus sumere » = superbiae s. arrogantiae se dare. — V. 8 et 9 eadem sententia confirmatur, et 10 ratio ultima repetitur, quae est in praefinitione divina, quam scriptor v. 7 leviter tantum attigit. Quidquid enim appetit homo extra illos terminos, quos ei Deus praefinivit, quia immoderatum est, pacem animo veram non affert.

Sed v. 8 non caret difficultate. Ut hebr. כי = *enim* declarat, explicatio v. 7 adiungitur. Iam vero sapientis cum stulto comparatio facta est 2,12 sqq., ibique concludebatur, nihil differre nisi quod *vere* sapiens sciat *uti vita bonisque* (ib. 24-26). Item omnino nunc versus septimus probatur priore parte octavi : nihil enim praeter prudentiam moderationis sapientia praebet emolumenti. Sed difficilior est altera pars versiculi. Ubi verbum e verbo exprimens ita vertas : « Quid miser sciens ambulare coram viventibus s. ex adverso vitae ? » LXX extrema reddunt : πορευθῆναι κατέναντι τῆς ζωῆς, Gr. Ven. ἀπιέναι ἀντικρὺ τῆς ζωῆς, Hier. in comm. : *nisi scire, ut vadat contra vitam*, quae verba enarrat ita, ut intelligat : « occurrere vitae eamque quaerere » : vitam autem proprie designare vult abundantiam victus, itaque dicit : « pauper nihil aliud quaerit nisi quomodo organum sui corpusculi possit sustentare » et paullo infra : « illuc vadit pauper, ubi opes esse conspexerit ». Deinde mystice interpretatur : « Et in hoc plus habet sapiens quam insipiens, quia cum pauperem esse se sentiat — pauperem autem illum, qui in evangelio beatus dicitur — properat ad ea comprehendenda, quae vitae sunt, et ambulat arctam et angustam viam, quae ducit ad vitam, et pauper est a malis operibus, et scit, ubi Christus, qui vita est, commoretur ». Et hanc eandem sententiam videtur exprimere in Vulg. Sed ea alienior est ab hoc loco et, si illa explicatio prioris incisi, quam dedimus, admittitur, prorsus improbabilis. Non enim agere Ecclesiasten proprie de evangelica illa sapientia existimandum est, sed de ea, quam 2,12 sqq. cum stultitia comparavit quamque solet intelligere (ut 1,16 sqq. ; 2,9 ; 4,13 , i. e. de prudentia quadam vivendi secundum rationem. Eam igitur ipsam hic quoque « misero » tribuens negat ei aliud quidquam prodesse : qui si « norit ambulare coram (cum) hominibus », ita demum superabit hominem stultum. Ergo negat Ecclesiastes ullam beate vivendi artem proficere, nisi eam, quam toties commendavit, ut homo neglecta omni cupiditate modeste acquiescat in conditione vitae media utque se rebus accommodare, non res sibi subiicere studeat. Atque hac explicatione v. 8 cum septimo aptissime conciliatur. Plerique etiam recentiores verba

« ambulare coram viventibus » de arte bene vivendi accipiunt, etsi totum locum in sententiam longe diversam solent interpretari. Lenissima porro erit ad v. 9 transitio, si ita, ut supra dictum est, explicatur. Hier. in comm. vertit : « Melior est aspectus oculorum super ambulantem in anima » (LXX : ἀγαθὸν ὅραμα ὀφθαλμῶν ὑπὲρ πορευόμενον ψυχῇ), sed addit : « Dilucide hoc interpretatus est Symmachus dicens : Melius est providere, quam ambulare ut libet, i. e. melius est iuxta sensum [prudenter] cuncta agere, qui animae est oculus, quam voluntatem cordis sequi ». At « videre bonum » Ecclesiastae semper est « frui vita », ut non proprie *animi* prudentiam, sed sensuum delectationem moderatam sonet, quamquam sane in hac ipsa scriptor summam ponit vitae sapientiam. Verba Vulg. cum commentario Hier. omnino congruunt, si « quod cupias » accipitur pro « quid cupias ». Sic enim sententia exsistit : Melius est providere sibi, quam caecum sequi animi impetum. Sed rursum difficillimum est, hoc ad ea accommodare, quae ante dicta sunt, vel consequuntur; impedita et hiulca est in Vulg. tota oratio a v. 7-10. Quae cum ita sint, aliquanto videtur probabilius, quod secundum loquendi consuetudinem et universi libri sententiam paullo ante explicavimus. Tribus igitur versibus haec sententia continetur : Ad recte fruendum vita bonisque, i. e. ad *cupiditatum moderationem* omnem esse laborem homini referendum. Atque hoc remedium commune est omnium animi morborum.

Additur eius rei ratio intima ac maxima v. 10. Nihil enim iuvat, inquit, perfringere velle ordinem a Deo praefinitum aut altiores velle sumere spiritus; nam Deus, qui fortior homine est, pro suo arbitratu omnia multo ante constituit atque etiam invitis mortalibus ad sua consilia cuncta gubernat ac dirigit. Quod est in Vulg. *Qui*, in hebr. et apud LXX est *Quod*. Ipse Hier. in comm. reddit : « Quid est, quod futurum est? iam vocatum est nomen eius »; itaque in Vulg. pronomen ad hominem ipsum maluit quam ad humana referre, id quod parvi interest. Item scripsit *futurus est* pro *factus est* (LXX ἐγένετο, hebr. הָיָה) quia res, *quando* a Deo praedestinantur, futurae sunt. Porro cum dicit : « Scitur, quod homo sit » *quod* coniunctionem fecit (in comm. : *quia* homo est); licet autem ex hebr. (אֲשֶׁר הוּא אָדָם) interpretari cum LXX : ὅ ἐστιν ἄνθρωπος = id, quod est ipse homo, i. e. natura et proprietas hominis. Ceterum sententia ex Vulg. eadem colligitur, et fortasse interpres tantummodo concinnius adiungere voluit reliquam partem versus, quae in hebr. (ut nunc accentus sunt) coordinate ponitur. — « Fortiorem » illum esse *Deum*, pro certo habendum est; nemo enim praeter illum rerum omnium, antequam factae sunt

(hebr. כְּבָר = pridem), nomina vocavit hominisque naturam cognitam perspectamque habuit ita, ut eius voluntati resistere nemo possit. In hebr. etiam articulus *definitus* illi voci adiunctus est : שֶׁהַתַּקִּיף (Ketib; LXX : τοῦ ἰσχυροτέρου; alii legunt : שֶׁהִתְקִיף = qui sibi subiecit illum).

V. 11 « verba » ad « litigationem » cum Deo pertinent; cf. quae in c. 5 disputata sunt p. 200 sq. Clausula versus est ex hebr. : « Quae utilitas homini? »; sed ea verba ad proximum versum traxerunt iam LXX : τί περισσὸν τῷ ἀνθρώπῳ; Hier. in Vulg. paullo liberius ea verba cum proximo versu in unam enuntiationem conflavit et ad sententiam aptissime adiecit : maiora se quaerere. Valde autem incongrue et apud LXX et in Vulg. nunc totus hic versus, qui in hebr. est duodecimus c. 6 ad c. 7 adnectitur. Nam praefinitio divina v. 10 et quaestio de vero bono hominis, futura tempora nescientis (v. 12 = 7,1), ad eandem disputationem spectare, demonstrant 3,14 sq. et 22; cf. 9,3 et 8 sq., de ipsa autem praefinitione 1,9 sqq. et 7,13 sq. — Pro « numero dierum peregrinationis suae » in hebr. est ad verbum : numero dierum vitae vanitatis suae (i. e. vitae suae vanissimae). Deinde in hebr. : « quos facit ut umbram s. ut umbra », ut aut homo aut vita eius umbrae comparetur. Ultima parte versus ratio affertur cur, quid sibi conducat, homo invenire *ipse* nequeat, sed a Deo praestitutum libens acceptare debeat. Nam ut suo ipsius consilio se dirigeret, scire eum oporteret, qui fructus permanens e suo labore esset oriturus, qualem heredem esset habiturus (cf. 2,19. 21), qui casus fortunae essent futuri, aliaque multa id genus. Itaque satius esse significat Ecclesiastes in divina voluntate acquiescere, modeste agere nec maiora se quaerere; frustra enim homo Deo invito spiritus assumit et altiora tentat. — Vox autem אַחֲרָיו melius « post hoc s. posthac » vertitur; nulla enim ratio est, cur solum tempus post *mortem* futurum intelligatur, et eadem est vocis notio 9,3, ubi eam Vulg. quoque reddit « post haec ». Recentiores plerique interpretantur « post vitam » locis omnibus, pauci aliter velut *Mot.* « dans la suite »; exemplum manifestum est, suffixum neutraliter accipi licere, Ier. 51,46.

Merito igitur videmur alteram partem c. 6 pro principio novae amplificationis accipere, qua superiora omnia, sicut factum vidimus 3,1-15, ad altissimam divinae providentiae ac praedestinationis rationem revocentur. Porro demonstrandum est (quo vis orationis ad persuadendum etiam maior sit cunctaeque ab initio disputationis summa capita collecta iungantur), quomodo verum vitae bonum, a Deo homini praestitutum, et levium *vitiosae hilaritati* et gravium *nimiae austeri-*

tati opponatur et in vitae moderatione inque mediocritate collocetur. — Sed prius ad superiora uberius explicanda nonnulla adiiciam.

V. 7 necesse est « animam » discerni ab « ore » et tamen designare aliquam cupiditatem. Prius ex v. 9ª elucet, ubi visio oculorum animae (hebr. נֶפֶשׁ) affectioni opponitur, deinde ex particula « etiam » (גַּם) voci *animae* praefixa atque makkeph iuncta. Alterum demonstratur eodem v. 9, qui certe non in alio argumento versatur, nisi ut cupiditas inquieta reprimatur. Ex hoc ultimo etiam cognoscitur, *qualis* sit illa cupiditas, quae animae vocabulo exprimitur. Itaque nec sensuum s. « oculorum » aviditas (sola) intelligitur, nec vero animi recte comparati desiderium. Falluntur et illi, qui cibi appetitionem opponi honestis animi studiis volunt, et illi, qui sensuum aviditatem ipsam numquam exsatiari interpretantur. Rectissima sane utraque sententia est, sed in hunc locum non quadrat, nec in universam scriptoris disputationem, qui quidem « cibi potusque » sumptionem pro summo vitae bono commendare, at animi (potissimum) insatiabilem cupiditatem reprehendere soleat. Certe si in hanc sententiam vv. 7-9 acceperimus, prorsus ipsius Ecclesiastae vestigiis institerimus; sed idem suadet et huius loci ratio, ut modo vidimus, et oratio tota multo aptius cohaerebit. Sequitur, ut וְגַם v. 7 non sit proprie adversativum, sed copulativum valeatque « atque etiam », aut saltem vis adversativa ad solam pertinet vocem animae; duae enim rationes ad commendandam cupiditatum moderationem afferuntur : 1) Dei decretum, ad « oris » usum omnia proponentis, 2) animi ad nova atque altiora perpetuo evagantis insaturabile desiderium. Mot. : « Tout le travail de l'homme doit viser à sa subsistance; mais ses désirs, eux, sont insatiables ». Quod v. 8 exemplis confirmatur : sapiens enim, nisi moderabitur cupiditates, aequiperandus erit insipienti, cum in similem incurrat « vanitatem » (1,13-18); item miser aliquis, i. e. is, qui non ut ille insigni quadam laude ornatus, sed humili et ingenio et fortuna est, nisi mala huius vitae sedato animo ferre sciet, nisi se accommodaverit ceteris hominibus, nisi continuerit animi appetitum, nulla re alia prudentiae laudem merebitur. Haec igitur exempla tamquam summi et infimi sunt, inter quos cetera collocabimus genera hominum. Iam parvi refert, utrum verba ultima v. 8 referamus ad quandam luctationem cum malis undique ingruentibus (« ire contra vitam », ut *Mendelss.*, *Gr.*, fortasse LXX et Ven.), an de bene vivendi prudentia (« consuetudine uti viventium », ut plerique); certe intelligere oportet modestam accommodationem ad eam vitae conditionem, in qua quis a Deo positus est. Haec v. 8 sententia congruit omnino iis, quae alibi ab Eccl. disseruntur; nam in c. 2 cum vv. 12-14 de sapientiae laudibus dicit, eam in luce, non in tenebris ambulare, i. e. rationis lumen, non caecam animi cupiditatem sequi affirmat.

Explicationem non multum discrepantem habet Mot., qui vertit finem v. 8 : « accepter ce que présente la vie », eandemque etiam veteres quidam secuti sunt. *Thaum.* ita habet : « At homo *moderatus* huiusmodi cupidita-

tibus non retardatur »; sed addit : « solet autem recte vivendi studium paupertati hominem obiicere ». Haec ultima quomodo e verbis LXX eruerit, difficile dictu est; nec haec ipsa facilem interpretationem habent : ὅτι (al. ὅτι τίς, item Olymp.) περίσσεια τῷ σοφῷ ὑπὲρ τὸν ἄφρονα, διότι ὁ πένης οἶδε πορευθῆναι κατέναντι τῆς ζωῆς. Neque *Syr.* versum impeditissimum videtur intellexisse; vertit enim : « Quia est lucrum sapienti praeter illud quod est stulto : quare? quia pauper cognoscit ire ad vitam ». Sententiam fere Vulgatae expressit *Chald.;* at illud « nisi » in Vulg. non legitur in hebr., sed pro eo « sciens » exsistitque sententia diversa. Fortasse autem Hier. clausulam versus pro responso accepit ad superiores interrogationes in hunc modum : « Quid miser? non est nescius pergere ad vitam ». Ergo grammatice defendi potest Vulg., manent autem dubitationes complures. Nam vitam veram atque aeternam significasse Ecclesiasten, nullum indicium est; praeterea illud כִּי initio versus omissum est nec facile poterat consistere; denique cogit ista explicatio, in v. 9 « intuitum oculorum » de prudentia deliberationis accipere, ut fecit in comm. *Hier.* Sed horum verborum vis vera elucet ex 11,9 : « Ambula in viis cordis tui et in *intuitu oculorum* tuorum », ubi nemo dubitat, quin vitae usus honestus ac moderata delectatio significetur; nec unquam satis repeti potest, ad proprias huius scriptoris dicendi formulas attendendum esse, si velis recte iudicare, quae quoque loco contineatur sententia. Sed de hac una formula si constat, quid sibi velit « animae ambulatio » (hebr.)., dubium esse vix potest; illud intelligitur, quod a quieta vitae moderatione maxime discrepat : immoderata inquietaque cupiditatis evagatio, ille ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας (Sap. 4,12) = fluctuatio et quasi gyratio aviditatis (Vulg. : inconstantia concupiscentiae). De verbi הָלַךְ notione cf. Ier. 3,17, ubi Vulg. habet : « Non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi »; נֶפֶשׁ esse principium omnis desiderii sive boni sive mali, notissimum est, hic autem intelligi malum ex priore parte comparationis fit manifestum. Omnino consentanea erit versus clausula; omnia enim genera *vanitatis*, ab Eccl. enumerata, in eiusmodi cupiditate, quae esset moderationi contraria, versabantur.

Quae cum ita sint, pro maxime probabili statuo, versibus 7-9 eam sententiam contineri, quam dixi. Quanta autem interpretum dissensio sit, et ex iis, quae ante posuimus cognosci licet et comparatione facta, v. c. *Zoeckleri* cum *Ew.*, *Del.*, *Gr.* Atque hic quidem illud habet etiam valde singulare, ut omnia adversus *ascetas* dicta velit! Sic enim scribit : « vv. 6, 7-7,14 videntur mihi perpetua quaedam esse disputatio, cuius acumen dirigatur in ascetas, omnis delectationis adversarios, qui sua conditione non contenti mortem ut summum bonum appetant ». Itaque illum « miserum » v. 8 eum interpretatur, qui carnem affligat et « contra vitam eat »; porro « animam ambulantem » corpus (!) ascesi tabescens. Simile est, quod dicit Hahn : animum intelligi maerore ascetico languescentem. Assentitur Ren., qui vertit v. 9 : « Mieux vaut vivre à sa guise que de s'exté-

nuer; trop de vertu est aussi une vanité. » Sed hi suas Salomoni s. Ecclesiastae affingunt opiniones, et quoniam initium capitis septimi prorsus sapere ascesim videtur, *Gr.* et *Ren.* statuunt, ibi a scriptore *alienos* errores refelli; de qua re mox videro.

Aliqua etiam ex aliis interpretibus referam, unde appareat, quanta sit explicandi fluctuatio, si singuli enarrentur versus, ad totius orationis perpetuitatem parum attendatur. *Olymp.* v. 7 de insaturabili sensuum aviditate, qua animus nunquam efficiatur beatus, accipit; deinde versu 8 ita interrogari censet, ut respondendum sit, omnibus partibus praestare sapientem stulto. « Hic enim », inquit, « voluptatibus est mancipatus; at sapiens egenus, qui est pauper spiritu, vitae occurrit (κατέναντι τῆς ζωῆς πορεύεται), i. e. virtutum semitas sectatur, usquedum veniat ad omnis appetitionis finem; cupit enim dissolvi et esse cum Christo, quae est vita sempiterna ». Deinde versum nonum, qui est apud LXX : ἀγαθὸν ὅραμα ὀφθαλμοῦ ὑπὲρ πορευόμενον ψυχῇ, sic enarrat : « Longe multumque praestat, perspicacibus uti mentis oculis et a S. Spiritu illustratis, quam ambulare anima, i. e. naturalem ac caecum sequi desiderii impetum ». — *Pin.* ad v. 7 : « Sapiens vel exprobrat *avaro* inexplebilem sitim et inutilem congregandi laborem, quo... numquam suam animam, i. e. *ventrem* impleat; vel disiicit eam, quam avarus praetendere solet, necessitatis speciem : Laboro, inquit avarus, ut habere possim, quod ori admoveam... At multo plus laboras, quam pro ore implendo et exsaturando..., ut animam, i. e. *cupiditatem* infinitam impleas, in immensum laboras, et quidem frustra ». Ad v. 8 scribit : « Haec sententia confirmat superiorem illam de humano labore pro ore implendo et victu parando. Nam ea re cunctos pares effecit eadem humanae conditionis sors... ut inde Eccl. colligat vel *miseriorem esse avarum universis mortalibus...* Vel iubet Salomon *pauperem non despondere animo*, cum videat divitem et pecuniosum hominem etiam laborare pro ore... Altera via conficiendi sensum bene commodum et cohaerentem, ut ex superioribus colligat Sapiens, nihil solidi boni divitem accipere ex vanitate divitiarum, si his nesciat uti; nihil item pauperem commodi accipere, si se propter paupertatem excruciet, cum tamen pauper posset sua sorte contentus vivere, dives item, *si sapere uterque vellet.* Ergo si pauper nolit pergere illuc, ubi est vita et « ambulare coram viventibus », i. e. *facilem et iucundam vitam traducere*, nihilominus poterit habebitve, quam avarus dives ». Ad v. 9 hanc praeter ceteras probat explicationem, ut dicat Ecclesiastes « praestantius et conducibilius esse ad animi tranquillitatem *praecognoscere* et, si liceret, etiam nonnullo experimento praeiudicare, quid sit nostro desiderio nostraque industria et labore dignum, quam ignoranti, inexpertae et praecipiti, caecae concupiscentiae remittere desiderii habenas ».

Eandem fere insistit viam *Corn. a Lap.* Ad v. 7 disserit : hanc esse vanitatem et stultitiam *avari*, ut cum propter os suum laboret, illud tamen rebus etiam necessariis defraudet utque cupiditatem habendi implere velit nec possit. Ad v. 8 : sapientem et pauperem in vita et morte atque labore victum comparandi, ut satient os et ventrem, pares esse; hac tamen re pauperem sapientem antecellere diviti avaro et stulto, quod pauper pergat ad vitam, dives vero ad mortem. Denique ad v. 9 : melius esse videre, i. e. *uti et frui* praesentibus et certis, quae oculis cernas et manu tangas, quam desiderare absentia et incerta, quae nescias.

Audiamus etiam de uno v. 8 aliquot recentiores. *Hengst.* et sapienti et stulto similem exprobrari avaritiam inexplebilem arbitratur; ita fieri, ut nihil fere differat inter utrumque. *Elst.* hoc maxime interesse dicit, quod ille in rerum contemplanda pulchritudine ac venustate sistat, alter fruendae voluptati inhiet. *Zoeckl.* hoc statuit

esse discrimen, quod sapiens animi cibum appetat, stultus oris delectationem, sed hoc simile omnino, quod neuter id quod cupiat assequatur. *Del.* ita disputat : sapientem compescere cupiditatem studere, pauperem abscondere, stultum explere; sed manere in omnibus et vigere naturalem aviditatem nec, hac quidem in re, esse, quo differant inter se. — Atque haec tam multa de vv. 7-9 afferre placuit, ut rursum fieret manifestum, 1) non auctoritatibus, sed rationibus in huius libri interpretatione agendum esse; 2) rationes autem non tantum ex versibus singulis, verum etiam, idque multo magis, ex universae disputationis sententia, argumentorum serie atque continuatione, dictionis denique huius scriptoris proprietate rem conficiendam esse.

Ergo hic quoque, ut identidem, Eccl. suo modo illud praecipit, quod in alio argumento Paulus (Rom. 12,3. 16) : ne plus sapiamus quam oporteat sapere, sed sapiamus ad sobrietatem... ne alta spectemus neu velimus esse prudentes apud nosmetipsos. Dei enim oportet conformari voluntati, praesertim cum inutile sit omne cum Omnipotente certamen. Atque hoc ipsum, ut inter omnes interpretes constat, vv. 10-12 edisseritur; qua re commode explicatio priorum versuum a nobis proposita confirmatur. Quodsi altius ad superiora respexerimus, omnia aptissime coniuncta nexaque inter se reperiemus. Nam supra (a 4,17 usque ad 6,6) *singulis* vitiis in secunda libri parte (a 3,16) reprehensis proposita sunt remedia; nihil igitur magis consequens, quam ut ad *communem* totius vitae regulam explicandam redeat oratio : quae quidem in voluntate Dei omnia praefinientis hominemque angustis quodammodo finibus coercentis continetur. *Pin.* et *a Lap.*, ut universum c. 6, sic haec quoque de Providentia quidem, sed adversus *avaros* disputari opinati sunt; sed id a serie argumentorum alienum esse dudum vidimus, nisi velis avaros dicere cupidos s. cuiuslibet rei vetitae avidos. Quamquam utrique satis etiam probatur illa explicatio, quae ex Providentia et Praedestinatione generatim refutet arrogantiam hominum altiora se spectantium. Eam interpretationem sic bene proponit *a Lap.* : « Dicuntur de iis, qui sua sorte non contenti obmurmurant divinae providentiae, quod ab ea aliam sortem non sint nacti, qui proinde, ut ait Olymp., inconsultius quaerunt : quare Deus hunc hominem paupertate oppressit, illi vero magnas opes effudit? Contra hos ergo docet omnes res ac praesertim hominem in omnibus subiacere ordinationi divinae, ut pauper sit vel dives, nobilis vel ignobilis, sanus vel aeger, felix vel infelix..., ac proinde in nulla rerum sorte, casu vel statu contra Deum obmurmurare posse, utpote qui cuivis prout libet cuncta partitur tamquam summus omnium Dominus et sapientissimus optimusque omnium gubernator. Unde Thaum. hunc versum et sequentem (10 sq.) ita vertit : Quae nunc facta sunt, iam cognita sunt, perspicuumque est hominem iis, quae supra se sunt, reluctari et obsistere non posse; ceterum nugae et ineptiae inter homines versantur eorum, qui iis utuntur, amentiam augentes, scil. murmurationes et curiositates... Et auctor Catenae Graec. : Omnia, inquit, a Deo sunt; ipsi quoque cuncta fuere praecognita nomenque sortita, apte suum cuique respondens, illud vitae institutum accepere a Deo, quod maxime unicuique conducere praevidit. Quis igitur sit, qui eius resistat voluntati? ut prop-

terea irritum vanumque sit investigare deinceps, cur hic divitiis affluat, ille paupertate prematur, et cetera, quae sunt generis eiusdem ».

In v. 10 miror, cur multi הָיָה velint significare rem praesentem (« quod fit »); nec porro נִקְרָא recte verterunt LXX κέκληται, ac plerique interpretes in alterutro verbo offendunt, ut in simillimo loco 3,15. Sed vertendum est : Quidquid *factum est*, eius pridem *erat* vocatum nomen (alterum perf. hebr., ut saepe, pro lat. plusquamp. positum est). Mire *Rosenm.* : « Quidquid sit aliquis », item *Cast.* ; intelligunt *hominem*, qui postea nominatur. At non debent haec verba aliter verti ac 1,9 et 3,15. In proximis verbis אֲשֶׁר difficultatem habet. *Hahn* proprie relativum esse vult : « quisquis homo est, notus est », atque hoc ultimum pro sua interpretandi ratione sic intelligit : notissima illa est pravitate, quam ex haereditaria labe contraxit, s. nemo unquam melior homo nascitur, sed omnes sunt peccatores et in peccato detinentur a Deo, usque dum fit redemptio. At tota haec de Redemptore interpretatio ab Ecclesiastae disputatione aliena est, et hic, quid sibi velit הוּא post אֲשֶׁר, non satis apparet; praeterea quantis argutiis Hahn delectetur, explicatio declarat ultimi incisi v. 12, quod in suam sententiam trahens ita vertit : *Utinam aliquis* doceat hominem, quid tandem *sectetur* sub sole! — Multi אֲשֶׁר pro כִּי accipiunt (ut 8,12 med.) : « notumque est, hominem hunc esse ». Sed cur « hunc hominem » dicat de eo, qui nondum sit nominatus, difficile dictu est; quod sentiens *Hier.* in Vulg. maluit prius quoque incisum ad hominem referre vertitque : « Qui futurus est... » Itaque alii reddunt : « notumque est esse hominem talem (הוּא) », i. e. a Deo factum ac determinatum : *Ew.*, *Elst.*, *Zoeckl.*; at probabile non est, הוּא ita vage respicere partem enuntiati priorem. Malumus cum *Rosenm.*, *Del.*, *Bick.* אֲשֶׁר pro relativo interrogativo, i. e. tali, pro quo possit substitui interrogativum (cf. Ps. 66,16), interpretari in hunc modum : « notumque est id quod est homo, s. quid, qualis sit homo ». אָדָם autem, quod caret articulo, appositionis loco adiungitur ad הוּא, licetque presse vertere : « id quod est hic, quem hominem appellamus ». Qui loquendi modus aptissimus hoc loco est, quia sic quasi digito demonstratur istud animal e terra (אֲדָמָה) factum, tam humile atque imbecillum. — Quod sequitur דִּין aut *litigare* sonat, ut niphal 2 Sam. 19,10 (Vulg. « certabat »), aut proprie « iudicium instituere », quo significetur etiam maior insolentia hominis cum Deo expostulantis. Ea quam sit etiam perniciosa, intelligi licet ex 5,5 sq.; indidem facile cognoscas, v. 11 דְּבָרִים « verba, » non « res » designare (cf. etiam 7,7 sqq.; 10,12 sqq., ubi v. 14 compara cum 6,12). « Res » intellexerunt *Chald.*, *Hengst.*, *Ginsb.*, *Zoeckl.*; *Mot.* vertit : La multitude des affaires multiplie la vanité. — *Ren.* sibi visus est invenisse, Ecclesiasten suae de vanitate philosophiae versibus 11 et 12 ipsum illudere : « Il semble que l'auteur cherche à montrer que sa propre philosophie de vanité est aussi vaine que tout le reste ». Idque sic vertendo studet persuadere : « Il y a une sagesse qui s'en va répétant à tout propos : Vanité!... » Futile inventum! — Ad verbum עָשָׂה, quod hic sonat « peragere » (tempus) comparant ποιεῖν ἐνιαυτόν Iac. 4,13 (Vulg. « ibi faciemus annum), ποιεῖν χρόνον Act. Ap. 15,33, dies decem fecimus, Cic. ad Att. 5,20. Graecismum odorati sunt *Zirk.* et *Gr.*, sed quoniam etiam syr. עבד de peragendo tempore usurpatur, nihil conficiunt. — Proximum אֲשֶׁר est « quia », ut 4,9; 10,15.

b) De levitate 7, 2-7 (Vulg.).

7,2 (Vulg.) « *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa, et dies mortis die nativitatis* », v. 3 « *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat, quid futurum sit* » (hebr. : nam hic finis est omnis hominis et vivens ponit in corde suo); v. 4 « *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis* » (hebr. : tristi cum vultu bene est animo); v. 5 « *Cor sapientium, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi laetitia* »; v. 6 « *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi* » (hebr. : quam si quis audit cantilenam fatuorum); v. 7 « *Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti; sed et hoc vanitas* ».

Quale argumentum hic tractetur, non facile cuiquam dubium esse potest; quare hoc loco tractetur, non quaerunt interpretes; quid nobis videretur, supra p. 225 dictum est. Versus hi de *bono* meliore consequuntur quodammodo, si connexionem externam quaeras, ex illa mentione boni, quae est in 6,9 et 7,1 (Vulg.), suntque insignes acuta concinnitate, etiam sono vocum expressa. Oblivisci non debemus eos solis levibus stultisque dictos esse et, ut fit in huiusmodi sententiis concinnis, contraria e contrariis esse metienda. Itaque hic *ille* luctus commendatur, qui sit sannionibus scurrisque salutaris; quem cum laudat, non a se ipso desciscit Ecclesiastes, qui quidem initio c. 2 stultorum laetitiam *insanam* vocaverit. Nec enim pugnat hic luctus cum laetitia honesta ac laudabili, quam solet summum bonum appellare; quam esse coniunctam vult timori Dei, omninoque nihil aliud intelligit nisi moderatum vitae usum atque cupiditatum refraenationem. Sed tamen quia contraria contrariis curantur, luctum illum hic exaggerat, ut protenus a v. 8 (Vulg.) nimiam etiam austeritatem vituperet, quam ipsam rursus toto libro ad cibi potusque usurpationem et laetitiam revocat. Oportet igitur sapienter Sapientis verba intelligere et circumscribere.

In v. 2 (Vulg.) unguentum pretiosum ad stultum pertinet, non ipsum per se, sed quia in conviviis festisque diebus adhibebatur, quibus potissimum illi exsultant. Existimatio (bona) et unctio ob soni similitudinem componuntur (hebr. שֵׁם שֶׁמֶן), alioquin pro illa alia multa comparari potuerant. Accedit autem, quod virtutis quaedam suavitas odoris suavitatem imitatur; itaque non tantum Apostolus, « Christi », inquit, « bonus odor sumus » (2 Cor. 2,15); sed eadem metaphora in V. T. saepe usurpatur, cf. Ecclesiastici 24,20-23 de sapientia; de ipso autem

nomine audi Sponsam in Cantico (1,3) : « Oleum effusum nomen tuum ». Recte igitur sic quoque illum versum (quem absurde Renan vocitat « proverbe banal ») interpretari licet : Praestat odor nominis odori optimi unguenti. Opponitur deinde laetitiae dierum festorum (cuius exemplum natalis est, hebr. : dies quo *quis* nascitur) tristitiae summae causa mors. V. 3 non modo dolentibus, verum etiam condolentibus salutaris dicitur luctus, quia admonentur omnes, qui finis sit hominis (Vulg. : finis admonetur, i. e. in memoriam revocatur; hebr. : iste finis est), talis quidem, qualis fuit eius, quem lugent; unde fit ut « qui vivit, id in animo ponat » (hebr.), i. e. secum recogitet. Quod amplius explicatur v. 4 : magnam enim vim habet dolor s. maeror (כַּעַס : Vulg. ira) et moderata tristitia s. severitas ad iuvandam animi salutem, cui tum « bene esse » (Ruth 3,7; Iud. 19,6) solet. Vulg. id ad *aliorum* emendationem referre videtur, sed ipse Hier. in comm. sic scribit : « In moerore vultus emendabitur cor. Risus dissolvit ridentem, ira corripit et emendat. Irascamur *et nobis,* si quando peccamus, irascamur *et aliis*. Per tristitiam quippe vultus melior fiet animus, ut interpretatus est Symmachus ». Denique v. 5 concluditur veram esse in luctu *sapientiam,* in laetitia voluptaria stultitiam. Cuius sapientiae etiam novus v. 6 ostenditur fructus, quod vel reprehendendo prosit, cum contra lascivia vel « adulando » (ut bene Vulg. explicat) i. e. sensibus blandiendo noceat. Postremo v. 7, quanta sit levitatis praeter fallaciam etiam sterilitas, egregia comparatione scriptor exsequitur; ut enim spinarum ardentium crepitus est multus, flamma etiam ad speciem magna, at brevissime languescens nec satis efficax : ita vociferatio, cachinnatio, eiulatio stultorum strepitum quidem plurimum, fructum autem nullum afferunt, quia solidum non gignunt animi gaudium.

Cum verbis Ecclesiastae congruit illud Christi Domini : « Beati qui lugent, quoniami psi consolabuntur » (Matth. 5,5), et alterum : « Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis » (Luc. 6,25), cum tamen Paulus praecipiat : « Gaudete in Domino semper; iterum dico : gaudete! Modestia vestra nota sit omnibus hominibus » (Phil. 4,4 sq.). Modestia enim s. decorum (τὸ ἐπιεικές) illud est quo perpetua sapientium laetitia ab effusa gestientis hilaritatis cachinnatione discernitur; illa est animi potissimum, haec vultus ac sensuum; illa gravia graviter novit tractare nec, quot quantaque sint in vita humana mala, dissimulat, haec pueriliter exsultat et parvi pendit gravissima.

Quod initio dicebatur mors melior die natali, id satis longe discrepat a 4,3, ubi per *exaggerationem affectus* (ut Iob 3,1) dicitur melius non esse quam esse, et a 6,3 sqq., ubi praefertur sors abortivi

stulti regis vitae inutili. Nam hoc loco, de quo agimus, negatur tantum ita optabilem esse vitam diuturnam, ut non gratissima accidat mors sapienti. Et sane multi fuerunt viri sanctissimi, qui vitae mala experti mori concupiscerent, ut idem Paulus : « Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo; multo magis melius » (πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον, Phil. 1,23). Ecclesiastes autem, etsi illis quidem temporibus iter ad coelum nondum patebat, tamen aliquando apertum iri habebat cognitum (12,7). Rectissime ei igitur licebat mortuos meliores praedicare vivis, quoniam morte homo saltem tot malis periculisque liberatur et anima mortui in manu Dei atque in pace est (Sap. 3,1 sqq.).

Hic *Gr.* simili artificio, ac modo attulimus, antevertit *Ren.* cupide sequentem. Postquam 6,11 reperit dicta stulta vituperari *ascetarum*, qui « luctum, mortem, vitam futuram affirment esse summum bonum et hanc vitam velint esse in perpetua recordatione mortis : nunc cogitur omnia, quae in laude severitatis sanctaeque tristitiae versantur, Ecclesiastae abiudicare ab eoque ex aliena persona afferri dicere. Ergo vv. 1-6 (hebr.) arbitratur sententias contineri fatuorum, quas scriptor repudiet et subiuncta clausula : « Hoc quoque vanitatis » condemnet. Argumentum Gr. petit ex v. 9, ubi maeror dicitur quiescere in sinu fatuorum, contra ac v. 3, ubi maeror laudatur. Quid autem, si ego dixerim vv. 8-10 esse alienae personae, superiores propriae, praesertim cum Gr. iubeat v. 7 legi : « *Perversitas* stultum facit sapientem et perdit animum *prudentium* »; sic enim optime inducentur perversa proverbia, quae sequuntur, et illud argumentum ex « maerore » mihi eodem prorsus modo favebit. Profecto apparet, nulla idonea ratione illum suam de vv. 1-6 opinione suasisse; atque etiamsi cui probabitur illius interpretatio versuum 11 et 12 cap. 6, tamen non erit lenis ad initium cap. 7 transitio. Maius est, quod 7,7 arbitratu suo in sententiam prorsus diversam inflectit; nimirum in eius opinionem minime quadrabat. Item v. 8 substituit « morosum » pro « arrogante », post v. 10 alium (5,7) interponit, deinde 11 et 12 exterminat, denique clausulam v. 14 sic enarrat : « Post mortem *nihil inveniet melius;* proinde fruatur praesentibus ». Isto modo feliciter ad hanc conclusionem emersit : « Atque hic illa absolvitur series sententiarum contra ascetas vitae contemptores ». Sed si versus sex priores capitis septimi notant ascetas vitae contemptores, certe non minus 2,2, ubi risus insania et laetitia futilitas appellatur. Quid vero? Num unquam scriptor ullus rerum mundanarum vitaeque humanae vanitatem tanto « contemptu » castigavit, quanto is qui, a vanitatis proclamatione orsus, eadem terminat orationem suam nomenque vanitatis rebus omnibus mundanis ut proprium apponit? Num quisquam gravius mortis recordationem etiam adolescenti suasit inculcavitque, ut hic idem c. 12? Qui igitur poterit « ascetismus » ab eo removeri?

Hoc unum *Gr.* recte vidit, quandam esse inter sex primos et ceteros versus huius capitis discrepantiam. Sed ea facile tollitur hac considera-

tione : duo genera hic mortalium longissime inter se distantium, levium dico et austerorum, institui, eisque remedia contraria adhiberi, ut levibus summa severitas, austeris moderata incuria proponatur sectanda. Nihil igitur mirum, si oratio utrimque videri possit exaggerata, ac « maeror » (כַּעַס) illis commendetur, his dissuadeatur. Annon licebit et cachinnanti dicere : « Noli ridere, risus stultorum est », et moroso : « Volo te semper ridentem videre, multos occidit tristitia »? Et re quidem vera כַּעַס alias honestus est, Prov. 17,25 : « *Ira* patris filius stultus, et dolor matris, quae genuit eum », alias inhonestus, ib. 21,19 : « Mulier rixosa et *iracunda* ». Pro *dolore* vehementi, ut hic rectius quam *ira* vertitur, sed honestissimo eadem vox posita est Ps. 6,8. Nec ceteri interpretes in ambiguitate significationis offenduntur, sed eam facile tollunt, ut *Thaum.*, *Olymp.* itemque recentiores.

Multae difficultates, explicato duplici vel triplici argumento totius loci, sua sponte evanescunt; quarum hae sunt praecipuae. Quoniam prima parte (— v. 7, hebr. 6) « insana laetitia » (cf. 2,2) castigatur, intelligitur, cur *summa* severitas tamquam antidotum quoddam ob oculos ponatur; contraria enim contrariis curantur. Mors igitur ostenditur et domus, in qua corpus mortui iacet; haec stultus ille iubetur meditari. Porro huic maeror proponitur et tristitia vultus, quae ei initium fiat verae animi iucunditatis; lugere et poenitere eum oportet et (v. 4 hebr.) in rerum tristium consideratione quodammodo habitare; increpationem sapientis magistri patienter tolerare (v. 5) et odisse turpem strepitum scurrilium gaudiorum. Quae omnia *illi* salubria sunt, quem huiusmodi vitio liberari oportet. Nihil hic falsum « ascetismum » sapit, sed singula paene verba doctrinam prudentiae. Et initium quidem huius tractationis bene ducitur ab unguenti mentione, quia in conviviis potissimum illa effusa laetitia cernitur, conviviorum autem quasi symbolum poeticum est unguentum (*Olymp.* ἐκ δὲ τοῦ μύρου ὅλην τὴν ἐν ἀνθρώποις ἡδονὴν ἐσήμανε). Cui vocem sono similem Eccl. opponit, quae omnem honestatem significat; acerbe enim irridens docet non unctionem bonam perpetuo in ore habere, sed potius bonam existimationem, quae, si illa nimis usurpetur, saepe amittatur. Si latine scripsisset, fortasse unctionem et compunctionem comparasset, quamquam sane, quia odor bonus saepe dicitur in *nomine*, ut in unguentis, idcirco melius existimationem et unctionem composuit; sed hoc unum potissimum intendit, ut verborum *similium* contentione apertius appareant contraria. Altera parte versiculi diei natali, quo exsultant illi leves, opponit item eum, quo omnia eorum bona intereunt. Quid igitur ineptius, quam quod *Ren.* de hoc versu et reliquis usque ad sextum notat : « L'intention de l'auteur étant de mettre parmi les vanités les sentences qu'il va citer, il commence par un *proverbe banal*, dont l'effet est de jeter une sorte de ridicule sur ce qui suit ». Quod autem idem clausulam v. 6 (versiculum *dimidiatum*, immo hebr. *quatuor syllabas!*) scriptura crassiore ita distinguit, ut species quaedam efficiatur, quasi huc tota Ecclesiastae oratio collineetur : domum mihi vi-

detur in unam columellam impositam librare velle. — Nec video, quid multi in explicando v. 2 (hebr. 1) laborent aut negent conciliari priorem partem et alteram posse; nec opus est hac explicatione, quam *Elst.* ut omnium optimam proponit : « Quia bona existimatio et gloria, quae *immortalitatem nominis* apud posteros pariat, melior est voluptate sensuum, cuiusmodi ex unguentis pretiosis percipitur : *idcirco* diem obitus feliciorem oportet videri die natali, quandoquidem in mortuis clarescit consecraturque gloriae perpetuitas ». Sed omnia facile expediuntur, dummodo, de qua re proprie agatur, ob oculos versetur.

Reliquum est, ut de singulis quibusdam vocibus pauca dicantur. V. 1 (hebr.) שֵׁם, ut Prov. 22,1, in bonam partem accipiendum est, non in malam, ut Gen. 6,4; sua autem sponte alterum טוֹב auditur etiam ad שֵׁם, ut recte significat Hahn. — V. 2 LXX bene vertunt : ὁ ζῶν δώσει ἀγαθὸν εἰς καρδίαν αὐτοῦ; « quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in *salutem* stabilem operatur » (2 Cor. 7,10); sed praecedere oportet diligentiam meditationis, cf. 9,1 : « Tractavi in corde meo, נָתַתִּי אֶל־לִבִּי ». Nulla necessitate contra accentus Hahn explicat : « In quo est finis omnis hominis, hoc oportet considerare »; nam הוּא paullo tantum audacius, ut זֶה 12,13, praedicato conformatum est, ut si latine dicas : « Haec vera amicitia est » pro : « In hoc cernitur, hic apparet... » — V. 3 יִיטַב לֵב constanti usu linguae (cf. Iud. 19,6; Ruth 3,7) significare videtur iucunditatem animi, quamquam LXX, Syr., Ar. (ut Vulg.) reddunt : emendationem s. sanationem, item quidam etiam recentiores, ut Mot., Cast.; Olymp. ἀγαθύνεσθαι (LXX) in utramque sententiam interpretatur : ita sunt, hic quidem, inter se finitimae significationes. Idem perbene de כַּעַס : « Irasci naturaliter bonum est, ut cum quis cupiditatibus aut daemonibus irascitur, atque de tali ira dicit : Bona ira. At impetu naturae ad ulciscendam iniuriam abripi, reprehendendum est ». — V. 5 additum אִישׁ clarius indicat diversis hic diversa tribui; de forma autem comparationis solutiore, cf. 6,1 et 2, supr. p. 224. — Ad v. 6 Midrasch egregie : « Lignorum omnia genera sine sonitu ardent, solae spinae incensae crepitant, quasi dicere velint : nos quoque ramenta sumus ». Ita stulti cachinnis speciem efficere velle verae iucunditatis videntur; sed haec ipsa sine strepitu potius lucem caloremque gignit.

c) De austeritate 7, 8-15 (Vulg.).

7,8 (hebr. 7.) « *Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis eius* » (hebr. : Quando sapientem vexatio perturbat deque mentis statu deiiciunt munera, tum); v. 9 « *Melior est finis orationis quam principium. Melior est patiens arrogante* »; v. 10 « *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit* »; v. 11 « *Ne dicas : Quid putas causae est, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? stulta enim est huiuscemodi interrogatio* »; v. 12 « *Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem* »; v. 13 « *Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia; hoc autem plus*

habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo » ; v. 14 « *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit* » (hebr. : quis enim reflectere poterit, quod ipse curvaverit?) ; v. 15 « *In die bona fruere bonis, et malam diem praecave ; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum iustas querimonias* » (hebr. pro « contra eum » : « post eum » = in ipsius vestigiis quidquam).

Nunc austeris suam accommodat doctrinam eosque ab inutili maerore et tetrica truceque acerbitate ad animi tranquillitatem traducit.

Horum quoque versuum, ut 4,17 sqq., quibus sunt simillimi, cum de eodem sint argumento, veram sententiam parum recte explicari ab interpretibus persuasum habeo. Rursus enim illa indignatio castigatur, quae aspectu tot iniuriarum oriri in optimo quoque solet, quibus iniuriis modum ponere Deus arcano providentiae suae consilio cunctatur ac differt. *Externum* vinculum, quo haec cum superioribus (cf. 6,11 ; 5,5) iunguntur, est in stulta locutione ; *interius* tamen ex oratorio consilio scriptoris repetendum est ; v. p. 225. Fuit autem consentaneum, *contraria* hic componi, quia paullo infra *via media* demonstranda erit. Ergo post levitatem reprehenditur austeritas.

Versus 9 (Vulg.) pro apodosi prioris est. Itaque v. 8 (hebr. 7) כִּי particula est temporis, ut saepe alias, et *si, cum, quando* sonat. *Quando sapientem vexatio* (cf. 4,1) *perturbat*, i. e. paene de mentis potestate deturbat (hebr. יְהוֹלֵל = ad insaniam propellit) *et ei animi constantiam praesentiamque* eripit *munus*, quo corrumpitur iudex, ut est dictum 3,16 (hebr. : cor eius s. animum pessumdat largitio, מַתָּנָה), tum *melior est finis verborum* (hebr. ; pro quo Vulg. « orationis ») *quam principium*. Quos versus non minus quam 4,17 sqq. ad 3,16 sqq. et 4,1 sqq. respicere luce clarius erit et verba et sententiam et affectum comparanti. Nam corruptela iudiciorum 3,16 sqq. ita commovet perturbatque Ecclesiasten, ut desperantis instar videatur loqui, nec multo secus 4,1 sqq. vexationibus iniquis percellitur atque in summam animi exacerbationem coniicitur. Quae ad amussim, ut aiunt, respondent huic v. 8 (hebr. 7). Deinde proximo versui quam aptissime congruit praeceptum tacendi coram Deo 4,17 sqq. traditum. In v. 10 « ira », contra ac v. 4, in malam partem accipienda est. Quod non mireris, si « sapientiae » ambiguitatem v. 12 sq. (hebr. 11 sq.) contuleris ; rursum vv. 16 et 17 similem videbimus vocum a propria significatione ad aliam, quae contraria videatur, quasi distortionem. In his omnibus vocibus haec norma retinenda est ; rei veritati speciem eiusdem rei falsam tam finitimam esse, ut nomen etiam idem nanciscatur, id-

que non inepte, quando prudenti existimatori dubitatio nulla potest exsistere; quod istis locis quadrat. V. 10 (hebr. 9) ita explicatur nonus (octavus), ut, *quale* « verbum » intelligatur, definiat; indignantium enim et in Dei providentiam excandescentium oratio, Creatori ac Provisori rerum mundanarum iniuriosa, reprehenditur (cf. 5,5). Eodem pertinet illa « somniatio » inutilis (cf. 5,2. 6), qualis v. 11 proponitur. Nam perscrutari curiosius arcana consiliorum divinorum, quibus administratur mundus, stultitiae est, non sapientiae.

Sequitur vv. 12 et 13 Vulg. brevis commendatio *verae* sapientiae, quae posita est in ea, quam identidem scriptor summam in vita prudentiam appellavit; quam quidem similitudine illustrat divitiarum. Id proximo versu pulcherrime enarrat; *umbram*, inquit, *praebent* (hebr.), i. e. recreant reficiuntque, iuvant ornantque et *sapientia* et *argentum* (modo « bona » dixit : בַּחָכְמָה, בַּכֶּסֶף), sed *praestat sapientia*, quae sola *vitam dat;* nam, qui maestis illis affectionibus cedit, eius et corporis valetudo et animi salus periclitatur.

Sed ultima ratio, qua dissuadeatur indignatio atque iracundia, in inutilitate ac futilitate posita est eiusmodi affectionum (vv. 14 et 15 Vulg.); nemo enim pervertet aut mutabit eam mundi conditionem, quam Deus vel efficiendo vel permittendo fixam ratamque esse voluit; cf. quae disputata sunt ad 6,10 (p. 229), 3,14 sq. (p. 155) et maxime ad 1,15, ubi eadem fere verba posita sunt (p. 98 sq.).

Pauca de Vulg. addenda sunt. V. 8 « robur cordis » sive (ut est in Hier. comm.) *cor fortitudinis* ex graeco καρδία εὐτονίας apud LXX A. S[1], *Aq.*, *Theodot.* fluxit (Hier. ad loc.) Qui legerunt, ut arbitror, מָתְנֵי, i. e. femur s. robur eius; apud LXX nunc quidem editur εὐγενείας, sed et illi codices exhibent εὐτονίας et Hier. ita legit (cf. etiam notam ad eius verba apud *Migne*); item *Ol.*, at *Thaum.*, ut videtur, εὐγενείας. Sed idem Hier. testis est, *Symmachum* legisse מַתָּנָה et vertisse *donum*, itemque nunc legitur in hebr. Quam autem hoc sit ad sententiam aptum, explicatio nostra ostendit; tametsi eadem sententia satis eruitur apud Graecos et Hier. etiam ex vocabulo, quo reddunt hebr. עֹשֶׁק : calumnia = συκοφαντία (LXX), quae est iuris iniusta cavillatio. — V. 14 « curvatio » (sec. hebr.) ad *morum* depravationem relata est, ut 1,14 : « Perversi difficile corriguntur » pro hoc : « Quod curvum s. pravum est, non facile corrigitur ». Noluit autem interpres hic reddere : « Quem Deus pervertit » (ut in comm. suo), sed « despexerit », quod lenius *permissionem mali* designat. Similis est autem illa Pharaonis « induratio », quo exemplo usus Hier. ita explicat : « Quomodo una atque eadem solis operatio liquefacit ceram et siccat lutum, et pro sub-

stantia *sua* liquescit cera et siccatur lutum : sic una Dei in Aegypto signorum operatio molliebat corda credentium et incredulos *indurabat*, qui iuxta duritiem *suam* et impoenitens cor, thesaurizabant sibi iram in die irae ex his mirabilibus, quae cum viderent fieri, non credebant ». Sed servanda est poetica illa similitudo ligni curvati, cuius sit difficilis in priorem statum reflexio, eaque applicanda est non tam hominibus ipsis perversis, quam huic perversitati a Deo permissae, deinde etiam *rerum* a Deo factarum pravitati, i. e. illi proprietati, qua fiunt homini saepe molestae atque odiosae. — V. 15 « praecave » ad circumspectam considerationem pertinet; hebr. legitur « vide », cuius verbi obiectum esse statuo, quae sequuntur. In versu eodem « contra eum » proprie est « post eum s. post se »; iam in comm. Hier. melius dici notat « contra eum » (sec. Symm.) sententiamque hanc subiicit : querelam contra Deum eo ipso tolli, quod scias, ab ipso omnia esse vel facta vel permissa. Rectissime id quidem, si summam sententiam respexeris; de ista enim querela hoc loco agitur; sed tamen « post eum » rectius intellexeris « in vestigiis eius ». Quod autem id plerique accipiunt de tempore futuro post hominis mortem (ut v. g. 3,22; 6,12?) improbabilis interpretatio est, quia non tam futuri temporis ignoratio, quam generatim operis divini ignoratio hoc loco attenditur, cf. 3,11, ubi eadem fere verba sunt; et sane ipse scriptor dicit, agi hic de cognoscenda sapientia Dei, quatenus in *praesenti* permissione mali versetur (vv. 8-11). Praeterea non *tam* de scientia quaeritur, quam de potestate corrigendi res pravas (v. 14); ideo enim Deus cognitione operis sui privavit hominem, ut tanto minus audeat divinae resistere voluntati; sed hoc quoque ad *praesentis* temporis necessitatem, i. e. ad praesentes vexationes, calumnias, iniurias spectat. Deus autem nihil aliud abscondendis consiliis intendit, quam ut homo etiam « malo die » recogitet et se « humiliet sub potenti manu Dei, ut exaltetur tempore visitationis » (1. Petr. 5,6) vel, quemadmodum legitur 3,14, ut « Deum timeat ». Licet autem vertere pro « in vestigiis ipsius » (ut supra 6,12 et 9,3) « posthac », sed ita ut intelligatur « postquam Deus res semel constituit ».

Ante v. 8 (hebr. 7) *Del.* intermissa esse aliqua putat, de כִּי particula desperat, vexationis culpam attribuit ipsi sapienti, qui, dum poscat pro favore munera, paullatim deveniat in sordidam avaritiam, denique v. 9 (hebr. 8) satis mire explicat. Pauci interpretes ad verum (quod nobis quidem videtur) propius accedunt. *Wr.* ita enarrat : « Licet כִּי reddere « quia »; sententia enim causam exprimens aliquando priore loco collocatur, velut Gen. 3,14. 17 [ut saepe in linguis omnibus]. Erit igitur haec vis verborum : oppressio (vel) sapientem deducit ad insaniam, impellens ad stulte agendum, quia nimis indignatur irasciturque oppressori..., et munus aliquod

(donum corrumpendi iudicii causa datum) animum pervertit sapientis, i. e. affligit opprimitque mentem eius sensu iniustitiae ». Additque exempla, quibus probetur, *in hunc modum* de vi magni doloris loqui sacros scriptores : Ier. 4,9; 1 Sam. 25,37; Prov. 15,13... Sed idem *Wr.*, eum vertit versu proximo : « Finis *rei* cuiuspiam », ipse sibi creat difficultatem, ut nihil habeat explicationis nisi hoc : « Proverbium istud videtur cum superiore esse copulatum annexumque : finis rei cuiuspiam saepe fit ut melior sit principio, et ut e malo eveniat bonum ». Rectius hic veteres : LXX, *Vulg.*, *Syr.*; contra *Chald.* et recentiores paene ad unum omnes : « Exitus *negotii* », quo tota loci sententia perturbatur; sed in eum errorem incidere facile fuit parum recte intellecto capite quinto. Magna lux ea, quam proposuimus, interpretatione affertur imprimis versibus 10 et 11 (Vulg.), itemque 14 et 15. Quae autem dicuntur vv. 12 et 13, de ea sapientia intellige, quae est in diligenti oris custodia; nam quanta mala afferant verba divinae providentiae iniuriosa v. 5,5.

V. 8 Vulg. bene explicat Hier. : « Utamur hoc versiculo, si quando iustum virum et sapientem videmus calumniam sustinere et turbari de iniquitate iudicii nec *Deum statim subvenire praesentem* ». In hoc vis omnis est. Nihil igitur huc pertinet de sapientis *ipsius* corruptione dicere, de qua Ex. 23,8; Deut. 16,19, sed de indignatione sapientis iniquitatem iudicii ac iuris contemplantis, quam indignationem in se ipse Eccles. expressit 3,16-4,3. *Olympiodorum* quoque audi : « Homines insipientes », inquit, « non modo in se, sed in Deum etiam crimen coniiciunt, quasi non provideat rebus humanis vel eas male administret, cum videant frequentem iniquorum prosperitatem, piorum autem angustias. Huc spectat illud Davidicum (Ps. 72,3) : *Paene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns.* Viden', ut soluti sint animi nervi passusque sit aliquantum vanitatis? At quia perfecte sapiens fuit, Spiritus Sancti plenus, exitum subiungit peccatorum qualis futurus sit : *Facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam* ». — In altera parte versiculi *Chald.*, ut *Symm.*, legit, quod nunc est in hebr. : « donum »; item *Syr.* Ad summam sententiam non multum differt, repetaturne subiectum synonymum (« donum » pro « vexatione »), an obiectum (« robur mentis eius » pro « sapiente »). — V. 11 non significatur vulgaris illa « laudatio temporis acti », sed, ut v. 10 declaratur, morositas indignabunda et, ut est in v. 14, Deo contumeliosa. Consentaneum est, ei opponi (v. 12) veram sapientiam, quae « vitam afferat possidenti ».

Quo in versu offendit plerosque mentio opulentiae s. potius « haereditatis »; alii enim ineptum iudicant, hic sapientiam *iunctam* divitiis laudari, quasi ab his illi magnum pretium addatur; alteri *comparari* (עִם = ut) et quasi ex aequo laudari utrumque bonum non minus absonum existimant. Sed media via ineunda videtur, ut ad illustrandam sapientiae praestantiam *simile* petatur ex opulentia, et עִם accipiatur pro « et »; item in proximo v. 13 *coordinate* componuntur, non ut par esse utriusque pretium, sed potius ut, quantum altera alteri praeferenda sit, ostendatur; cf. 1 Sam. 16,12 : « Erat rufus *et* (עִם) pulcher aspectu decora*que* (וְ) facie ». *Verte* : Sapientia composita bonis. Recte *Del.* v. 13 non reddit comparative, sed absolute : « In umbra (habitat quodammodo) sapientia, in umbra patrimonium; at... »; alii hic quoque aequari alteram cum altera opinantur : « Est in umbra sapientiae sicut in... », alii etiam apertius, ut *Ren.* : « Sagesse vaut richesse ». Non existimo autem opes hic asciri a scriptore nisi ut hac *similitudine* utatur, minime, ut tamquam aequa lance duo bona, utrum praeponderet, examinet; neque in universam huius loci disputationem convenit aestimatio divitiarum, sed altera pars v. 12 (ut 13) est de *sola* sapien-

tia et *indirecte* tantum in priore attingitur opulentia, ut fit in simili, contra atque in vera comparatione. « Vitam » porro dat sapientia (v. 13), quia Deo reddit acceptos eiusque arcet poenam, cf. in eodem argumento 5,5; 10,20; *Mot.* : Pacem praebet animi; Prov. 3,18 « lignum vitae » dicitur. Ceteroquin in *Vulg.* illud « Utilior » (v. 12) cogit vere comparare et intelligere versum de laude sapientiae *coniunctae* bonis, idque fusius enarratur in commentario Hier. : « Maioris est gloriae sapiens cum divitiis, quam tantum sapiens. Alii enim sapientia indigent, alii opibus, et qui sapiens est et non dives, potest quidem docere, quod bonum est, sed interdum non potest praestare, quod petitur ». — Argutius quam verius *Hahn* : « Bona est sapientia contra fortunae necessitatem (sortem = נַחֲלָה) » et « Umbra est sapientia, umbra, inquam, argenti » (בְּ, quod vocant essentiale!). — V. 14 recte *Olymp.* res a Deo curvatas intelligit eas, quae norma ac regula careant in vita mortalium : τὴν περὶ τὸν βίον ἀνωμαλίαν, nec excludit mala naturalia, velut « clauditatem ac similia ». — V. 15 רְאֵה optime interpretantur « considera » et pro obiecto esse reliquam partem versus existimant *Zoeckl.*, *Del.*, *Elst.*, *Mot.*, alii. LXX separarunt utrumque, iterantes etiam verbum : ἴδε ἐν ἡμέρᾳ κακίας· ἴδε καί γε..., ac prorsus ita legit *Olymp.* Hinc fluxit « praecave » in Vulg. Alii : diem malum sustine, vel : die malo sustine — quae longius aberrant. Vocabuli אַחֲרָיו duas supra (p. 243) proposuimus explicationes, unam huic loco, alteram aliis magis accommodatam, hic non ineptam. « Post se » de omni tempore, praesenti posterius, interpretantur *Knob.*, *Vaih.*, *Hengst.*, *Zoeckl.*; alii « post mortem suam » explicant, e quibus *Ew.*, *Heiligst.* : « Ne moriens quidquam inveniat, quod secum auferat »; *Del.*, *Bick.*, *Wr.* : « Ne quid intentatum s. inexploratum relinquatur »; *Hitz.* : « Ne quid amplius mali sit experiendum »; *Ren.* cum *Gr.* vitae futurae negationem infert : « L'homme, en effet, une fois mort, ne trouvera rien après lui ».

d) De aurea mediocritate 7, 16-23 (Vulg.).

Pergit Eccles. ipsam laudare mediocritatem, in qua potissimum vertitur ars vivendi beate. Quamquam, ut solet, non tam stultum emendare quam instituere sapientem volens, *hunc potius* alloquitur.

7,16 (hebr. 15) « *Haec quoque vidi in diebus vanitatis meae : Iustus perit in iustitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua* »; v. 17 « *Noli esse iustus multum, neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas* »; v. 18 « *Ne impie agas multum, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo* » (hebr. : quare morieris tempore non tuo?); v. 19 « *Bonum est te sustentare iustum, sed et ab illo ne subtrahas manum tuam, quia, qui timet Deum, nihil negligit* » (de hebr. v. infra); v. 20 « *Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis* »; v. 21 « *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, et non peccet* »; v. 22 « *Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne forte audias servum tuum maledicentem tibi* »; v. 23 « *Scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis* ».

Quam evidenter hoc de mediocritate praeceptum demonstret eum esse disputationis progressum et ordinem ab initio capitis 7., quem indicavimus p. 225, incurrit in oculos.

Initio v. 16 secundum hebr. vertendum est « omnia omnino » (הַכֹּל) s. ad latinum sermonem hoc loco aptius « utrumque ». Deinde « iustus » intelligitur : *acrior* vitiorum hostis et iudex et, si possit, vindex, qui nimia indignatione et maerore magis sibi ipse noceat, quam alterum emendet. « Impius » autem dicitur, qui illius iudicio talis est, etsi forte quasi in excusabili versatur pravitate, ut ei quaedam coniuncta levitati prudentia vitam conservet. Haec igitur est scriptoris sententia : Inveni, qui essent iusti, sed imprudentiores; item alios, qui sectarentur quandam pravitatem, sed mixtam nescio qua prudentia. Et quoniam in medio est virtus, ita videtur admonere illum austerum virtutis amicum, ut poeta ille profanus : « Misce stultitiam consiliis brevem : dulce est desipere in loco » (Hor. IV. 12,27 sq.), non quod solam mundanam suadeat sapientiam, qua « filii huius saeculi prudentiores filiis lucis sunt » (Luc. 16,8), sed tamen eam, ob quam « laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset » (ib.). Eccl. enim ad instituendum sapientem non dubitat id in homine levi laudare, in quo est laudabilis, idque ut *sancte* imitetur, etiam illum hortari. Itaque v. 17 (hebr. 16), quantum malum sit in indignatione « obstupescentis » sapientis significat; nam cum mens ei quodammodo excutiatur impatientia (v. 8, hebr. 7), in torporem quendam animi corporisque se ipse coniicit. Nihilominus, ne quid inhoneste suasum videatur, additur v. 18 admonitio, ne *plane* imitetur pravitatem, ita ut peccet; peccati enim poenam esse mortem (cf. 8,13). Mirum sane esset hoc praeceptum, ne « nimium impii » essemus, nisi quo spectaret oratio, cognitum haberemus; nunc hic versus explicatur sexto decimo. Nam est etiam levitas quaedam utilis, quae « producat vitam » (hebr. v. 15), quam eatenus oportet sectari, eum potissimum qui ad perniciosam severitatem propensus sit, et hunc potissimum, ut dixi, informat Eccles.

In v. 19 (hebr. 18). *Hier.* זֶה pro masculino proprie usurpatum esse censuit. At sententia, nisi fallor, non optima efficitur nec cum superioribus satis conveniens. « Timens Deum », inquit, « et imitator conditoris sui, qui pluit super iustos et iniustos, absque respectu personarum *omnibus benefacere* festinat ». Quam explicationem expressit clarius in Vulg., cum in comm. ex libris mss. fortasse legendum sit non : « retinere iustum » (ut legi solitum est ante), sed neutro genere : « retinere te istud » (in hebr. non est « iustus », sed solum pronomen). *Huc* videtur etiam altera Hier. interpretatio referri; etenim

post illa verba superiora ita pergit : « Aliter : Quia vita haec miserabilis diversis quotidie variatur eventibus, tam ad adversa quam ad prospera iusti animus praeparetur et poscat Domini misericordiam, ut quodcunque evenerit, librata mente sustentet. Qui enim timet Deum nec prosperis elevatur, nec opprimitur adversis. » E quo intelligitur, Hieronymum « istud » modo explicasse « benefacere iustis », modo « res adversas prosperasque sustentare ». Atque hoc alterum propius accedit ad ea, quae tenenda existimo, congruuntque magis, opinor, verbis hebr., quae sic verto : « Bonum est illud te amplecti, sed ne ab hoc quidem retrahere manum tuam; nam qui Deum timebit, expediet ista omnia ». Sobrietas enim suadetur, quae et a malis extremis abstineat et bonum utrumque complectatur. Oportet enim a iustitia, si quando suos transeundo fines proprios ad pharisaicum fastidium videatur accedere, non minus revocare animum, quam a lascivia stultorum, itemque et veram sincere sectari iustitiam nec tamen a laudabili incuria ac iucunditate omni abhorrere. Utrumque sequentes non aberrabimus; nam qui vere « timet Deum, expediet ista omnia », i. e. nec Dei mandata negliget nec eam iucunditatem aspernabitur, quam Deus voluit « portionem » esse eius (5,18; 3,22). In hebr. est : « Egredietur s. evadet haec omnia », id quod videtur esse : se expediet his omnibus s. expediet haec omnia; LXX ἐξελεύσεται (τοῖς φοβουμένοις θεὸν) τὰ πάντα i. e. bene evenient eis omnia. In Hier. comm. est : egredietur ad omnia. Certe summa sententia esse haec videtur : et utrumque bonum faciet et malum utrumque vitabit. *Pin.* : « Sive manum mittant [sapientes] ad opera pietatis sive ab impietate retrahant, quaecumque facient, prosperabuntur. Sic intelligit David de Pomis et Hebraei, quos citat Isidorus Clarius in hanc sententiam : Qui timet Dominum utitur utraque re utiliter. Consentit cum hoc lectio arabica : Qui timet Deum, exit ab omnibus rebus iustificatus ». Varios interpretandi modos colligens *a Lapide* dicit : « Ex hebr. vertas : *Qui timet Deum, exibit cum omnibus,* vel, ut Pagninus, *de omnibus,* i. e. evadet omnia mala. Ita Thaum., Olymp. et alii; vel, omne opus bonum ad optatum finem perducet; aut ut Septuag. *Exibunt omnia,* i. e. omnia feliciter succedent timenti Deum. Unde Arabicus vertit : Qui timet Deum, exit ab omnibus rebus iustificatus; Symmachus : Timens Deum pertransibit omnia; Tigurinus : Expediet se ex universis istis; Vatabl. : Facile recedet ab extremis ».

Huiusmodi igitur sapientia s. vivendi prudentia vera laudibus effertur v. 20 (hebr. 19). Deinde v. 21 ratio optima proponitur, quare ab indignatione nimia sit temperandum : *peccamus enim omnes.* Quae cogitatio re vera sanctos solebat admonere mansuetudinis, cum vide-

rant alios etiam gravissime peccare. Sed quoniam insitum est homini, ut et facile admittat et saepe etiam quaerat « scandalum » (ut Pharisaei in ipso Christo Domino offensionem non inveniebant, sed quaerebant), idcirco v. 22 praeceptum ponitur, ut caveamus a susurris et susurratoribus ac dissimulemus potius, si quid mali de aliis (fortasse de ipsis « servis ») ad nos deferatur. Nam si humiles vere sumus, recordabimur, nos ipsos a peccato simili minime esse immunes (v. 23, cf. 21). Hier. participio « maledicentem » usus est, ac si herus praesentem audiat servum; sed sensit ipse, potius agi de absentis contumeliis. « Prudentis viri est », inquit in comm., « murmurantem famulum non audire, nec curiosam aurem apponere, *quid de se loquatur absente* ». Nec videtur huic explicationi partic. hebr. officere; nam similiter partic. graece etiam de re *absente* ponitur : τοῦτον οὖν ἀκήκοας ἀγαθὸν γεγονότα. — Verbum « maledicendi » hic latius patere, ut sonet « male loqui », evidens est.

Itaque e quadam superbia nasci illam *nimiam* iustitiam, illam indignationem, illam severitatem Eccl. rectissime dicit. Quam iusto Dei iudicio haec poena consequitur, ut pax animi atque tranquillitas pereat. Nihil igitur consultius est, quam medium quendam tenere cursum, non ita quidem, ut quae mala sint, approbemus, nedum sequamur, sed ita, ut si qua mala fieri « sub sole » videamus, Deum imitati patienter sustineamus. In evangelio (Matth. 13,24 sqq.), postquam inimicus « superseminavit zizania in medio tritici », ardentiores quidam famuli admonent patremfamilias, ut malas herbas evelli iubeat; at ille « Sinite », inquit, « utraque crescere usque ad *messem*, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania et alligate ea in fasciculos ad comburendum... » Dixerat 3,17 Eccl. : « Tempus enim omni studio praefinitum omnique actioni erit *tunc* demum ».

Itaque si constiterit tertia parte (a v. 16, Vulg.) medium inter utrumque extremum suaderi, erunt omnia facilia. Nec v. 18 mirari oportet, quare « nimia » impietas sic reprehendatur, ut « aliqua » impietas videatur commendari. Illa enim tantummodo *laetitia* effusior intelligitur, de qua supra dictum est, quae eatenus vitiosa est, quatenus modum transit, sed bona, si bene temperatur; at hanc temperatam quoque ille « sapiens » austerus appellat « impiam ». Cui quod hoc loco (v. 19 Vulg.) aliqua commendatur impietas, idem est fere atque illud : Ede et bibe et fruere vita. Sed ut illi praecepto, sic huic additur mentio « timoris Dei ». Exaggeratio autem verborum, quae et hoc loco et saepe apud Eccl. cernitur, ad vim oratoriam pertinet, et sunt eiusmodi multa in Scriptura, ut cum Dominus discipulos suos iubet *odisse* patrem et matrem (Luc. 14,26). Nimis autem ieiune multi hunc et oratorium et poeticum librum interpretantur. Nemo porro mirabi-

tur hoc eodem loco vv. 17 et 20 (Vulg.) sapientiae notionem ancipitem esse, vituperari et laudari, atque vv. 12. 17 et 18 praecepta sono verborum prorsus diversa poni; nam et his versibus et proximo scriptor perspicue indicat, medium inter duo extrema se velle commendare. Ad quem locum scite Pineda (p. 613) : « Observandum : Cum extrema saepe careant nominibus, de quo queritur Philosophus in Eth., nomen medii et virtutis solere extremis vitiis per excessum aut per defectum accommodari. Ergo quamvis « iustitia » [v. 16, hebr.], quae virtus est, nulla ratione esse vitium possit, at vitium illud, quod per excessum iustitiae fit, « multa » aut « nimia iustitia » appellari solet : et quae sobrietati atque verae sapientiae contraria est, « nimia » aut « multa sapientia ». Sic saepe Scripturae nomina usurpant non tam secundum rem, quam secundum hominum opinionem ». Et idem ad versum insequentem : « Praestat in universum accipere [impium = רָשָׁע] de extremo illo vitioso, quod verae iustitiae et sanctitati opponitur, cum Chald., R. Kimchi, Hier., Vatabl., Campens., Caietan., David de Pomis. Indiget enim humana fragilitas utrimque ab extremis retrahi; vix enim novit consistere in medio; ita enim prodigalitatem fugit, ut in avaritiam incurrat, ita a contemptu religionis recedit, ut periculum subeat incidendi in superstitionem... Ergo Ecclesiastes : Neque iustitiae plus nimio tenax neque esto « exlex », ut argute hoc loco legit Campens.; non nimium sapiens et in minutissimis etiam haerens et immorans, sed neque stultus, praeceps et temerarius, nihil morans, nihil cogitans. Si labi et peccari contingat — at humanum sit! » Optime, sed hoc adde : voces « iustitiae » et « impietatis » hic loquendi modum illius « sapientis » referre, quem potissimum emendare studet Eccl., ille enim « sapientiam » etiam vitiosam *austeritatem* suam nuncupat, cum « impietatem » etiam laudabilem aliorum *hilaritatem* vocitet. Isto modo multo facilius illa duriora vocabula mitigabimus. Supra in voce « irae » (Vulg. 4 et 10), quae *per se* (saltem in hebr.) anceps est et fluctuans, vera notio proprietate universae sententiae fuit circumscribenda. Quoniam igitur ad vim disputationis recte sentiendam interest magnopere, quid velit scriptor, intelligi, addere iuvat etiam explicationem *Cornelii a Lap.* ad verba « Neque plus sapias » (v. 17, Vulg.) : « Ne nimis sapere velis in invenienda et tuenda nimia tua iustitia, qua velut rigidus iustitiae censor iudicare et censere praesumas mores, actiones, iudicia, non solum hominum, sed et Dei; quin et legem ipsam, quasi illa velis esse legalior et iustior... Unde Septuag. vertunt : Noli argumentari plus quam oportet, S. Hieron. : Ne quaeras amplius. Rursum : qua [iustitia] velis plus sapere ceteris tum in sanctitate, rigore et perfectione virtutis, tum in quavis alia re ». His verbis bene comprehenduntur, quae ad illud vitium nimiae austeritatis pertinent, a quo Eccl. suum sapientem ad modicam levitatem revocat. Illud praecipuum est, ut ex ratione totius libri copiose ostendimus : ne ille rigidior iustitiae sectator Deum ipsum audeat in suum quodammodo iudicium vocare (vv. 8-11. 14. 15, Vulg.); sed ut vv. 21. 22 declarant, hoc loco *additur* admonitio, ut ne in illos quidem

impios, quos non puniri fert gravissime, durior sit; et sane in eos prius exardescere iram, in promptu est dicere, quamquam Dei providentiam accusare periculum maius affert. Cetera, quae significat a Lap., cum vitio fastidiosae indignationis coniuncta sunt, sed ea hoc loco nihil attinet referre.

V. 15 (hebr.) בְּ alterum verterunt « in » (ut est in Vulg.), vel « cum », vel « non obstante ». Sed id quamquam grammatice fit rectissime videturque sententiae asperitatem mitigare, tamen, quia v. 16 plane docet scriptor, iustitiam exsistere causam interitus, non est dubium, quin בְּ vertendum sit ablativo causam exprimente vel praep. « per »; ita recte Symm., Umbr., Vaih., Hitz., Bick[2] (I. edit. aliter). Mala autem, et quae « nimiam iustitiam » et quae « nimiam impietatem » consequuntur, potissimum intellige poenam divinam. — בְּאָרִיכֻהּ licet simpliciter reddere, ut reddunt LXX : μένων, i. e. durans, se sustinens, cf. 8,12; nec necesse est addere « dies » (« dies producens »), ut additum videmus ib. v. 13. — V. 16 extr. optime LXX : μήποτε ἐκπλαγῇς (ut Vulg.), quae et propria vis vocis est et congruit illi תְּתֻמָּה 5,7 de eodem argumento. Sed intelligitur sane *perniciosa* admiratio cum impia indignatione, atque ipsa vox ad vastandi, destruendi notionem transit (Lev. 26,32 utraque deprehenditur simul); ita fit, ut plerique reddant : « Quare in perniciem ruas? » Longius distat notio solitudinis, desolationis : Hitz., Ginsb. — V. 17 non est, ut copiose ostendimus, necesse, ipsam per se vocem רָשַׁע mitigare, ut facit Bick. « laxandi » vim subiiciens, id quod iam Del. videtur cogitasse (p. 320 ima et 321 summa). — V. 18 יָצָא quid proprie sibi velit, plurimum disceptatur. Invenitur cum acc. iunctum notione egrediendi (Gen. 44,4) et relinquendi (Ier. 10,20). Prius fugam duorum malorum, quae modo nominata sunt (כָּל = « utrumque » ut v. 15), significare potest, alterum fugam vitii utriusque modo castigati; Graetz et Del. ex talmudico notionem implendi officii, exsolvendi aeris alieni mutuantur. Summa sententia certe manifesta est eamque generatim, ut Hier. in Vulg., exprimere malumus, quam uni certae interpretationi accedere. — Porro « potentes » v. 19 vertimus « principes », ut est in Vulg., nec multum inquirendum ducimus, sintne duces militares an magistratus civiles; hi cur non sufficiant, non liquet; quodsi de *urbe defendenda* agitur, commode intelligas utrosque. — De voce כִּי v. 20 non est laborandum; non enim rationem versus 19 affert, sed totius cohortationis ad sapientiae moderationem et mansuetudinem, ita ut potuerit hic v. 20 iam ipsi 16 adiungi. — V. 21 ad verbum יְדַבְּרוּ nec necessario nec apte Chald., Syr., LXX addunt « mali » (ἀσεβεῖς). Versu ultimo LXX legerunt יְרָעֲ s. יְרֵעַ : πλειστάκις πονηρεύσεταί σε καὶ καθόδους πολλὰς κακώσει καρδίαν σου, ὅτι..., i. e. multis modis (καθ' ὁδούς) punget te, quod...

e) De corruptela muliebri 7, 24-30 (Vulg.).

Restat clausula capituli tam gravis, quam inopinata :

7,24 (hebr. 23) « *Cuncta tentavi in sapientia; dixi : Sapiens efficiar; et ipsa longius recessit a me* », v. 25 « *Multo magis quam erat; et alta profunditas, quis inveniet eam?* » (de hebr. infr.); v. 26 « *Lustravi universa animo meo, ut scirem et considerarem, et quaererem sapientiam et rationem, et ut cognoscerem impietatem stulti, et errorem im-*

prudentium » ; v. 27 « *Et inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor eius, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa* » ; v. 28 « *Ecce, hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem rationem* », v. 29 « *Quam adhuc quaerit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni* » (hebr. : Quod etiamtum s. usque ad id tempus quaerebat anima mea necdum invenerat : Adamum de mille...); v. 30 « *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus.*

Videbamur ad ultimam deducti esse conclusionem : in mediocritate, sobrietate, moderatione summum esse bonum, ac vicissim a cupiditate, arrogantia, superbia malum omne dimanare. Ipse igitur sibi gratulabatur Ecclesiastes rem paene confectam et sapientiam iam iamque apprehensam : Haec omnia tentavi cum sapientia, dixi : iam sapiens ero (hebr.). At subito cognovit, rerum causam altissimam repertam nondum esse. Et sane amplius quaerere licet, illa perversitas tam communis inter homines, tam naturae, ut videtur, insita *undenam* sit; item, si Deus mortales ita constringit ac deprimit, ut vix commovere se et emergere ex humili sua conditione possint, porro quaeritur, *cur* tam dure eos tractet. Cuius rei causam altissimam invenit Eccl. multo etiam magis reconditam latere. Sapientia, inquit, longius recessit s. longe afuit (רחוֹקָה) a me. Idem v. 25 etiam nervosius asseveratur (hebr.) : Longinquum, quod factum est, et profundum, profundum, quis id inveniet? *Hier.* et in comm. et in Vulg. secutus est LXX : μακρὰν ὑπὲρ ὃ ἦν, καὶ βαθὺ βάθος, τίς εὑρήσει αὐτό, nisi quod αὐτό (= הוא) extulit feminino « eam », ut aptius referretur ad sapientiam. Sed hoc ipsum pronomen in dubium vocat interpretationem, nec מַה־שֶּׁהָיָה est מִשֶּׁהָיָה. Quamquam sane interpres Syr. idem exprimit. Recentiores alii aliter verba difficilia reddunt. Recte, ut arbitror, *Chald.* (et quidam recentiores) : « Fugit homines eorum, quae a diebus saeculi fuerunt, cognitio », nisi quod hoc spectare vult vel ad mortem cuiusque vel ad adventum Christi; sic enim pergit : « et diei mortis secretum et secretum diei adventus Regis Messiae, quis est qui inveniat eum? » Respicere oportet supra v. 14 sq. et comparare maxime 3,11. 14. 15, ubi Deus dicitur abdidisse ab oculis mentibusque hominum rerum a se factarum intimam rationem ac proprietatem, naturam atque finem. Quod apprime quadrat in hunc locum, quo altissima exquiritur causa vanitatis mundanae ubi tandem lateat. Ergo intellige : Quod fecit Deus, id longinquum dissitumque est nobis, in infinita altitudine absconditum; quis id assequetur? Sententia ipsa

quidem eadem est, quae in Vulg., quatenus difficultas affirmatur inveniendae sapientiae. Sed verba « Quod factum est » (a Deo), magis proprie significant id, quod iam ab initio (1,8 sqq.) Eccl. obscurius indicavit repetitque saepe : eam esse *mundi structuram*, eam etiam administrationem, ut homo ignarus sit consiliorum divinorum iisque pervertendis impar; quodsi conetur, « vanos » exsistere labores.

Iam vero ultimum Eccl. facit (v. 26, hebr. 25) periculum, possitne longius progredi et attingere illud, quo aspirat. Insolita prorsus copia verborum attentos nos facit, quanto studio ardeat adipiscendae notitiae rerum duarum : sapientiae et insipientiae, ut rationem reddere possit praesentis mortalium tam miserae in mundo conditionis. Exspectamus igitur, ut tandem quaestionem solvat, quantum id quidem est in hominis potestate. Inveni, inquit. Quid tandem? Omne malum profectum esse a corruptela muliebri, ab illecebris femineis. Quas ubi v. 27 gravissime explicavit, idem inventum amplius v. 28 ut verissimum omni etiam sua auctoritate interposita asseverat : Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum ad alterum (hebr.) s. unum iungens alteri, ut invenirem rationem. Negat igitur quidquam a se certius exploratum esse ; quare hoc ipsum vult maxima tamquam contionatoris ac praeconis voce proclamare. Nominis ipsius interpositio cum per se habeat magnam gravitatem, tum, si ea interpretatio, quam ab initio proposuimus, probabilis censenda est, multo maiorem. Atqui hoc loco vox Koheleth, forma feminina adiuncta, manifestius cognoscitur esse nomen appellativum. Facilis est quidem mutatio, quae placuit multis, qui ה a verbo separantes iungunt cum subst.; intolerabile enim existimant, viri cognomen verbi formam femininam adiunctam habere. Sed primum, cui tandem in mentem venire potuit, ut verbum faceret femininum, si aliter scriptum repererat, vel ut scripturam *continuam* tam inepte separaret ac non ita, ut 12,9 : אָמַר הַקֹּ[1]. Concludendum est igitur, idoneam fuisse rationem aliter scribendi, eumque construendi modum habitum esse communi consensu antiquum et genuinum. Praeterea, nihil est in ea mirum, si vocem illam et per se esse femininam dicimus (ut terminatio quoque ipsa declarat), et *minime obliterata* notione primaria usurpatam. Sed hoc maxime convenit in nostram explicationem : volumus enim omnibus locis intelligi ac sentiri « vocem clamantem », et hoc loco imprimis, ubi quaestionis ultima solutio ostenditur; itaque etsi ceteris locis Koheleth apte masculine ponitur, hoc tamen potuit aptissime usurpari feminine. Quam-

(1) Quamquam ibi quoque in paucis libris mss. legitur אָמְרָה.

quam illud sane inane commentum ducimus, quod quidam femininum esse positum putarunt, quia Eccl. et generatim et hic potissimum sese, utpote depravatum a mulieribus, in earum numero quodammodo voluisset collocare.

At haec occurrit maxima dubitatio, verene Eccl. ad mulierum illecebras *omnem mundi vanitatem* revocaverit. Quod absonum absurdumque dixeris. Nihil igitur reliquum sit, nisi ut non omnem, sed *maximam* quandam vanitatem in illis positam esse interpretemur. Dicendum sit igitur, nisi quid melius invenias, versibus 27-29 non tam altissimam, omnis vanitatis, sed gravissimam generatim causam vanitatis significari, in qua sit *uberrimus* quidam fons malorum. Et quoniam certe inusitate exaggeratur hoc argumentum, id quidem commotioni insolitae Ecclesiastae tribuendum. Nec admodum mirum videri debet, Salomonem, si post amorum errores haec scripserit, tam acerbe de mulierum illecebris dicere. Praeterea licebit addere, non loqui eum de muliere nisi hac conditione : *si mala sit.* Atqui verissimum est, malae mulieris saepe esse inexplicabilem prorsus malitiam et mare quoddam immensum pravitatis, idque Salomon in feminis ethnicis erat expertus. Itaque plerique interpretes aliam hoc loco explicationem non requirunt.

Ac tamen est, ut puto, alia melior, quae illam non tollat, sed amplificet. Nam *una* mulier miseriae humanae attulit principium, « cuius opprobrium », inquit S. Bernardus (II. sup. *Missus*) in omnes pertransivit mulieres ». Ut igitur verissimum sit, in decore, blanditiis, artificiis feminarum magnum esse omnis honestatis periculum, tamen ab Heva demum *omne* ortum esse peccatum constat. De qua si Eccl., cum haec scriberet, recogitabat, poterat multo aptius et tanta animi commotione loqui (novum enim pondus priori accedebat dolori), et hanc disputationem sic inducere v. 24 sqq., ac si vellet *omnis* vanitatis fontem aperire et rationem ultimam reddere. Notandum hoc quoque est, eum non tam dicere, se *usu expertum* hanc maximam esse vanitatem (longe aliter 2 cap. locutus est), sed *consideratione mentis et ratiocinatione* (v. 26) se eam reperisse. Quod quidem omnino declarat, eum non tantum, quae praesentia viderit pronuntiare, sed quae (fidei lumine instructus) meditatione concluserit (« unum alteri serens » v. 28), proponere. Deinde periculum ipsum amoris muliebris satis *manifestum* est, nec, ut hic dicit, « in profundo demersum latet »; rem igitur *reconditam ac remotam* significat. Atque haec indicia sunt minime contemnenda, altius nobis repetendas esse vanitatis rationes. Sed gravius argumentum est, quod v. 30 omnino ad origines reditur generis humani. Videri enim potest Dei accusari providentia, si fe-

mina viro et est et ab initio fuit causa peccati atque interitus. Quam ob rem etsi iam v. 24 sq. cautum est, ne quis se putaret posse penitus opus (et permissionem) Dei perspicere, tamen extremo versu etiam plane profitetur scriptor, non Dei, sed hominis culpa accidisse mala in mundo : in primis exordiis recte fuisse comparatam et viri et feminae naturam, etsi, ut nunc res sit, vir perfectus rarissime, femina vix unquam exsistat. Virum porro perfectum prorsus inusitate non אִישׁ appellat, sed אָדָם, quia *originis* respicit *perfectionem*. Solent sane dicere, vocabula commutata esse seriore linguae consuetudine; sed unde id demonstrabitur? Singularis prorsus hic locus est. Recte igitur alii specimen perfectam viri, qualis a Deo creatus est, s. *Adami similem* intelligunt. Atqui hoc ipsum magnopere commendat totius loci explicationem, quam modo proposuimus. Postremo nisi ad Hevae peccatum reditur, fatendum est in totam seriem argumentationis capitis septimi et superiorum vix ac ne vix quidem posse apte inseri haec ultima 7,24-30; cf. p. 226.

Altissima igitur vanitatis humanae causa insita ingenitaque est homini, seu vir seu mulier est; in ipsa enim naturae pravitate utriusque posita est; sed « opprobrium » multo maius in feminam cadit, quippe quae et nunc soleat laqueos tendere viro et antiquitus seducendi fecerit initium. Ita nos scriptor ad primum reducit peccatum, unde tamquam e fonte fluctus miseriarum dimanarunt in mundum, argumentationem omnem gravissime absolvit, disputationem quodammodo concludit. Illud quoque quod inesset *molestae* exaggerationis in describenda perversitate feminae, dum haec ad primam labem potissimum reducitur, evanescit; verissima est enim ista accusatio. Facile etiam illud concedetur, semel corruptam feminae naturam ad malum esse multo proniorem, idque vitae usus comprobat, quamquam gratia supernaturalis etiam huic medetur morbo. Nec vero vir a culpa liberatur; vix enim est unus de mille, qui formam primae perfectionis aliquo modo videatur ostendere, et *uterque* inventor inanium « commentorum » dicitur (הֵמָּה בִּקְשׁוּ).

De toto loco breviter Hier. : « Dicit se, ut regnorum quoque testantur libri [III. 3 et 4], ultra omnes reges quaesisse sapientiam et tentasse ad finem illius pervenire, sed quanto plus quaesierit, tanto minus reperisse, et in mediam demersum caliginem, tenebris ignorantiae circumdatum ». Et sane de *fine* et summa sapientiae a sapientissimo exquisita est haec extrema secundae partis disputatio. « Supra Eccl. dixerat », ita idem ille pergit, « omnia se in sapientia pertentasse, et quanto plus eam requisierit, tanto illam longius refugisse; nunc ait

etiam aliud in sua se quaesisse sapientia : quod in rebus humanis malum universa antecedat mala, et quae res in impietate, stultitia, errore, vecordia teneat principatum. Et dicit se omnium malorum caput mulierem reperisse, quia et *per illam mors in orbem terrarum introivit et pretiosas animas virorum capit*... Non putemus temere Salomonem de genere mulierum protulisse sententiam; *quod expertus est loquitur*. Ideo quippe offendit Deum, quia captus est a mulieribus ». Tria attingit, quibus lux omnis affundatur huic loco : de prima enim agitur muliere potissimum, deinde de ceteris, et usu doctus scriptor tam *acriter acerbeque* loquitur. « Sed et hoc, ait, requisivit anima mea, an recta mulier inveniatur. Et cum vix paucos de viris bonos invenerim, ita ut de mille unus potuerit inveniri, mulierem bonam omnino invenire non potui. Omnes enim me non ad virtutem, sed ad luxuriam deduxerunt. Et quia appositum est cor hominis diligenter ad malitiam ab adolescentia [Gen. 8,21], et paene omnes offenderunt Deum : in hac ruina generis humani *facilior* ad casum est mulier. De qua et poeta gentilis : Varium et mutabile semper femina [Virg., Aen. 4,35]... Et ne videretur communem hominum damnare naturam et Deum auctorem facere mali, dum talium conditor est, qui malum vitare non possint, argute praecavit et ait bonos nos a Deo creatos, sed quia libero sumus arbitrio derelicti, vitio nostro ad peiora labi, dum maiora quaerimus et ultra vires nostras varia cogitamus ».

Atque haec ad sententiam; de verbis non ita magna ambiguitas. V. 23 (hebr.) *Hahn* incongrue « de » sapientia inquisivisse Ecclesiasten vult atque בָּל־זֹה indicare opinatur, quae sequantur. Immo ea respicit, quae toto capite septimo explanata et ante quoque tractata sunt; negat autem scriptor iis rerum summam confectam esse. — In versu proximo verba מַהֹּשֶׁהָיָה pauci ita intelligunt, ut esse intelligenda 1,9; 3,15 aliique loci manifesto demonstrant. Rursum enim significatur, quanta sit in Providentiae operibus obscuritas; cf. 8,17. Recte *Hengst.* sapientiam dici monet τῶν ὄντων γνῶσιν ἀψευδῆ (Sap. 7,17), et *Del.* illa formula *absolutam* quandam exprimi notionem eius « quod fuit s. quod exstitit »; opponi autem id, quod non sit nec factum sit. Itaque « *quidquid* factum est s. quidquid est » significatur; additur praedicatum רָחוֹק = longe fuit a mea notitia. *Gr.* nihilominus verbis illis sententiam ullam negat contineri. *Zoeckl.* sapientiam esse subiectum vult : Ignota est et remota proprietas eius; *Ew.* vertit : Quid sit sapientem esse; *Herzf.*, *Hahn* : Remota fuit, ut fuerat ante. Non pauci transpositam esse vocem רָחוֹק arbitrati reddunt : Quod remotum s. longinquum est; ita *Rosenm.*, *Cast.*, *Mot.*, alii. Inter veteres *Syr.* accedit ad LXX et Vulg.; *Chald.* verum expressit. — In v. 25 (hebr.) בְּלִבִּי multi pro וְלִבִּי substituerunt : « Symmachus interpretatus est dicens : Pertransivi universa *sensu meo* » (Hier.; Vulg. : animo meo). Omnino ita verbum ipsum legendum esse defendunt *Ren.*, *Gr.*, *Cast.* (?), suntque etiam libri permulti, quorum auctoritate utuntur (ad 80 apud de Rossi). LXX, Syr. (Ar.) exprimunt : « ego et cor meum »; sed quia

sane molestum est ad pronomen primae personae addi לִבִּי, recte, opinor, hoc alterum (contra accentum) seiungitur eique attribuitur verbum הָיָה non enuntiatum : In hoc fuit s. versata est mens mea, ut... Sic statuerunt *Ab. Ezr.*, *Herzf.*, *Hahn*, *Del.* — Illud « lustravi » in Vulg. reddit ἐκύκλωσα LXX interpretum, et saepe vox hebr. סָבַב sonat circuire, sed alias (adiuncto praesertim לְ) se vertere ad alqd : « Converti ego me, et in hoc fuit mens mea, ut... » — In eodem versiculo extremo stultitia et imprudentia (insania) hebr. positae sunt, non stulti et imprudentes, nec usurpati sunt casus constructi (cf. הַסִּכְלוּת); sed vertendum est aut sic : impietatem esse stultitiam et fatuitatem insaniam, aut sic : ut cognoscerem impietatem, stultitiam et fatuitatem (et) insaniam (plus 30 codd. habent וְ etiam ante ultimum vocabulum); illud recte (propter artic. unius vocis) sequuntur *Ew.* *Elst.*, *Gr.*, *Hahn*, *Del.*, *Wr.*, hoc *Mot.*, *Ren.* — V. 26 (hebr.) אֲשֶׁר־הִיא est : quae quidem, quippe quae; pronomen acrius distinguit effertque subiectum ante positum, cf. Gen. 7,2; 17,12; 1 Sam. 10,19. Vim vocis חַטָּא extenuant *Cast.*, *Gr.*, *Ren.*; sed ipsum *peccatum* s. male morati hominis voluntas causam affert interitus, nec simpliciter quaeritur, cui « faveat aut non faveat » Deus, quis « felicior sit, quis infelicior ». Neque recte *Cast.*, *Gr.* addubitant illud « dixit Eccl. » (v. 27). Nihil est enim magis consentaneum, quam hoc loco in proponenda *ultima* vanitatis causa poni eandem asseverandi formulam, quae posita est ab initio et ponetur in fine; id qui negant, non mihi videntur omnino attendere, quorsum spectet oratio. — Quod autem quidam, ut *Mot.*, *Del.*, *Ren.*, prima eiusdem v. 27 (hebr.) verba significare volunt ea, quae v. 28 dicuntur, profecto falluntur. Nam ista gravissima affirmatio ad id pertineat necesse est, quod sit summi momenti; atqui ea, quae sequuntur, non sunt nisi amplificatio quaedam eius rei, quam a se inventam Eccl. v. 26 (hebr.) acerrime enuntiavit; huc igitur pertinet interposita v. 27 auctoritas nominis. Quamobrem עוֹד particula v. 28 minime novi aliquid designat, sed tantummodo quaestionem nondum solutam indicat; nec recte quidam verbum בִּקְּשָׁה praesenti tempore vertunt (cf. Vulg.), nec satis apte plerique perfecto, sed melius imperfecto utemur : « quod etiamtum (semper) quaerebat mens mea », deinde reliqua : « quod non inveni », vel latine melius : necdum invenerat ». Omnia illud tempus respiciunt, cum ultimam causam vanitatis exquirens feminae intellexit pravitatem. — Porro אַחַת לְאַחַת ambiguitatem habet eo, quod verbum nullum additum est, et forma fem. pro neutro potuit usurpari. Hier. prorsus censuit esse pro neutro : « Pro eo », inquit, « quod supra sermonem hebraeum interpretantes diximus : Unam et unam, ut inveniatur numerus sive summa sive ratio aut cogitatio — apertius interpretatus est Symmachus : unum ad unum invenire rationem. Quod enim nos solemus absolute et neutraliter appellare, Hebraei feminino genere pronuntiant, sicut in psalmo : Unam petii a Domino, hanc requiram ». Ita recentiores quoque plerique, simul intelligentes verbum aliquod tale, quale est « serere, iungere ». Sed *Cast.*, *Graetz*, *Ren.*, femininum interpretati, de comparatione inter se mulierum agi putarunt, fortasse etiam LXX, quos certe quidem *Thaum.* et *Olymp.* in istam sententiam explicant. *Hahn* artificiis suis haec efficit : Unum tantum quaeritur. Qui affingit verbis, quidquid libitum est. — V. 28 (hebr.) paene omnes recte statuunt, *virum* et feminam inter se comparari; neque enim satis apte « *homo* » (אָדָם), i. e. sive vir sive femina, pro « viro » intelligi potest. Sed is intelligendus est, qui vere vir sit virique dignitatem sustineat; cf. aliquo modo similia 1 Sam. 4,9; 26,15. Significari autem eam perfectionem, quae fuit in homine

primo, ipse *Chald.* interpres in hunc modum expressit : « Non enim a diebus Adami », inquit, « inventus est homo perfectus et iustus usque ad aetatem Abraham iusti... At hoc inveni : Creavit Deus primum hominem integrum ac rectum, sed serpens et Heva deceperunt eum, ut fructu arboris vesceretur; voluit autem cognoscere bonum et malum sapienter, ex quo factum est, ut et in se et in posteros mortis necessitatem asciscerent. Cupientes igitur invenire rationes plurimas, calamitates in orbis terrarum incolas induxerunt ». Bene illas « quaestiones » s. illa « commenta » v. 29 (hebr.) ad primorum parentum sciendi cupiditatem refert; hinc enim revera omnia fluxerunt mala, quod altiora se spectantes mentis arrogantiam compescere noluerunt; eosque sequentes posteri simili disquisitione superbiae vias ad beate vivendum perpetuo novas easque a Deo vetitas investigant. Quas ad vanitatem exire solere Eccl. toto libro ostendit, ipseque iam *verae* sapientiae iter demonstrat. Itaque verba ultima v. 30 Vulg. « Quis talis... » idoneam exhibent capitis septimi conclusionem, nisi quod diligenter consideranti videri debent etiam aptius cum octavo capite coniungi posse. De quo statim videro.

Unum hic addere iuvat de hac ipsa sapientia, in quam inquirit Eccl. Sunt qui curiosius discernant duo genera rerum cognitionis, alterum quo rerum naturae causaeque eventuum penitus perspiciantur, alterum quo quid sit fiatque in mundo atque inter homines pervestigetur, metaphysicam et physicam. Iam vero hoc loco, de quo agimus, *Del.* censet Ecclesiasten versibus 23-25 (hebr.) de uno genere inquirendi desperantem ad alterum delabi. At contra est; nam ea, quae vv. 26-29 disseruntur, novi *conatus* fructum, non alterius studii inventum significant, et ad altiorem abditamque *rationem* superior disputatio adducitur, ut paullo ante ostendimus. Nec in verbis ipsis quidquam est, quo illa opinio comprobetur, immo vero vv. 25 et 27 (hebr.) eiusmodi sunt, ut ratiocinationis, non observationis viam declarent; cf. p. 253.

Alia prorsus inutiliter de hac extrema parte capitis septimi quaeruntur, dum quod praecipuum est, parum attenditur. Nam *Hengst.* aliique ante eum « mulierem » intellexerunt sapientiam mundanam atque paganam, divinae contrariam (cf. 1 Cor. 1,19 sqq.); sed id tam falsum est, quam illa ratio, quam confirmandi causa afferunt : Koheleth esse ipsam sapientiam veram atque divinam; cf. p. 61. Iam *Olymp.* similiter mysticam ac moralem sententiam solam consectatus est; *Hier.* rectius veram verborum vim prius enarrat, deinde « spiritualem intelligentiam » adiungit. — Contra alii unam aliquam certam feminam exquirunt, de qua sit ista descriptio, quam facile est coniectura suspicari, cuiuscunque aetatis velis esse librum, difficillimum argumento probabili demonstrare. — Postremo subridiculum est, quaestionem ponere, volueritne Eccles. *omnes* mulieres malas dicere. Qui quidem μισογύνην se non esse satis 9,9 declarat, nec ignoravit laudari in Scripturis feminas sapientes atque fortes, ut Mariam, Deboram, Annam, carminum etiam sacrorum inventrices. Sed bene *Pin.* ait « hyperbolicam locutionem ab omnibus fere agnosci, in qua dicendi figura dicatur aliquid incredibile, *ut credatur, quantum credi possit;* ergo inter viros reperiri paucissimos, qui officium probi et perfecti viri obeant, rarissimas inter feminas ». Et *a Lap.* : « Est hyperbole, qua utitur Salomon acriterque feminas perstringit, ut ab iis animum sapientis abstrahat, ne eis se effeminate subdat, sed sese virum praestet memor suae conditionis et virilitatis ». Ergo quae dicuntur a scriptore, de prima muliere dicuntur verissime, de ceteris accommodate ac generatim, ad deterrendum apposite, in viri comparatione (versibus extremis) moderate, eo ardore orationis, quem rei gravitas desiderat, et ipsius vis doloris (si Salomon senex loquitur) incendit atque inflammavit.

PARS III.

« VERBI SOLUTIO » 8, 1-12, 8.

Arg. — Forsitan opinetur aliquis, hoc loco (7,30) librum ipsum apte potuisse concludi ; satis enim omnia videntur enodata, illustrata, inculcata. Sed duo potissimum placuit scriptori enixius commendare : agendi sedulitatem (10,16-11,6) et religiosam pietatem (11,7-12,8). Harum prior videri potuit neglecta esse et altera non satis explicata.

At quo tandem reliqua spectant, quae sunt a 8,1-10,16? Illa enim de sedulitate et pietate fortasse necessaria fuerunt, ne quis cohortatione perpetua ad fruendum bonis ac vitae tranquillitate imprudenter abuteretur; reliqua autem manifestum est in mera eorum, quae semel iterumque dicta sunt, *repetitione* versari. Sed recordari oportet hoc ipsum esse maxime proprium et singulare in Ecclesiaste, ut et verborum et rerum similium iterationibus gravitatem argumentis praecipuis conciliare studeat. In quibus vis illa *oratoria* cernitur, quam saepe laudavimus. Nec hic modus amplificandi, aliis scriptoribus fortasse minus usitatus, reprehendi debet. Nam praeterquam quod novae semper aliquot afferuntur sententiae ornatusque non mediocris additur, illud quoque accedit, quod quaedam libri obscuritas (non inepta ea quidem, sed ingeniosa) requirit, res praecipuae ut identidem repetantur. Argumento esse potest, quod nunc quoque, quo potissimum spectet ac tendat universa disputatio, a multis ignoratur. De cetero non absimile est dicendi genus in eiusdem Salomonis « Cantico canticorum », cf. infr. Ita fit, ut ab initio c. 8 rursus *universi* libri, et quorundam locorum hic multo distinctius quam supra in amplificatione secundae partis (6,7-7,23), argumenta retractentur, sed *alia* ratione atque ordine. Nam in illa recapitulatione non ita proprie mentio facta est *primae* partis, nec *integra* vitae humanae proposita institutio, et alia diverse dicuntur. Reliquae repetitiones, in hoc libro non infrequentes, sunt etiam dissimiliores.

Nunc enim Eccl. a reverentia divinae maiestatis, voluntatis, dispo-

sitionis gravi ducto initio docet *tempus* divinitus praefinitum exspectandum nec quidquam contra agendum esse : 8,1-8; deinde *potestatem et honorem* saepe esse penes pessimos, ac tamen bene omnino esse bonis, sed externae sortis non magnum in plerisque discrimen : 8, 9-14; unde generatim concludit fruendum esse bonis : v. 15. Atque haec generatim de praesenti mundi conditione. Quod autem haec ipsa *morum* tantum ordinem videtur complecti, id etsi per se minus aptum est, quam quomodo in prooemio eadem mundi conditio describebatur : tamen hic *ex uno discere licet omnia ;* nam qui librum hucusque legit, is certe perspexit, idipsum visum esse Ecclesiatae *longe maximum,* ita quidem, ut Hier. ipsum iam initium libri de solo morum ordine intellexerit, cf. 1,15. Porro separatim *primam* partem libri recolens, *sapientiam humanam* (nisi moderetur sibi ipsi) docet esse vanum inveniendae viae Dei conatum : 8,16-9,2, itemque inania esse *cetera* hominum *studia,* quae Deo invito fiant : 9,3-6, et rursum nota illa cohortatione, paullo uberius proposita, concludit : 9,7-12. Tertio loco, quam sit utilis *vera sapientia* vitaeque prudentia, quam perniciosa *stultitia* demonstrat : 9,13-10,3. Haec demonstratio sicut ad primam, ita ad secundam libri partem pertinet; ad secundam solam eiusque praecipuum argumentum, quae deinceps 10,4-15 disputantur de animi *mansuetudine* et de cavenda reprehensione divinae providentiae. Ergo ab initio capitis 8 (ut aliquando fit ab oratoribus) tertio quodammodo quartove impetu humanae vanitatis arcem impugnat, ut tandem *ex*pugnet. Quam oratoriam artem nisi quis recte aestimaverit, dicet tota nos tertia parte (si ultima de assiduitate et pietate demas) facile carere posse; qui etiam ieiunius iudicaverit, improbabit praeterea amplificationem secundae partis (6,7 sqq.); denique qui *nihil* spectaverit nisi *argumentorum* consecutionem, is satis sibi esse partes duas priores, omissa omni vel recapitulatione vel amplificatione, non dubitabit dicere, retinebit fortasse illam supremam institutionem ad strenue agendum et pie coram Deo vivendum de qua supra. Sed ex arte oratoria metiendus est Eccles. et consilium eius (sive rectum videtur sive secus) indagandum est interpreti. Itaque ad singula veniamus, quorum explicatione, quae modo dicta sunt, fient clariora, apparebitque, quam *ordinate* etiam singulae partes inter se consequantur atque copulatae sint.

SAPIENTIS RESPONSA :

a) **Summi Regis observa tempus 8, 1-8.**

8,1 « [*Quis talis, ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi?*] *Sapientia hominis lucet in vultu eius, et potentissimus faciem illius commutabit* » (hebr. vultusque eius lenitur asperitas) ; v. 2 « *Ego os regis observo et praecepta iuramenti Dei* » (hebr. : Ego : Os regis observa et quidem ob Dei iusiurandum) ; v. 3 « *Ne festines recedere a facie eius neque permaneas in opere malo, quia omne quod voluerit faciet* » ; v. 4 « *Et sermo illius potestate plenus est nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis* »? v. 5 « *Qui custodit praeceptum, non experietur quidquam mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit* » ; v. 6 « *Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio* » ; v. 7 « *Quia ignorat praeterita, et futura nullo scire potest nuntio* » ; v. 8 « *Non est in hominis potestate prohibere spiritum nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium* ».

Non videtur dubitandum esse, quin ea verba, quae in Vulg. adiuncta sunt capiti septimo, eiusmodi interrogationem contineant, ad quam respondeatur v. 2. Quod fit manifestius ex voce « ego » (אֲנִי), unde v. 2 incipit ; quam, quia verbo caret, LXX non vertunt ; sed omissio verbi etiam clarius ostendit, hic responderi ad illud : « Quis est ut sapiens? » Hier. iam in comm. a LXX discedens vertit : « Ego os regis custodio », ac si legerit שֹׁמֵר (approbat *Hitz.*). Sed apte « *ego* » sine verbo positum censeo, si, ut mihi prorsus persuadeo, Eccl. a capite octavo *tertiam libri partem* proposita quaestione « Quis est ut sapiens? » exordiatur. Sonat enim gravius nudum pronomen et firmiorem inducit asseverationem. Congruit, quod plenam absolutamque promittit quaestionis et causae « solutionem » eique brevem commendationem sapientiae praemittit. Haec enim omnia declarant, eum velle attentum facere lectorem, ut ordinatam quaestionum omnium dissolutionem, quasi *philosophorum* more *via et ordine propositam* (id revera huius tertiae partis proprium est), diligenter audiat. Itaque iam ab initio monuimus, veram scriptoris sententiam, nullis artificiosae disputationis anfractibus impeditam, in hac tertia parte quaeri oportere. Ergo veram beate vivendi sapientiam eo ordine, quem rerum ipsarum poscit *natura*, declarare incipit ; dicit autem modeste : « Quis *ut* sapiens? » i. e. sapienti *similis*, ne ipse sibi videatur illam perfec-

tam vindicare rerum notitiam, quam 7, 24 sq. tam graviter affirmavit « in profundo demersam latere ».

Clausulam v. 1 Hier. in ipso iam comm. legit וְעַז פָּנָיו יְשֻׁנֶּא = « et fortis (Deus) vultum eius immutavit », sed prima vox, quia caret articulo, non facile potest ad « Potentissimum » referri. LXX porro eandem item pro adiectivo accipientes et ultimam per Sin pronuntiantes, retenta passiva punctatione (pual vel niphal), longe aliam sententiam effecerunt : καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται = et impudens homo ob faciem suam odio erit. Sed facilius explicantur verba hebr., ut legi solent. Est autem « asperitas vultus » quaedam ruditas et procacitas (ἀναίδεια, LXX), quam dispellunt vera sapientia, generositas, humanitas; de dictionis hebr. vi cf. Deut. 28,50; Prov. 7,13.

V. 2 « rex » intelligitur, ut mihi videtur, Deus, non directe quidem, sed *indirecte*. Per se enim dicitur : Os regis *alicuius, quicumque est*, observa (articulus definitus abest); praeterea ratio additur (hebr.) : « et quidem propter Dei iusiurandum », i. e. quia iureiurando teneris, ut honores regem tuum. Sic enim hoc *videtur* esse interpretandum propter additam vocem Dei, quamquam ineptum non sit intelligi : quia Deo obedientiam iureiurando vovisti (Ex. 24,7 sq.), ut verba directe ad Deum spectent. Sed de Deo sermonem esse *indirecte*, et res ipsa videtur demonstrare, quia civilia s. politica in hoc libro usquam tractari nullum est certum indicium, et alia argumenta manifesta. Non enim profecto in hoc vertitur quaestionis principalis solutio, ut regem colere meminerimus; *principalis* autem quaestionis solutionem proponi, ut vidimus, totius loci ratio declarat, etsi v. 1 דָּבָר caret articulo et recte possit verti : quaestio*num* (quarumlibet) solutionem. Deinde versus 4, cum simillimus sit Iob 34, 18, aptissime eodem quoque modo explicabitur, ita, inquam, ut observantia regi debita pro exemplo ponatur eius reverentiae, qua cum Deo agi oporteat. Id igitur hoc loco praecipitur, ut *regem* meminerimus esse Deum, eumque cultu humillimo prosequamur, quia rex regum est; atque haec sententia imprimis apta est huic tertiae partis initio, ubi vitae beate agendae primum maximeque necessarium fundamentum iaciendum est. Sed *cogit* ita intelligere, quod de tempore iudicioque rebus omnibus praefinito vv. 5 et 6 dicitur; nam haec verba non possunt nisi temere seiungi ab iisdem, ut sunt capite tertio usurpata, maxime vv. 1. 11. 17. Nec v. 7 ad regis terrestris actionem spectare potest (quae enim erit apta sententia?); nec omnino a rege, sed a Deo exspectandam esse iustitiae poenam Eccl. docet, ut identidem vidimus et paullo infra 8, 9 sqq. et 10,4 sqq. videbimus. Immo vero perpetuo *Dei* iudicium spe-

rare iubemur et id quidem *futurum* longeque remotum. Haec fuit sententia potissimum 3,17 eandemque hic (vv. 5-8) intellige in hunc modum : Sapiens novit exspectandum esse tempus iudicii futuri, interim patienter ferenda esse, quae divina providentia permittat ; sed impium nunquam effugiturum ultionem divinam (ne hic quidem regis terrestris poenam intelligi licet). Itaque statuendum est, 8,2-8 reverentiam commendari divinae providentiae, sed poetice adhiberi exemplum eius observantiae, quam reges sibi flagitant. Ad hanc normam singula explico. Quodsi rationes allatae cuipiam necessariae non videntur, ipse explicet *ordinate*, quomodo et huius capitis versus inter se cohaereant et quo vinculo haec cum superioribus capitibus atque etiam libri universi sententia connexa sint. Non enim oportet in uno versiculo haerere et *verba* tantum singula excutere. Cf. de h. l. *Cornely*, Introd. II. 2 p. 163 n.

Eodem versu 2 de עַל דִּבְרַת־ cf. p. 181 — « Iusiurandum Dei » proprie videtur significare sanctum populi officium obediendi regi suo, saltem tacito iureiurando consecratum (cf. 4 Reg. 11,17, ubi solito sollemnius regis cum populo foedus commemoratur). Quamquam verius etiam inter *singulos homines et Deum* foedus est sacramento confirmatum (cf. Vulg.). Item, quod v. 3 dicitur, pleniorem sententiam habebit, si de Deo cogitaveris ; tum enim « egredi e conspectu eius » erit contrarium illius praecepti : « Ambula coram me et esto perfectus » (Gen. 17,1) ; de solo rege terrestri dictum quid significabit?

Vv. 5 et 6, ut diximus, « tempus » significatur *remotum*, quod *exspectandum* sit, non propinquum, quod notum sit hominibus, quasi dicatur : « scit exspectare sapiens tempus et iudicium patienter, fixum est enim et immobile cuiusvis rei tempus et iudicium » (Vulg. hic « responsionem » habet, i. e. iudicis sententiam). Additur duplex ratio, prior explicativa potius, altera confirmativa. Ergo ex quatuor כִּי (quae non leve indicium sunt inopiae linguae hebr.) secundum non proprie rationem, sed *explicationem* affert : « Tempus est praefinitum futuri iudicii, quod accelerare nemo potest ; graviter *enim* (v. 6^{b}, Vulg. « et ») in *hac vita* premit homines dilatio iudicii » ; deinde tertium veram *rationem* adiungit v. 7 : « *quia*, quando sit futurum aut quomodo, prorsus ignorant » ; nam haec ipsa causa est doloris iustorum, quod spe quodammodo incerta consolari se debent. Sequitur v. 7^{b} rursus כִּי explicativum (Vulg. « et »), ita ut subordinatum sit utrumque כִּי alterius incisi versuum 6. 7 utrique prioris incisi, sitque iam recte legenti minor offensio. Vox autem רָעָה, ut רַע, modo miseriam, modo vitium designat, cf. vv. 3. 5. 9. 11. 12 et 5,12. 13 ; v. 6

ita accipiendum est רָעָה, ut v. 9 רַע, i. e. de miseria eorum, qui iniuriam patiuntur.

V. 7 verba iterata ignorationem temporis acrius exprimunt, in qua vis est sententiae; sed secundo loco additur significatio *modi* (כִּ), quo futurum sit iudicium : (hebr.) quia quomodo futurum sit, quis docebit eum? V. 8 asyndeto adversativo adiungitur asseveratio, nequaquam posse impium effugere Dei poenam, etsi procrastinetur. Atque haec sententia, quae enuntiatur demum in parte versus extrema, trium rerum *comparatione* prius illustratur. Ut enim homo spiritum impedire nequit nec mortem appropinquantem differre nec immaturam in bello caedem effugere, ita, immo vero etiam minus, Dei vindicis poenam, si peccaverit, evadet.

Tametsi igitur plurimi existimant, priore parte cap. 8 praecepta tradi de regum observantia, eam tamen opinionem falsam esse non vereor dicere, praesertim cum *nemo* demonstret, cur hoc potissimum loco huiusmodi documenta proponantur, et quomodo vel singuli inter se versus nectantur vel tota disputationis series texatur. Quod fieri non posse ingenue fatetur *Pin.* : « Cum omnes sententiae », inquit, « usque ad versiculum nonum de rege ac viro principe videantur loqui tandemque sub unica versiculi noni clausula contineri : Omnia haec consideravi..., tamen non est facile unius contextus filo illas omnes assuere. Forte ergo, ut facilius, ita congruentius fuerit, tamquam diversa praecepta politica, nunc ab Eccl. coacervata, haec omnia tractare : nam singula et praeclara sunt et succo atque utilitate plenissima ». Sed ut sunt inter recentiores aliqui, quibus hic locus de Deo explicandus esse videatur, sic omni tempore fuerunt, qui idem sentirent. De qua re liceat eiusdem Pinedae verba afferre : « Duplex », inquit, « in universum est hunc locum exponendi ratio : altera, quam fere Latini cum Hieronymo (in *secunda* interpretatione) sequuntur, ut de Deo rege supremo atque hoc ordine dicta sint : Sapientis quidem partem esse *divini oris* iussionisque legem et praescriptum diligenter observare; quippe divina lex homini a Deo indicta, *iuramento* et pacto stabilita est, Exod. 24. Supremi autem Legislatoris Iudicisque integerrimi *faciem* fugere nemo potest, irrita enim erit *festinatio discedendi* ab illo, cuius irae resistere nemo potest. [Haec verba aliter interpretati sumus.] Custodiendum illius praeceptum, ne cogatur homo aeternae damnationis supplicium experiri. Namque sapienti certum et persuasum esse oportet, fore *olim tempus,* cum sisti nos oporteat ante tribunal iudicis, quaestioni subiici, cogi conscientiam ad interrogata respondere, et referre unumquemque, prout gessit. Huius autem extremae sortis, *qualis futura sit,* ignoratio valde *excruciat* ho-

minis animum... » Sed ipse Pin. aliter : « Commodiorem et simpliciorem iudico illam *priorem* Hieronymi, Albini et posteriorum, Caietani, Isidori, Campen. Victorini [interpretationem] : nunc praecipere [Eccl.] iuxta Apostolum *regibus et potestatibus obsequendum*, ne sapiens tantum sibi arroget, ut, cum « sapientia luceat in vultu eius », omnem sibi honorem ab aliis deferri, nullum ipse magistratibus deferre velit; nam sapientia etiam lucet in vultu magistratus et principis, quem Deus ad facienda vitandaque illuminat ». Haec ille et suo quidem iure, *si* nihil aliud quaerendum esset, nisi ut sententiae *separatae ac divulsae* « praeclarae essent et succo atque utilitate plenissimae ». Atqui hoc ipsum praeter cetera praestari ab interprete huius libri oportet, ut, qui sit universi nexus contextusque, appareat; satis enim multa de singulis verbis atque enuntiationibus in omnem partem apte inepteque disputata sunt. Melius *a Lap.* : « Igitur primo et genuine per regem accipe Deum, qui est rex regum ».

Itaque Deum vereri, regem universorum, iubemur in eiusque voluntate acquiescere, quamvis iniqua praesens mundi conditio esse videatur, atque hinc aptissime incipit tertia libri disputatio, quae in *ordinata praeceptione* rerum ad vitae usum spectantium tota vertitur. Non assequi me fateor, cur non omnibus persuadeatur, hic de civili obedientia nullum esse dicendi locum, sed de religiosa. Illa nec in totum librum, sive naturam eius sive dispositionem spectes, satis quadrat, nec capiti septimo ullo modo consentanea est, nec illis verbis « Quis ut sapiens? » apte inducitur. An in *hac una re* vis praecipua et quasi nervus cernitur sapientiae, ut regi obtemperetur, tyranno praesertim, ut plerique volunt? Contra verissime Dei timor initium sapientiae dicitur ac civilem obedientiam simul ipse complectitur. Una est dubitatio de « iureiurando Dei » v. 2. At ea levātur, ubi primum מֶלֶךְ, sine articulo positum, indefinite accipimus nec vertimus « regis tui » (τοῦ βασιλέως), sed « cuiuslibet regis », regem autem *parabolice* significare Deum dicimus : « Regium custodi mandatum et quidem ob Dei iusiurandum ». Atque ita haec ipsa dictio non difficiliorem, quam in contraria interpretatione, explicationem habet; immo vero vel sic intelligi potest : « quia *Deo* astrictus es iureiurando »; nam *regibus* Hebraeorum iusiurandum verbis conceptum praestitum esse, non liquido constat; ac praeterea manifestum fiet, cur non sit scriptum הַמֶּלֶךְ, si quidem de suo cuiusque certo rege non agitur. Iam vero reliqua omnia multo pleniorem sententiam nanciscuntur et usitatius explicari possunt; velut v. 3 illa verba : « Quidquid vult, facit » de solo Deo dicta inveniuntur (Ion. 1,14; Iob 23,13 etc.), item v. 4 illa : « Quid agis? » (Iob 9,12; Is. 45,9; Sap. 12,12; Dan. 4,32). Nec laborandum erit, quid sibi velit « discedere a facie eius » et « insistere rei malae » v. 3, item v. 5 : « tempus et iudicium ». Atque omnino a v. 5-8 nulla probabilis explicatio nisi de di-

vinae voluntatis reverentia effici potest, nisi velis omnia illa negligere, quae tot aliis locis eisdem fere verbis disputata sunt. Maxime tenendum est « temporis » notionem inferre hic ut ceteris locis notionem *immutabilitatis* a Deo impressae rebus omnibus, quas hominis arbitrio non permisit; in quibus nominatim illa miseria est praesentis nostrae conditionis, cum ius fasque saepissime impune perturbantur, de qua iniquitate a v. 9 disseritur. Ac sunt auctores quoque non contemnendi, qui ipsos primos capitis octavi versus de Deo dicta existimarint : *Thaum.*, *Hier.*, *Olymp.*, *Chald.*, *Midr.*, *Dale*, *Hengst.*, *Hahn*. Olympiodorum audiamus : « Honestum illud sane est », inquit, « hic in terra regi obedire; at Regis Regum os observare iubet Scriptura, i. e., mysteria reticere nec inter indignos divulgare, itemque praecepta custodire... Quoniam Dominator universi Deus, qui omnium rerum habet potestatem, legem sanxit, nec ei quisquam potest repugnare, tu ne sis ausus rationem exigere mandatorum, quam ob rem hoc, non istuc imperaverit... Divinum praeceptum qui observaverit, non noverit verbum malum (ῥῆμα πονηρόν) i. e. non faciet opus (πρᾶγμα) malum ».

Nunc opiniones varias legendique differentias recensebo. Verba « Quis ut sapiens? » *Hier.* in comm. recte coniunxit cum c. 8, itemque *Olymp.* et *Thaum.* (?); *Cast.* et *Hahn* audire iubent ad יוֹדֵעַ prius כְּ, et sane quaedam inaequalitas est constructionis, si verba dicimus admirationem, ut plerique volunt, continere sapientis; cur enim in altera parte non eadem admirationis nota (כְּ cf. Ex. 15,11) adderetur? Sed, ut nos explicavimus, non est utrobique par ratio, immo vero כְּ altero loco esset ineptum. — דָּבָר, quia numerus singularis est, a nonnullis ad proximum effatum de sapientia spectare censetur, sed id nec rei satis convenire videtur et dicendum fuit חַד. Ergo pro indefinito accipi debet, et vertunt multi pluraliter; congruit autem optime singularis, quia de *una* eaque principali totius libri quaestione agitur, et abesse tamen potest articulus definitus, quia *generatim* describitur sapiens : « Quis novit aliquam solvere quaestionem s. causam enucleare? » Parvi refert, « verbum » an « rem s. causam » interpretemur; illud veteres secuti sunt, hoc plerique recentiores; sed ipsum *Olymp.* vidimus πρᾶγμα pro ῥῆμα substituentem. *Gr. civilem* locum proponi arbitratur vultque intelligi « partium reconciliationem », multaque hic quoque de Herodis aetate significari dicit, quae nemini facile probabuntur. — Pro μισηθήσεται (LXX) *Olymp.* habet τιμωρηθήσεται, quamquam et ipse et *Thaum.* id de odio hominum explicant. Accedit ad LXX *Syr.*; contra *Chald.* « mutandi » vim verbo שׂנא subiicit, *Midr.* utrumque proponit. Sed odii notio hoc loco parum quadrat nec bene opponitur illustrationi vultus; de reliquo in littera finali א non est haesitandum; nam, ut omittam in multis codd. esse ה, ipsum שׂנא invenitur etiam 2 Reg. 25,29; Thren. 4,1, dictio autem « mutare vultum » non modo Iob 14,20, verum etiam Eccli. 13,31 (gr. 25) : « Cor hominis immutat faciem illius », ubi exstant ipsa verba hebr. יְשַׁנֶּה פָּנָיו (*Del.*). De lenienda asperitate vultus recentiores plerique verba explicant : *Herzf.*, *Boettch.*, *Ginsb.*, *Elst.*, *Zoeckl.*, *Mot.*, *Bick.*, alii; sed *Zirk.* et *Hitz.* : « insolentia turpat faciem eius », *Ew.* et *Hahn* : « Splendor duplicatur vultus eius ». — *Lux* vultus, quam dicit scriptor, partim ad intelligendum pertinet (cf. 2,13. 14), partim ad recte agendum (cf. Eccli. 32,20 : « iustitias quasi lumen accendent »).

V. 2 אֲנִי omiserunt LXX, *Chald.*, *Syr.*, quare id *Gr.* ex quadam iteratione vocis

proxime praecedentis ortum arbitratur. *Hier.* iam in comm. vertit « *ego* custodio », ut videatur propter pronomen discessisse a LXX, quos dicit imperativo modo vertisse; alii אֶשְׁמֹר legerunt, v. *Midr.*

Versum 3 plurimi de deserenda causa regis ac de machinanda rebellione interpretantur (*Rosenm., Knob., Del., Wr...*), alii de festinato recessu a rege et mora nimis diuturna, ne aut molestiae aut irae ei causa afferatur (*Ginsb., Ew., Elst., Zoeckl.*); *Hitz* : « Ne discesseris a rege tamquam inquinato (utpote gentili!) neve sis cunctatus mali quidpiam agere iussus ab illo », alii aliter. Sed verba tanta amplitudine enuntiata de Deo aptissime intelliguntur. Itaque *Chald.* sic habet : « Cum Domini ira exarserit, ne modum orandi feceris ac cito ingredere in conspectum eius, ut supplex misericordiam implores ac deprecere, ne stes in verbo malo. Totius enim mundi Dominus, quidquid voluerit, faciet ». Nec reliquos veteres facile est aliter explicare. Nam LXX et *Syr.* festinandi verbum ad Dei iusiurandum referunt, ut quae sequantur, non possint regem humanum respicere : καὶ περὶ λόγου (דָּבָר = דִּבְרָה, sed v. supr. p. 181) ὅρκου θεοῦ μὴ σπουδάσῃς· ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσῃ· μὴ στῇς ἐν λόγῳ πονηρῷ, i. e. et in verbo iurisiurandi Domini noli festinare, a facie eius [noli] declinare; ne steteris in verbo malo. *Thaum.* quoque explicat : « fugiendum esse iusiurandum et invigilandum verbo malo et cavendum a Domini blasphemia »; *Olymp.* in aliis libris esse πορευθῆναι dicit et sic enarrat : « Honestum est cavere nec iurando offendere Deum nec festinare egredi ex eius conspectu ». Verba certe hebr. LXX sic legisse, ut nos, evidens est et verbum e verbo reddiderunt, ut σπουδάσῃς πορεύσῃ ab uno μή pendeant; et sane prius verbum etiam hebr. paene adverbii vim habens sine coniunctione nexum est alteri : אַל־תִּבָּהֵל תֵּלֵךְ, ut Gen. 30,31 אָשׁוּבָה אִרְעֶה = iterum pascam (Vulg.). Quidam tamen negant ita verba iungi posse et נִבְהַל vim habere aiunt stupendi, horrescendi, non aliam, cf. *Heiligst., Hahn, Cast.*; sed exemplum alterius notionis v. Prov. 28,22 : festinat ditari (Vulg.). — Quod sequitur v. 4 בַּאֲשֶׁר sonat « quia » Gen. 39,9. 23 (non pauci codd. exhibent כַּאֲשֶׁר). Hahn suis argutiis delectatur : « In eo, quod est verbum regis, potentia est »; sed huiusmodi commenta (quae plurima rursum in hoc capite venditat) in posterum omittemus.

V. 5 דָּבָר רַע, cum sit per se ambiguum, alii de actione mala (ut v. 3) accipiunt, alii de poena, atque hoc alterum praeferendum est, ne quid inutile addi videatur; יֹדֵעַ autem experiendi, patiendi vim habet Ez. 25,14 : « scient vindictam meam » (Vulg.). Idem autem verbum paullo post sonat «nosse »; non enim sapiens (in hac vita) nacturus est ius ac mercedem, sed *scit* a Deo tempus *longinquum* esse definitum neque ullo modo certam sperat opem praesentem. Quidquid enim multi tergiversantur : non potest alia esse horum verborum sententia, si id, quod de « tempore » c. 3 copiose disputavimus, suam vim habiturum est. Illic enim disseruit scriptor, Deum rebus omnibus ac singulis suum praestituisse tempus, ac nominatim iudicium de iniquitate (3,16 sq.) sibi reservasse et in tempus longinquum distulisse. Ergo hoc loco in iisdem verbis bis repetitis hanc sententiam inesse oportet : « Novit sapiens hominem adversum Deum nihil posse et exspectandum acceptandumque esse tempus ac iudicium (in aliquot codd. hebr. tempus iudicii) prout divina statuerit providentia ». Recte *Midr.* : « Homo, quod libitum erit, faciat in hoc mundo, at illic ius dicetur ratioque reddetur ». Accedit quod verba versus septimi ceteris locis, quibus inveniuntur (3,22; 6,12; 7,14 sq.), de ignoratione operum *Dei* et de necessitate, imbecillitati nostrae imminente, usurpata sunt. Idem versu octavo enuntiatur. — Unum consueverat Eccles. locis compluribus huic supremae recte agendi regulae

adiungere : abstinendum esse a temeritate illa, qua homo saepe inducitur, ut cum Deo expostulet indigneque ferat adversa. Itaque ut ad illud דָּבָר רַע redeam, unde exorsus sum, non est alienum, quod *Thaum.* in ipso v. 3 intelligit *verbum* blasphemum; videtur etiam עָמַד בְּ explicari posse : prorumpere, se effundere in; item v. 5 non prorsus inepte vertas : non noverit verbum malum, sed noverit — *eadem* erit vis verbi יָדַע — Dei esse tempus iudiciumve praefinire. — Interpretes recentiores maxime inter se discrepant. *Gr.* et *Ren.* volunt tempus *modum*que prudenter agendi notum esse sapienti. *Del.* censet, sapientem se consolari *spe* futuri iudicii, sed eundem *nunc* quoque, si servet regis mandatum, nihil passurum esse mali (et tamen de tyranno agi dicit!). *Mot.* tempus intelligit praesens, iudicium autem futurum. — V. 6, ut iam Hier. notat, LXX et *Theod.* דַּעַת legerunt pro רַ'; *Thaum.* explicat : invigilat homini Dei scientia — *Olymp.* : vera scientia difficultate opprimit eum. Sed lectio ipsa vitiosa est. — V. 7 priore loco *Hier.* הֲוֵה se legere in hebr. testatur; quod facilem haberet interpretationem et satis commodam, si proximum כִּי abesset, quod quidem ipse reddit « et » ; praeteritum legit item *Syr.*, at contra futurum posuit *Chald.*

V. 8 « spiritum » plerique animam interpretati sunt. *Hier.* : « Non est in potestate anima nostra, ne auferatur a nobis, et egrediente ad imperium Domini spiritu, nihil prodest ora concludere et vitam retinere fugientem. Cumque interitus, inimicus vitae nostrae et hostis, advenerit, inducias accipere non possumus, nec reges quondam in saeculo et omnia nostra impietate vastantes obvias morti inferre manus : sed in cinerem terramque solvemur ». Item *Chald.*; porro *Thaum.* et recentiores plurimi. At proxima verba iam omnino idem significant; itaque non absurde et magis etiam fortasse poetice, *Hitz.*, *Del.*, *Gr.*, *Bick.* secuti, *ventum* intelligemus, ut totius versus haec sententia exsistat : Naturae et Providentiae leges, sicut in vento et in morte sive naturali sive violenta cernitur, infringere nemo potest; sequitur, argumento firmiore, poenam a Deo peccantibus propositam evitari non posse; est enim multo magis consentaneum Deo moralem, quam naturalem rerum ordinem tueri. — שִׁלְטוֹן LXX, *Chald.*, *Vulg.*, *Syr.*, *Ven.* « potestatem » reddunt; sed rectius, ut v. 4 et Dan. 3,2. 3 et constanter, ut ait *Del.*, in Talm. et Midr., intelligitur « potens » (« non est potens »), atque idem apud LXX legit *Olymp.* estque nunc in compluribus codicibus illorum. — Vocem מְשִׁלַּחַת nescio cur paene omnes velint esse « commeatum » i. e. legitimam excusationem a militia; nam « missio », ἀποστολή, hoc loco non absentiam a bello, sed in bello liberationem s. fugam a morte violenta significat, ut recte explicavit *Thaum.*, itidem *Syr.*, inter recentiores *Mot.*, *Ren.* — Extremorum verborum vim enervare mihi videntur *Gr.*, *Ren.*, *Bick.*, qui עֹשֶׁר pro רֶשַׁע legendum statuunt.

b) Si est in mundo iniquitas, moderare tibi 8, 9-15.

8,9 *Omnia haec consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus, quae fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.*

Vidi haec omnia intendique animum in omne opus, quod sub sole agitur : tempus est praestitutum, quo dominetur homo in hominem ad nocendum ei.

10. *Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et*

Atque ita vidi impios sepeliri et abire, e loco autem sancto exsulare, et oblite-

laudabantur in civitate quasi iustorum operum; sed et hoc vanitas est.

11. Etenim, quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

12. Attamen, peccator ex eo, quod centies facit malum et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.

13. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini.

14. Est et alia vanitas, quae fit super terram: Sunt iusti, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant; sed et hoc vanissimum iudico.

15. Laudavi igitur laetitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, et biberet, atque gauderet, et hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitae suae, quos dedit ei Deus sub sole.

rari in urbe memoriam eorum, qui recte fecissent.

Hoc quoque vanissimum, quod non profertur cito de malorum actis sententia — idcirco implentur hominum animi ac pectora mali desiderio;

Quod peccator impie agit centies et producit dies suos, cum tamen perspectum ego habeam, bene actum iri cum iis, qui timeant Deum, qui vereantur faciem eius;

At male cum iniquis, nec producturos dies suos, umbrae similes, quicumque non vereantur Dei vultum.

Est vanitas, quae fit in terra, quod iusti sunt, quibus sic res eveniant, ac si opera egerint impiorum, et sunt impii, quibus non aliter eveniant, ac si iuste egerint : dixi hoc quoque esse vanitatis.

Ergo laudo ego laetitiam, quia non est homini bonum sub sole, nisi ut edat et bibat et gaudeat; atque hoc eum comitetur inter labores suos tota vitae perpetuitate, quam dederit ei Deus sub hoc sole.

In hac parte nemo iam dubitat, quin de dilato Dei iudicio agatur. Nonne igitur melius fuit, cum verba nullo modo repugnarent, superiora in eandem sententiam interpretari, ut cohaereret universa disputatio? Ergo eam normam divinae providentiae, quam modo scriptor proposuit, ad vitae *molestias* accommodat. Quod dum facit *et quidem intente meditans* (inf. abs. נָתוֹן quasi pro adverbio modali additur verbo finito, cf. 9,1), hoc primum statuendum censet : ut tempus iudicio futuro, ita etiam tempus iniustitiae praesenti esse praefinitum, s. esse tempus (sic in hebr. v. 9), quo ius omne videatur perverti. Itaque vox « temporis » (עֵת) v. 9 vim maximam habet, et videtur quasi obiectum esse alterum verbi « videndi » : « Haec omnia vidi [et hoc intellexi] : tempus esse ». Melius etiam fortasse Vulg. ab hac voce novam enuntiationem incipit (« interdum » = tempus est, quo), etsi explicari etiam potest (ut iam *Chald.* fecit) : « Haec omnia vidi eo tempore, quo... ». V. 10 בֵּכֵן est « in hunc modum » (simillima est vox graeca καθώς); secundum enim normam propositam : esse aliquam concessam impiis horam et potestatem tenebris (Luc. 22,53), secundum hanc normam, inquam, vidisse se testatur Eccl. impios honorifica

donari sepultura (cf. Iob 21,32 sq.) et quodammodo impune dimitti s. in pace abire (cf. בָּא שָׁלוֹם Is. 57,2), contra iustos pessime haberi. Sed in hoc loco verbis discrepant veterum interpretationes. Qui legisse videntur וְיִשְׁתַּבְּחוּ = « laudantur » (id quod est nunc quoque in codd. plus viginti), atque ita cogebantur totum versiculum ad impios referre; כֵּן autem in extrema parte licebat vertere, ut verti solet, « sic ». LXX : εἶδον ἀσεβεῖς εἰς τάφους εἰσαχθέντας καὶ ἐκ τοῦ ἁγίου, καὶ [1] ἐπορεύθησαν καὶ ἐπηνέθησαν ἐν τῇ πόλει, ὅτι οὕτως ἐποίησαν; sed, ut manifestum est, haec parum perspicuam exhibent sententiam. Idem dicendum de *Hieronymi* in comm. interpretatione : « Vidi impios sepultos et venerunt et e loco sancto egressi sunt et laudati sunt in civitate, quia sic fecerunt ». In *Vulg.* « venerunt » omissum est, deinde « *in* loco sancto erant » positum, ut sententia minus impediretur. Consentiunt de illa voce cum LXX etiam *Aq.*, *Symm.*, *Theod.* (Ar.). Contra *obliviscendi* verbum legerunt, ut Masor., *Chald.* et *Syr.*, idque meliorem affert sententiam, si praeterea כֵּן explicatur secundum Vulg. « iuste », quae est notio huius vocis minime rara. « Locum sanctum » intelligamus urbem sanctam, vel amplius, solum patriae Dei praesentia sanctum; ergo de piis agitur, ut videtur patria expulsis, quos cito obliviscuntur cives, et quorum quodammodo ignotum ac sine nomine sepulcrum est. Vocabula ultima ad proximum versum potius trahenda esse arbitror, ut duplex אֲשֶׁר facilius explicetur (cf. 5,4 טוֹב אֲשֶׁר). « Contra malos » (Vulg.) pro « male facti (s. factorum) » liberius dictum est, multo autem magis, quae sequuntur; haec enim ex hebr. ad verbum sic reddas : « Idcirco impletur cor filiorum hominum in ipsis, ut faciant malum ».

V. 12 aliquid erratum videtur in Vulg., quia verba vix possunt intelligi, ne commate quidem primo traiecto post « peccator »; nam anacoluthon hac mutatione exsistens intolerabile est. Itaque ipsa vox « peccator » post « quod » collocanda videtur. Sic enim est in Hier. comm. : « Quia peccator facit malum centies et elongat ei. Ex hoc cognosco ego... » Ubi « quia » respondet superiori : « Quia enim non est contradictio facientibus malum cito », ut utrumque « quia » rationem reddat mediae sententiae : « Ideo repletum est cor filiorum hominum ». Sed ex sententia « Quia peccator... » concluditur amplius : « Ex hoc... ». Verborum consecutio haec est : « Quia enim non est contradictio..., ideo repletum est..., quia peccator facit...; ex hoc cognosco... » Ipse Hier. pergit explicare :

(1) καί additum ab interpretibus videtur; certe post ἁγίου prius incisum conclusum existimarunt.

« Ex eo quod peccanti plurimum... dat Deus locum poenitentiae et non eum statim punit in scelere, sed exspectat, ut convertatur ab iniquitate : ego intelligo, quam benignus et misericors super eos futurus sit Deus, qui habent timorem eius ». Ergo in hunc modum corrigenda est Vulg. Quamquam *a Lap.* (posito commate post « peccator ») iudicat, ita scriptum ab ipso Hier. : « Est hysterologia hebraica : sic enim verba transiicienda et ordinanda sunt : *Attamen ex eo, quod peccator centies* ». Sed nihil prorsus singulare est in hebr., quod potuerit movere interpretem, ut vocem peccatoris tam mirum in modum transponeret. Ceteroquin constructionem enuntiationis, quae est in Vulg. (« Quod peccator... tamen ego ») tuentur etiam multi recentiores; de אֲשֶׁר = « quia » cf. 6,12. Sed etiamsi « ex eo quod peccat » interpretari liceat, aut, ut recentiores solent : « esto, peccet », nihilominus difficile est כִּי גַם accipere pro « tamen » (ut כִּי sit mere affirmativum). Removentur difficultates omnes, si utrumque אֲשֶׁר dicimus ex ultimis verbis v. 10 pendere; et est hoc loco longior sententiae suspensio affectui satis consentanea, cf. simile quid v. 8 et similius v. 16 sq.

In v. 12 itemque v. 13 extrema verba supervacanea videntur, sed ad premendam pietatis vel impietatis notionem repetitio (more Ecclesiastae) adhibita est, sive אֲשֶׁר vertas « qui », sive « quia »; cf. similem affirmandi formulam 1 Tim. 5,3 : χήρας τίμα, τὰς ὄντως χήρας. In v. 12 מַאֲרִיךְ *Hier., Symm., Theod.* itemque e recentioribus aliqui ad Deum retulerunt (Hier. comm. : elongat ei [Deus]; Vulg. : per patientiam sustentatur); sed minus offensionis habet ita accipere ut 7,15 (Vulg. 16 : impius multo vivit tempore); cf. hic v. 13; nec (ut illo loco cap. 7) necesse est simul audire « dies suos », sed videtur ipsum per se verbum vim habere : sustinere se, diu manere ac vivere, Prov. 28,2.

V. 14 ita adiungitur, ac si novum argumentum inducatur (in Vulg. etiam additur « alia »); sed ut in clausula v. 10 (initio 11), sic hoc loco tantummodo incrementum argumentationis illa formula designatur. Modo dictum est, peccatores non puniri, nunc omnino, etiam a Deo, perverti in *terra iustitiam* affirmatur, sive bonos sive malos consideres. V. 15 « Laudavi » fortasse melius ut perf. proprium (quod vix differat a « laudo ») et reliqua ut orationem *directam* interpretabimur, quia hic Eccles. magis quam in superioribus capitibus praesentem suam eloquitur sententiam. [Item v. 12 non reddidi « cognovi » (יוֹדֵעַ), sed « perspectum habeo ».] Ibid. « auferre » in Vulg. magis proprie vertas : « comitari », LXX : συμπροσέσται, Hier. in comm. : egredietur cum eo.

Sed una restat difficultas in v. 13 explicanda, quam Hier. (etiam in

comm.) sic removet, ut vertat « sit », non « erit », et dicat Ecclesiasten « imprecari male his, qui non habeant timorem Dei, et optare, ne diu differantur ad poenam » ; sed non legitur modus iussivus, et ipsa similitudo constructionis in v. 12 postulat, opinor, ut vertatur potius : « Non erit bonum... » Fatetur Hier. LXX eodem hoc modo vertere, et optimam affert explicationem : « Non enim ei, qui multo tempore vivunt, prolongant dies suos, sed qui grandes eos faciunt bonorum operum magnitudine ut in psalmo confitens : *Dies*, inquit, *mei sicut umbra inclinati sunt et ego sicut foenum arui*, non quod longam vitam quaesierit in praesenti, in quo omne, quod vivimus, breve et umbra est et imago, sed quod de *futuro* timeat, ne longitudo vitae ipsius, ubi vera est vita brevietur », i. e. longissima vita malorum non potest *vere* dici longa, quia nec ipsa per se quidquam prodest nec ad aeternam vitam beatam perducit; contra homo pius « consummatus in brevi explevit tempora multa » (Sap. 4,13).

Apparet, quam graviter hic Eccl. dignitatem verae virtutis commendet et ad alteram vitam beatam, quae vera sit vita vereque longa, prospectet; quod tanto clarius elucet comparato v. 10, ubi dixit, saepe in vita, atque adeo post mortem omnia prospere succedere malis *in hac terra*, bonis omnia pessime evenire. — Sequitur iam, v. 15 non posse accipi pro commendatione vitae commodae aut etiam voluptuosae; quae enim esset ista iustorum futilis consolatio post eam, quam modo posuit, spem, inquam, vitae aeternae, praesertim cum ipse significaverit, pios bonis hisce caducis saepissime prorsus *carere*. Immo illud, quod saepe diximus, intelligendum est : « Ergo pacem serva animi, ab omni indignatione de tanta vitae miseria abstinentis; tibi attende, vive quiete et, quantum licet, iucunde; cetera Deo committe, iusto rerum omnium administratori scelerumque vindici; *tempus* recogita ab eo fixum ». Quod quidem tempus esse duplex, nos oportet recordari : unum futuri iudicii, cum sua sceleri poena, merces virtuti attribuetur (de quo priore parte c. 8 usque ad v. 8), alterum huius aevi mundani, dum solet « homo dominari in hominem » (vv. 9 sqq.). Notandum est autem hic instrui non tam eos, qui ipsi ab aliis opprimantur, quam sapientem, qui res humanas contemplatus (cf. vv. 9 et 10) *videat* iura omnia in mundo perverti. De illis vicissim disputabitur 10,4 : « Si spiritus potestatem habentis ascenderit super *te* ». In hoc autem c. 8. disseritur, qualem se mundus vitaque humana offerat contemplationi sapientis; itaque protenus transit scriptor ad describendum iterum suum sapientiae studium.

V. 9 vox עֵת difficilis visa est iam LXX interpretibus, qui eam pro אֵת explicare

videntur : τὰ ὅσα ἐξουσιάσατο (idem apud *Olymp.*; *Hier.* in comm. : *et* dominatus est). Recentiores modo obiectum esse dicunt verbi « considerandi » (*Elst.*, *Zoeckl.*), modo vertunt « tempore, quo » (*Del.*, *Bick.*), modo addunt verbum substantivum : « tempus est » (*Vaih.*, *Hengst.*, *Cast.*, alii, idemque iam *Vulg.*; *Mot.* : « Tempus praesens calamitati est hominibus). — Illud Vulgatae : « in malum *suum* » licet grammatice vel ad dominatorem referre vel ad civem iniuste oppressum (suum = eius); hoc alterum habent LXX, *Theod.*, *Chald.*, *Syr.* Et Hier. in comm. : « ut affligeret *eum* », itemque multi recentiores. Et sane hoc ipsum vanissimum est in mundo, quod principes crudeles nullo suo malo mala maxima inferunt populis. — V. 10 בְּכֵן nescio cur recentiores alii, LXX secuti, vertant « deinde, porro » (ut Vulg. quoque Esth. 4,16), alii « et tamen »; nihil enim aliud significat praeterquam « atque ita », ipso etiam loco Esth. 4,16. Nec sententia aliud requirit; quodammodo enim ex v. 9 consequitur, quod dicitur v. 10, ut vertere possis « igitur ». Reliqua huius versus verba difficile est certo interpretari. Ut inter veteres alii intellexerunt : « oblivioni tradebantur » (*Chald.*, *Syr.*), plerique : « et laudabantur », *Midr.* utrumque proposuit : ita recentiorum magna dissensio est. Sed primum illud plurimis probatur, ita tamen ut (contra atque Chald. et Syr.) id ad *bonos* accommodent. Quam sententiam nos amplexi sumus, quia et per se est aptissima huic loco et particulae כֵּן meliorem affert explicationem, quam si ad רְשָׁעִים referatur; ipsam autem dicendi formulam כֵּן עָשָׂה vide 2 Reg. 7,9. Neque בָּאוּ difficile est, sed celerem lenemque transitum malorum designat, prorsus ut Iob 24,24 de sceleratis dicitur : « decidunt; ut omnes (alii) colliguntur; ut capita spicarum abscinduntur »; in quo vis est egregia ad ostendendum, quam non pro merito agatur cum impiis *in hac terra*, cum et opulenti potentesque vivant et cum pace abeant. Quamquam fortasse hoc alterum non de ipsa morte, sed de quadam quiete, quae honorifice atque in patriis monumentis, sepultos consequitur, intelligendum est; nam approbatio bonaque existimatio eos comitatur, cum contra bonis exsilium, sepulturae privatio, oblivio contingant. Alii recentiores tenent illud « laudabantur »; *Ren.* ita vertit : « Ainsi j'ai vu des enterrements de scélérats. Le convoi est en marche (בָּאוּ, intellige eos, qui funus efferunt), s'éloigne en procession du lieu saint, et on entend faire l'éloge de ces misérables dans la ville où ils ont commis leurs méfaits »; et *Cast.* : « Così ho veduto che gli empj erano sepolti, e venivano portati, escivano da luogo santo ed erano lodati nella città dove ciò aveano fatto ». Atque ut omnis ostendatur via rei expediendae, audiamus etiam *Mot.* : « J'ai vu les impies ensevelis avec honneur, et ils s'en sont allés; ils s'étaient éloignés du lieu saint, et dans la ville on a oublié leur conduite ». Etiam « locum sanctum » alii Jerusalem, alii sepulcrum explicant, et הָלַךְ alii « ire », alii « expellere ». — De cetero quanti facta sit etiam apud Hebr. honor sepulturae, v. Ier. 22,19; Is. 14,19, et supra 6,3.

V. 11 quidam post פִּתְגָם distinguunt; sed potest esse stat. constr. ut Esth. 1,20, ac minus apte *tria* incisa statuuntur : « quia non fit iudicium, opus malum festinatur, ideo impletur ». V. 12 אֲשֶׁר optime videtur in eandem sententiam explicari atque prius illud v. 11, ita quidem, ut pendeat ab extremis verbis v. 10 et « quod » sonet. Plerique illud prius protasin inducere volunt : « quia-idcirco », alterum autem coguntur vertere « quamvis, esto », item כִּי גַם « tamen ». Sed haec videntur a linguae consuetudine aliena esse, nec apte enuntiatio כִּי גַם usque ad finem v. 13 aequali tenore s. *coordinate* progrederetur; nam a v. 10-14 incl. *principalis* sententia

omnino haec est : non contingere pro suo cuique homini merito res huius vitae; quae sententia apte circumscribitur ac restringitur enuntiatione subiuncta s. *subordinata* כִּי גַם = « cum tamen, quamquam », eaque iam usque ad finem v. 13 pertinet. Longa autem suspensio constructionum duarum in vv. 11-13 non abhorret ab eo affectu, quo in hac causa et hoc loco commoveri scriptorem verisimile est. Paullo aliter *Cast.* construit vv. 11-14 : « Quia non fit iudicium... idcirco implentur... quandoquidem peccator »; deinde a כִּי גַם protasin incipit periodi longioris, cuius apodosis contineatur v. 14 : « Quamquam novi... tamen est aliqua vanitas ». Sane quid coordinandum, quid subordinandum sit, recte indicat.

Subiectum verbi אֹרֶךְ v. 12 vel indefinitum faciunt (« prolongant s. prolongatur ei ») vel Deum intelligunt, ut in comm. Hieronymus explicat : « Dat Deus locum poenitentiae ». Quem id fecisse propter לוֹ additum apparet; nam 7,15 (16), ubi hoc aberat, vertit : « multo vivit tempore ». Sed durius est subiectum (« Deus »), ex superiore *iudicii* mentione intelligere. — Singulare est, quod narrat Hieronymus מֵאַת a Symmacho versum esse : « mortuus est » (מֵת), et a LXX alio errore : ἀπὸ τότε (מֵעֵת). Qui sine dubio offensi sunt forma vocis, omisso פְּעָמִים; sed similiter Iob 40,5 אַחַת est « semel ». Recte *Hier.* et *Syr.*; at *Chald.* « centum annis ». — V. 13 quod Hier. reddit : « non *sit* bonum impio », inter veteres singularis est; sequuntur autem Latini plerique et aliqui recentiores. Huiusmodi mali imprecatio, a Prophetis saepe usurpata, aut non multum differt ab affirmatione ac denuntiatione poenae divinae, aut his Pinedae rationibus, quas ante proposuerat S. Thomas, explicanda est : « Licet aliquando mala temporalia imprecari et optare impiis propter correctionem, « ut spiritus salvus sit » (1 Cor. 5,5)... Illa forte paullo commodior solvendi via, quod nihil optent aut petant sancti contra homines peccatores, sed contra peccatum et peccati regnum, ut nulla peccandi occasio sumi iam possit ex prosperitate aut ex diuturniore vita concessa hominibus... Illa, ut simplicissima, ita et germanissima atque elegantissima : imprecationes eiusmodi fieri a prophetis et sanctis *conformando voluntatem suam divinae iustitiae circa damnationem perseverantium in peccato.* Itaque sciendum, quod, dum sancti haec imprecantur, sunt toti defixi in contemplatione divinae iustitiae et divinae voluntatis, efficacis et iam constitutae, puniendi impios... Non tam sua propria voluntate et sententia quam supremi iudicis iudicio et statuto, veluti divini honoris procuratores optant, petunt, imperant impiorum supplicia et meritissimas poenas reorum laesae maiestatis; quod olim etiam facient sancti, supremo assidentes iudici, aeterni supplicii sententiam in impios fulminantes ».

Gr. vv. 9. 10. 11. 15 multa mutat nulla necessitate, et quod vv. 12 et 13 vertit : « Ego scio *oportere* bene esse bonis et male malis », sententiae difficultatem difficili verborum constructione non bene tollit; requirimus enim, ut Eccl. affirmet, *esse* Deum iustum, etiamsi non *videatur.*

Hucusque, quae sit praesens conditio mundi a Deo statuta, explicatum est, sic fere, ut in prooemio, sed magis perspicue et de immutabili lege Providentiae et de malis ab Ea permissis dictum est. Iam retractabuntur (a v. 16) ea, quae 1,13 ac deinceps tractata sunt. Nam universi libri hac III. parte brevis quaedam summa proponitur. Quod proxime sequitur, respondet illi loco 1,13-18. Verba audiamus.

c) Sciendi studium compesce 8, 16-9, 2

8,16 « *Et apposui cor meum, ut scirem sapientiam, et intelligerem distentionem, quae versatur in terra; est homo, qui diebus et noctibus somnum non capit oculis* » ; v. 17 « *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quae fiunt sub sole; et quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniat; etiamsi dixerit sapiens, se nosse, non poterit reperire* »;

9,1 « *Omnia haec tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem : Sunt iusti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit* » (hebr. : Nec amorem nec odium novit homo, omnia ante Eum — Deum — sunt) ; v. 2 « *Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa aeque eveniant iusto et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti; sicut bonus, sic et peccator; ut periurus, ita et ille, qui verum deierat* ».

Magnam etiam verborum similitudinem deprehendet, qui 1,13-18 comparaverit itemque eam perorationem primae partis, quam agnovimus 3,1-15 (imprimis vv. 10. 11). Itaque v. 16 עִנְיָן (1,13) dicitur omnis ille labor aerumnosus (« distentio » Vulg.), quo fatigantur homines sub sole ; quem contemplatus Eccl. nihil reperit, quo is posset levari v. 17ª (cf. 1,15) ; nec *iterato* studio aut *summo* conatu quidquam proficitur : v. 17ᵇ (cf. 1,16. 17). Cuius rei ratio est, quia Deus hominem in perpetua ignorantia et impotentia detinet (cf. 3,11. 14 sq.). Ex hebr. constructionem enuntiati sic reddo : Cum (כַּאֲשֶׁר) applicassem animum ad pernoscendam sapientiam cognoscendumque laborem, quo gravantur in hac terra — neque enim diebus neque noctibus somnum vident oculis suis — tum (וְ) intellexi... V. 17 presse vertas ex hebr : « Et vidi omne opus Dei, non valere hominem ad inveniendum opus, quod agitur sub sole, quantumcunque (בְּשֶׁל אֲשֶׁר abundantius pro בַּאֲשֶׁר, cf. Ion. 1,7. 8. 12, et aram. omnino congruit בְּדִיל דְּ), quantumcunque (inquit) laborabit homo inquirendo, at (וְ) non inveniet ». In clausula eiusdem versus אֲמַר לְ videtur significare *propositum pronuntiare secum* arripiendae sapientiae, potius quam (ut est in Vulg.) *persuasionem de comparata iam sapientia*.

Prima verba capitis noni « omnia haec » tam ad superiora pertinent, quam ad posteriora, ob eamque causam hebr. in fine primi incisi repetita sunt : « et studui considerare *haec universa* » « Etenim » ab initio (in hebr.) rationem inducit, quare vera sint, quae modo dice-

bantur; nihil *enim* a se esse omissum dicit Eccl., ut sortes hominum consideraret s. excuteret; itaque satis constare, perspici earum rationem intimam *non* posse. Sed indirecte *aliquam* notitiam a se comparatam profert : communem esse et aequalem plerumque fortunam hominum, nec ob pietatem aut impietatem eos diverse in hac vita a Deo haberi. Sed ea notitia talis est, ut potuerit hic quoque concludere, ut fecerat 1,18 : « Qui addit scientiam, addit et laborem ». Mutare enim haec nemo potest, quamvis sapiens, sed mutandi facultas penes Deum est (proprie : in manu Dei), qui, ut dictum est 3,8 « et amorem et odium, i. e. » et gratissima quaeque et ingratissima praestituit praefinivitque hominibus et « ante eos » s. extra eorum potestatem collocavit (לִפְנֵיהֶם). Vulg. : « in *futurum* servantur incerta », quae verba iuncta sunt ad proximum v. 2. Et sane ibi, quam incerta sint futura omnia omni generi hominum, enumeratione nervosa ob oculos ponitur. Hunc quoque locum in prima parte tractavit Eccles., etsi ibi non post primam, sed post tertiam posuit argumentationis particulam 2,14[b] sqq. Praeclare *Hier.* verba scriptoris amplificat : « Ea, quae per se nec bona nec mala sunt, sed a sapientibus saeculi media vocantur (quia aequaliter iustis eveniunt et iniustis) simplices quosque conturbant, cur ita eveniant, et propterea non putant esse iudicium, cum omnium rerum in *futuro* discrimen sit et *hic* confusa sint omnia. Quod autem ait : *Eventus est unus omnibus, iusto et impio,* sive angustiarum sive mortis significat eventum; et idcirco nec caritatem Dei eos in se nosse nec odium. Sacrificans quoque et non sacrificans, et cetera, quae contraria enumerata sunt, *spiritualiter* accipienda secundum illud : Sacrificium Deo spiritus contribulatus (Ps. 50,19). »

Quamquam, ut in exemplo sacrificantium certe S. Doctor non hanc « spiritualem » sententiam veram germanamque verborum interpretationem dicere voluit, sic illa, quae sunt de « amore et odio » in eum modum proprie explicanda sunt, quo *eadem* verba 3,8 usurpata sunt, nec nisi per *accommodationem* aut saltem interpretationem *non necessariam* de incerto gratiae supernaturalis statu accipi debent. Sane quidem observari debet, istius accommodationis esse rationem idoneam, quatenus re vera de rerum humanarum *praedestinatione* hoc loco agitur, ad quam pertinet et iustificatio et salus aeterna hominis; praeterea eo ipso, quod Deus non discriminat in hac terra degentes, non apparet, quos amet, quos oderit (Hier. supra : « et idcirco »). Nihilo tamen minus verum est, ut et huius libri argumentum generatim et v. 2 exemplis propriis declarat, de *externa* tantum fortuna hominum quaeri ac disseri. Nam si scriptor v. 1 omni amplitudine intelligi sua verba (per se quidem generalia) voluisset, non haec sola

exempla sortis naturalis v. 2 attulisset. Immo vero *falsa* esset haec altera enuntiatio; minime enim *promiscue* (הַכֹּל כַּאֲשֶׁר לַכֹּל) Deus bonis malisque vel gratiam praedestinat vel salutem. Quae cum ita sint, illis verbis « nescit homo amorem aut odium » nihil proprie *enuntiatur*, nisi sortem futuram hac in terra ab eo ignorari, nihil *intelligitur*, nisi : in hac terra bonam malamque fortunam non ab homine, sed a Deo praefiniri. Eadem, ut dixi, sententia fuit 3,8 in verbis eisdem. Et quoniam 9,1 rationem affert (hebr. כִּי) eorum, quae 8,16. 17 dicta sunt, novum accedit argumentum, cur de terrestri et externa conditione nostra locus totus sit interpretandus. Et sane iustos et iniustos ipse Eccl. hoc loco ipse sumit *satis bene* posse internosci. Ergo theologi si *ex hoc loco* demonstrare conantur, non posse statum gratiae in hac vita cognosci (cf. Corn. *a Lapide* ad l.) ipsi viderint, quomodo verba seriemque sententiarum componant. Probandum erit incertum statum gratiae (9,1) rationem esse, cur videatur nobis nulla in mundo iustitia; sed hoc supponit, pro vero merito a Deo fortunae bona in hac terra distribui, id quod totam, opinor, argumentationem Ecclesiastae pervertit; sic enim disserit : *non* pro merito res secundas adversasque distribui, et in hoc ipso esse iustorum admirationem. Nihilominus simul, ut ex eius comm. concludere licet et in Vulg. verbo « dignus » indicatur, Hier. « spiritualem » sensum illo modo loquendi (addito etiam « tamen ») significare voluit. *Olymp.* quoque primo loco explicat : « Nescit homo, num eum, quem nunc odit, beneficum sit experturus, contra eum, quem amat, insidiatorem »; deinde addit : « Secundum *altiorem* sententiam : qui adhuc humana sapit necdum divina didicit, ignorat, quid amore, quid odio dignum sit, virtutem operosam diligendam, sensuum voluptatem odio habendam esse ».

Verba הַכֹּל לִפְנֵיהֶם = « omnia ante eos » paene omnes interpretes ita fere, ut Hier., de incerta *futuri* temporis sorte accipiunt, nec obstat, quod antecedit « homo » numero sing. At alia valde probabilis explicatio est, ut suffixum plur. referatur ad אֱלֹהִים, quae vox in hoc versu vim *praecipuam* habet et facile pluraliter, amplitudinis gratia, usurpatur; cf. ad 4,17, p. 199. Sententia erit longe aptissima : « in conspectu Dei, penes Deum, in potestate divina omnia sunt »; cf. Ios. 10,12 : « Tradidit Dominus Amorrhaeum *in conspectu* filiorum Israel »; Deut. 2,33 et 35 : « Tradidit *nobis* », atque omnino בְּיַד et לִפְנֵי inter se commutantur (v. Gesen. s. vocibus). Quae interpretatio a Tygerina, ut videtur, inventa (cf. Pin.), ex eo commendari potest, quod tam dictio hebr., quam latinum « in conspectu s. ante faciem » multo propius accedit ad hanc, quam ad illam sententiam; nemo enim sua

sponte « hoc est ante faciem tuam » accipiet ita : « hoc est *extra* potestatem tuam », minus etiam (Vulg., alii) : « hoc *posthac* accidere tibi poterit », praesertim si ante dictum est rem *ignorari ab homine* (8,17).

Additamenta. Ad v. 16 recte Zoeckl. : « Nullo vinculo haec cum superioribus, ut veteres plerosque secuti etiam Rosenm., Hitz., Hengst., Hahn statuerunt, connexa esse dicenda sunt; sed laetitiae commendatio v. 15, ut similia 2,24; 3,22; 5,17. 19, ea, quae praecedunt, apte concludit ». Ergo longius repetenda ratio est, ut identidem fecimus, cur *hoc potissimum loco huiusmodi argumentum* ponatur; quam rationem supra attulimus. LXX incipiunt eundem versum ἐν οἷς, ac si legerint בַּאֲשֶׁר, *Hier.* in comm. « quapropter » (item Syr.), *Chald.* rectius « quemadmodum s. quum »; *Olymp.* illud ἐν οἷς pro vero relativo accipiens, ante proximum ὅτι (כִּי) addit verbum cognoscendi : « reperit Sapiens nullum carere mortalium sollicitudine diurna nocturnaque ». Sed haec enuntiatio aut subiungenda est superiori : « cum considerarem laborem : nullo unquam tempore quiescere hominem », aut parenthetice separanda : « cum considerarem laborem — nunquam enim quiescit homo — »; deinde apodosis incipit a וְרָאִיתִי = « tum intellexi ». Scriptor igitur longiore circuitu verborum (usque ad v. 17 extr.) *commoti* animi sensum gravius eloquitur. Bick. constructionis difficultatem varie traiiciendo particulas horum versuum tollere studet; sed similis cernitur audacia scriptoris v. 11-14 et alibi. — Subiectum vocis עָנְיוֹ indefinitum est; *Vulg.* recte addit « homo ».

V. 17 מַעֲשֵׂה ob rationem oratoriam anticipatum ac bis positum est (in hebr.), ut facimus, cum aliquid premere et inculcare volumus, ita fere : De opere Dei, vidi ego, opus Dei cognosci a nullo posse. Nam haec omnia commotus animo et excitatus scribit Ecclesiastes, ut etiam duplex vel triplex affirmatio declarat, quae videri possit inepte usurpata, sed, quod dixit, idem bis repetit gravitatis causa; ad idem artificium oratorium pertinet repetitio in v. 1 cap. 9 (hebr.) et accumulatio verborum v. 2. Quae omnia vitiosa essent, nisi animi motum exprimerent, suntque interpreti diligenter attendenda, ut cursum orationis aequo gradu assequatur. — בְּשֶׁל אֲשֶׁר eodem v. 17 LXX, *Syr.*, *Vulg.* ita reddunt, ac si scriptum sit בְּכָל־אֲ; sed fortasse ob solam difficultatem dictionis ita verterunt; unde enim illud בְּשֶׁל esset allatum, nisi semper affuisset?

9,1 LXX verterunt : ὅτι σύμπαν τοῦτο ἔδωκα εἰς καρδίαν μου, καὶ καρδία μου σύμπαν εἶδε τοῦτο, quasi ultima legerint aliter : וְלִבִּי רָאָה pro וּלְבוֹר אֶת־. Etiam *Syr.* vertit « vidi »; sed *Chald.*, *Symm.*, *Hier.* (etiam in comm.) exprimunt « ut investigarem » vel similiter. *Gr.* et *Ren.* לָתוּר scribendum putant, quia בּוּר pro בָּרַר nusquam invenitur; sed verba ע״ך cum ע״ע aliquando videntur commutata esse, ut in forma hiph. verbi נוּחַ aliorumque cernitur, et Hier. ex Symm. refert « ut *ventilarem* ». — Verba גַּם־אַהֲ גַּם־שׂ minus apte videntur quidam a יוֹדֵעַ separare; contra communiter et veteres et recentiores. Quamquam addita in Vulg. particula oppositionis « tamen » vicissim ab iis, quae praecedunt, nimis illa discernit; sed haec particula ad Hieronymi sensum « spiritualem » spectat, ut habet in comm. : « Inveni iustorum quidem opera in manu Dei esse, *et tamen* utrum amentur a Deo, annon, nunc eos scire non posse ». At idem ante laudavit *Symm.* interpretantem : « neque amicitias neque

inimicitias scit homo », quae verba ad hominum gratiam odiumve pertinent. Atque haec, ut mihi quidem videtur, est germana sententia, quamquam etiam quidam recentiores (*Knob.*, *Vaih.*, *Hengst.*, *Zoeckl.*) verba illa ad Deum referunt. Rursum alii (*Ew.*, *Hitz.*, *Elst.*, *Del.*, *Wr.*) sic contrahunt sententiam, ut homo nescire dicatur, quem sit ipse amore prosecuturus, quem odio. At *hoc potissimum* enuntiatur : ignorari, quem quis sit amicum, quem adversarium hostemve habiturus, prorsus ut ad 3,8 est explicatum.

V. 2 primam partem LXX annexerunt ad superiora ac mire verterunt : τὰ πάντα πρὸ προσώπου αὐτῶν, ματαιότης ἐν τοῖς πᾶσι, ac si scriptum invenerint : הֶבֶל בַּאֲשֶׁר לַכֹּל, vel ex verbis non intellectis sententiam aliquam, ut poterant, expresserunt. *Syr.* quoque et *Aq.* primam vocem « vanitatem » reddiderunt, cetera minus etiam apte. *Symm.* : « Omnia coram eis incerta, propterea quod omnibus eveniunt similia »; ergo הֶבֶל non videtur legisse; sed « incerta » unde? *Hier.* in comm. illa tria verba transilit : « Et quidem caritatem et quidem odium : non est cognoscens homo omnia in facie eorum. In omnibus eventus unus »; in Vulg. sequitur Symm. Tolerabilis atque adeo optima haec videtur interpretatio : « Omnia sicut omnibus », i. e. omnia fiunt singulis sicut ceteris omnibus, omnium communes sunt fortunae. Prorsus simile est quod saepe solemus usurpare : « Omnes pro omnibus », i. e. omnes singuli ceteris omnibus opem ferre studeant, sit mutua auxilii reciprocatio et perfecta inter omnes aequalitas. Itidem Eccl. non potuit aut brevius aut melius similitudinem sortis casuumque inter mortales enuntiare, quam cum diceret : Omnia sicut omnibus. Ita fere *Zoeckl.*, *Del.*, *Wr.* explicant; alia alia tentant. — Post לַטּוֹב addiderunt וְלָרַע (= et malo) LXX, *Syr.*, item *Hier.*, sed aliter *Chald.* Aut igitur hic locum corruptum accepit, aut illi symmetriae gratia vocem de suo addiderunt. Eccl., si ita scripsit, ut legitur, censendus est *nimiam* voluisse aequalitatem in hac enumeratione vitare; ob eandem enim causam לְ et כְּ ad comparandum adhibuit et הַנִּשְׁבָּע rursum pro כְּנִשְׁבָּע posuit, quam construendi varietatem item LXX, *Syr.*, *Hier.* vitarunt, servavit Chald. Ceterum « ille qui iurat » intelligitur « qui male aut leviter iurat », ut Zach. 5,3 (cf. Matth. 5,34); ita recte paene omnes veteres recentioresque vocem interpretantur, etsi hic quoque ordinis aequalitas requirebat, ut vitium *altero* comparationis loco poneretur; sed ut 3,8, sic hic scriptor maluit boni mentione enumerationem *concludere*.

De illo studio Sapientis, quo se his versibus dicit occupatum, praeclare Hier. : « Qui quaerit causas rationesque rerum, quare hoc vel illud factum sit, et quare mundus variis gubernetur eventibus : cur alius caecus et debilis, alius videns nascatur et sanus : hic paupertatem habeat, ille divitias : iste sit nobilis, ille inglorius — nihil aliud proficit, nisi in sua tantum quaestione torqueri et disputationem pro tormento habere nec tamen invenire, quod quaerit. Et cum haec dixerit se cognovisse, tunc *ignorationis* habere principium et in profundo errore versari. Subostendit tamen *esse* causas rerum omnium et iustitiam, quare unumquodque sic fiat, sed in occulto eas latere et non posse ab hominibus comprehendi ». De eodem argumento a Lap. quaestionem hanc ponit solvitque : « Dices : Deus Lev. 26 et alibi saepe promittit Hebraeis eventus prosperos, puta victoriam, pacem, copiam frugum, si legem suam servent sintque pii; sin eam violent sintque impii, minatur eis bellum, famem, pestem omneque malum; ac utrumque, uti promisit, ita reipsa eis praestitit. Quomodo ergo *unus est eventus iusto et impio?* — Resp. primo : pro « eventus » hebr. est מִקְרֶה, i. e. accidens, occursus, eventus. Iam per accidens intellige id quod *communiter* ac-

cidit, qualis est mors, morbus, fames, sitis, frigus, aestus etc.; haec enim tam piis accidunt quam impiis... Resp. secundo : illa promissa Hebraeis facta Lev. 26 et alibi spectant non tam singulos seorsim, quam *totum populi coetum*, ut si is coleret Deum, non idola, eiusque leges servaret, Deus daret ei pacem et rerum abundantiam; si eas violaret coleretque idola, puniret eum peste, fame et bello... Resp. tertio, *saepe* Deus in lege veteri piis separatim prospera, ut fruges et opes in praemium pietatis largiebatur, eadem impiis negabat. At non semper, sed prospera impiis, adversa piis immittebat..., quia tum *maioribus* bonis patientiae, martyrii et gloriae aeternae eos cumulabat. » Sic est omnino; nam leges communes naturae, mala e peccato primo oriunda, mortalitatem potissimum, quam toties Eccles. ut summam vanitatem deplorat, ea, inquam, Deus non tollit piorum gratia, sed in ceteris rebus singulari eis adest providentia, ut aut eximantur calamitatibus aut hae ipsae « diligentibus Deum cooperentur in bonum » (Rom. 8,28). Vicissim malos saepe insigniter castigat, ut aut ipsi corrigantur aut alii a scelere absterreantur; quodsi eis bona largitur nec illi tamen emendantur : « receperunt mercedem suam » pro quibusdam honeste factis (Matth. 6), quibus aeternum praemium non possit attribui. Praeter cetera autem hoc consilio Deus in hac terra promiscue habet bonos malosque, ut *probentur* universi, « revelenturque e multis cordibus cogitationes » (Luc. 2,35). Quo experimento ne quid mali capiat sapiens, hoc contendit atque annititur Eccl., nec quidquam in hoc libro scribendo videtur habuisse antiquius. Nihilominus fit, ut Deus nunc iam praecipiat iudicium futurum, maximeque in populorum regnorumque fatis nonnumquam apparet, esse aliquem supremum vindicem malorum.

Iuvat hic quoque notare idem, quod supra ad 8,12 sqq., nihil gravius enuntiari ab Eccl. quam praemium certum virtutis *in huius vitae bonis* collocatum non esse, sed *promiscue* bonis ac malis prospera aut calamitosa proposita esse, veram autem in *futuro iudicio* attributum iri pro merito boni operis mercedem. Atque adeo ita evidens esse dicit nihil hic in terra habere praecipuum iustos, ut haec ipsa res maximam in vitam humanam inducat stultitiam et miseriam, cum mali tanto audacius peccent, quanto sint securiores. Apte igitur adduntur reliqua a 9,3.

d) Omni vana cupiditate liber, fruere vita 9, 3-12.

9,3 « *Hoc est pessimum inter omnia, quae sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt; unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post haec ad inferos deducentur* »; v. 4 « *Nemo est, qui semper vivat, et qui huius rei habeat fiduciam; melior est canis vivus leone mortuo* » (hebr. : Quisquis enim in aliquo est genere viventium, habet quo confidat...); v. 5 « *Viventes enim sciunt, se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ullam mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum* »; v. 6 « *Amor quoque, et odium, et invidia simul perierunt, nec habent partem in hoc saeculo* (hebr. : in perpetuum) *et in opere, quod sub sole geritur* »; v. 7 « *Vade ergo et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua* »; v. 8 « *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat* »; v. 9 « *Perfruere vita cum uxore, quam diligis,*

cunctis diebus vitae instabilitatis tuae, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuae; haec est enim pars in vita, et in labore tuo, quo laboras sub sole »; v. 10 « *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas* »; v. 11 « *Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus casusque in omnibus* »; v. 12 « *Nescit homo finem suum, sed, sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit* ».

Ut fert rerum ordo c. 2 tractatarum, *cetera* nunc hominum studia vana Eccles. ad eam normam, quam proposuit, diiudicat : Non minus luxuriosis ambitiosisque, quam sapientiae studiosis fines certos Deum praestituisse; quos si cupiditate ducti transire voluerint, in vanum recidere conatus omnes. Tempus enim, inquit, et casus (*Deo* dirigente) dominantur in homines. Sed haec studia vana iam non singulatim, sed coniunctim tractantur, usque dum separatim agetur, ob rei gravitatem, de indignantibus (10,4 sqq.). Ergo viliora hic et sordidiora prius studia voluptatis et magnificentiae (de quibus in *prima* libri parte 2,1-11) et invidiae, avaritiae, morositatis (de quibus in *secunda* parte 4,1-16) simul comprehenduntur. In his omnis « malitia et insania » (9,3), « amor, odium, invidia » (v. 6) eorum hominum, qui cupiditate viliore ducuntur, contineri censenda sunt; ut uno verbo dicam, prudentia mundana Dei voluntati contraria, cuius exempla ponuntur v. 11, castigatur. Quamquam igitur non ita distincte singula studia mundana hic resumuntur, tamen satis ea, quae comparavi, inter se respondent; prorsus autem congruunt ad res prima et secunda parte tractatas ea, quae modo de sapientia disputata sunt (8,16-9,2) et quae posthac (10,4 sqq.) de indignatione iustorum disserentur. Expedit autem in huiusmodi repetitione *modum ordinemque variari*. Quapropter clarius iam elucet, opinor, nec est dubitandum, quin Eccles. hac tertia libri parte priores duas breviter comprehensas repetere et quasi ultimo conatu inculcare voluerit. Alia etiam huius rei argumenta ipsa versuum enarratione fient manifesta.

V. 3 Eccl. graviter incipit : « Hoc malum est inter omnia... », qua inductione sollemni (etsi non est superlative dictum hebr. הָרַע בְּכֹל) significatur, quod bene in Vulg. dicitur *pessimum*, i. e. malum insigne (cf. Abd. 2); intelligitur id, quod in altera parte versus describitur appellaturque « insania », i. e. vitium sapientiae contrarium eorum, qui bona huius saeculi consectantur, cf. de « insania » 1,17; 2,2;

2,12. Aequiparari etiam potest stultitiae et levitati ; nam ille sapiens 9,2 saltem *attendebat* ad rerum fluxarum vanitatem ac dolebat, hi alteri eam vel negligunt vel contemnunt (Hier. pro « insania » posuit « contemptum », in comm. « procacitatem » explicat), et cupiditatibus omnibus se dedunt, ut illa declarant : Casus idem accidit omnibus et insuper, i. e. addentes vanitati vanitatem (גַּם) implentur omni malitia et vesania omni tempore. *Licet* hebr. etiam magis perspicue reddere : « Cum sit (כִּי) casus unus... insuper (וְגַם) implentur », ut prius incisum subiunctum sit, non adiunctum. Certe quidem ita secundum *sententiam* connectenda sunt, aut illud prius esset ad superiorem disputationem trahendum, ut factum est ab *Olymp*. Pro « insuper » s. « simul » quod Vulg. substituit « unde », addit etiam, e quo fonte manet insania. Sed illi levitati studioque mundano nullum argumentum firmius opponi potest, quam mortis necessitas; cf. 2,18 sqq. (ubi de iis, qui opes regias congregant magnaque opera perficiunt), 5,14. 15 (de avaris), 6,6 (de rege illo stulto). Itaque hoc loco, quem explicamus, stultorum levitati subito et (in hebr.) abrupte obiicitur : « Et post haec (אַחֲרָיו, pronomen neutraliter accipio cf. supra p. 230) — ad *inferos* ».

Quae deinde sequuntur, ad idem argumentum amplificandum spectant : quam penitus intereant huiusmodi hominibus, quando moriantur, bona omnia. Nam, ut dixi, *mundani* s. caducarum rerum amatores hoc toto loco reprehenduntur, qui nihil appetant, quod possit ad alteram vitam permanere; quorum prudentia obitu ipsorum prorsus in nihilum occidit. Hoc ipsum significat ea, quae subiungitur, mortuorum descriptio, quae *non* cadit omnino in pios vereque sapientes, nec alio spectat, quam ut vanitas studiorum mundanorum ex sola mortis necessitate demonstretur. Ne illud quidem huius loci est, poenam futurae vitae, male factis propositam, ostendere. Itaque quaeri non oportet, sitne mortuorum descriptio *omni ex parte* veritati consentanea, sed ex illa tantum, quam diximus ad argumenti rationem quadrare. Quod quia negligitur, et alibi et hic multa perturbantur. Dicit autem Eccles. vv. 4-6 quamlibet vitam etiam vilissimam meliorem esse morte, qua omnis exstinguatur scientia, remuneratio, memoria, studiaque omnia. Quae ita demum vere asseruntur, si in rebus mundanis omne bonum omnisque vita beata ponitur; sed id illi re vera faciunt, qui reprehenduntur, qui mortui optarent certe quasi « canis » vitam, i. e. vel miserrimam, et quodammodo inviderent vivis, quod « sciant se morituros », i. e. quod *futuram* prospectent mortem atque interim vita, tanto fortasse avidius, perfruantur. Ipsi enim quod nihil tale « sciunt » (ironia est!), miseriores sunt vivis etiam mi-

serrimis; nihil enim amplius habent boni s. mercedis (de hac voce cf. Gen. 15,1), quia nec homo ullus nec Deus eorum recordatur, ut iis bene faciat.

Quinimmo studia omnia iporum (v. 6) pridem (hebr. כְּבָר, Vulg. « simul ») interierunt; neque enim amplius « portionem » suam, i. e. bona illa, quae sola quaesierunt, sperare possunt in perpetuum, expertes iam « rerum earum, quae sub sole fiunt » et appetuntur. Haec omnia praeclare dici patet, si, quo tendat totus hic locus, recte perspicitur. Simul apparet recte nos supra statuisse, hac parte de eo genere hominum agi, qui vilioribus abrepti studiis penitus mersi sint rebus mundanis.

V. 3. « Malum pessimum » non spectat ad verba, quae proxime sequuntur, sed ad posteriora (« implentur animi mortalium »), in quibus proprie vertitur non huius tantum versus, sed ceterorum (usque ad sextum inclusum) sententia; aut illa prima verba pro clausula superiorum versuum habenda sunt, quia ab « implentur... » argumentum *novum* proponitur. Singulare est, quod *Mot.* pro malitia *tristitiam* ac desperationem interpretatur, in quam facile incurrunt qui vident, inter bonos malosque non esse discrimen manifestum. Optime sic quidem intelligeretur, quare huiusmodi hominum desperatio insania vocaretur; sed refutatio, quae sequitur : aliquid esse tamen boni etiam in vita miserrima — haec futilis esset; deinde insania potius de stultitia cupidorum, ut ceteris locis (1,17; 2,2; 2,12) explicanda est, et certe ex 8,11^{b} hic quoque versus est interpretandus et רָע malitia intelligenda. Ex eodem versu ratio peti potest iungendi בִּלְבָבָם cum מָלֵא, ut ibi additum est בָּהֶם; quod si fit, recte se habet accentus coniunctivus in רָע, qui in multis mss. inveniri dicitur; quem iungendi modum Hier. quoque, a Symmacho mutuatus, sequitur in Vulg. : « implentur malitia et contemptu », in comm. etiam expressit « iuxta cor eorum ». Ceteri veteres et plerique recentiores aliter iungunt : et insania *est* in cordibus eorum.

V. 4 quidam recentiores יְחֻבַּר (quod est in *Keri*) amplexi sic intelligunt : consociatur cum vivis. Scriptio hebr. (Ketib), commutatis mediis litteris, hanc sententiam exhibet : eligitur ad vivos. Prius paullo facilius explicatur. Quod sequitur כָּל־, si explicatur « quilibet, cuiuscunque generis sunt » (cf. Lev. 19,23; Neh. 13,16), aptior exsistit sententia, quam quae est in Vulg.; nam mire diceretur : « omnibus consociari viventibus » pro : « semper vivere ». Porro particula copulativa ante « qui huius rei... » abest in hebr. Quare LXX et ipse Hier. in comm. ista verba ad alterum incisum referunt : τίς ὃς κοινωνεῖ πρὸς πάντας τοὺς ζῶντας; ἔστιν ἐλπὶς ὅτι ὁ κύων... Vulg. prorsus exprimit Symmachi interpretationem prioris incisi : τίς γὰρ εἰς ἀεὶ διατελέσει ζῶν; cf. Hier. comm. — לְכֶלֶב recte Hier., ut LXX, pro subiecto anticipato accepit (quod attinet ad canem vivum, melior hic est), nec explicari debet : cani vivo melius est (obstat הוּא). — V. 6 non bene לְעוֹלָם versum est « in hoc saeculo » (cf. ad 3,11 p. 164).

De sententia universa huius loci plurimi non apte iudicant, quia non perspexerunt, quibus haec dicerentur, nempe iis, qui spem omnem ponunt in rebus mundanis, nec de vita aeterna essent solliciti, si possent semper in terra vivere. His, non

aliis, occurrens Eccles. ostendit, quid tandem post mortem mansurum sit istius studii, istarum rerum. Occident prorsus et exstinguentur, quia qui a mundo erunt avulsi, iis mundana non erunt amplius in promptu. Nihil aliud demonstraturus est, in hoc uno sistit descriptio mortuorum. Quare ad eam tuendam non est necesse dicere, ut fecit *Thaum.*, alienam hic stultorum de mortuis opinionem referri; nullum enim indicium est, quo id probetur. Nec ea explicatione opus est, quam adhibet in comm. *Hier.* : « Quia supra dixerat, cor filiorum hominum impleri malitia et procacitate et post haec omnia morte finiri : nunc eadem complet et repetit, donec vivunt homines, posse eos iustos fieri, post mortem vero nullam *boni operis* dari occasionem ». Certe male quadraret v. 11, omninoque aliter scripsisset Eccles., id si voluisset dicere. *Mot.* quoque, quem supra attulimus, eo videtur adductus esse, ut singularem proponeret interpretationem, ne videretur vita futura inepte describi.

Del. prorsus falsa dicit. « Scriptor », inquit « cum aliis locis (4,2 sq.; 7,1) mortem atque animi exstinctionem vitae praetulerit, hic secum ipse pugnare videtur; sed ibi vitae plerumque miserae veras calamitates maestus considerat, at hoc loco eam per se velut bonum omnem afferens fruendi facultatem describit. Sed ut est animo comparatus, mediam viam inter maestitiam et laetitiam reperire non potest. Quamquam enim praemia futura prospectat, tamen talem fingit vitam alteram, ut in tristi Orci cogitatione inhaerescat ». At nec illud vere dicitur, Eccl. aliis locis « mortem animique exstinctionem vitae praeferre », nec hic de aeternitate aut falso aut obscure loquitur; sed quibus quidque et de quibus dicatur, attendendum est, ut quae sit proprie scriptoris sententia, eruatur. — Nulla nobis cum Ren. contentio esse potest, qui quidem neget, Ecclesiasten « ullam habuisse vitae futurae notionem eamque opinionem omnium fuisse Iudaeorum erudite sentientium communem ».

Sequitur boni optimi commendatio, similis illi, quam vidimus 8,15. Quod Deus pridem, inquit, concessit in hac terra bonum, id in moderato usu rerum terrestrium positum est (v. 7), et in laetitia prudenter temperata (v. 8), et in amicitia ac pace familiari (v. 9). Bis ponitur v. 9 « omnibus diebus vanitatis tuae », tum ne quis existimet in his bonum *genere ipso* optimum positum esse — omnia enim mundana vana — tum ne quis putet, *aliud* bonum externum a Deo viventibus in hac terra esse attributum. *Chald.*, *Syr.* ea verba semel omiserunt, *Hier.* servavit; item LXX B C S, Ar., Syr.-hex., Aq., etsi non prorsus eodem modo (cf. Nestle et Field). Solum igitur *hoc* bonum mundanum Dei congruit voluntati, quamvis sit ipsum quoque vanum et caducum, nec careat multis magnisque molestiis (v. 9 extr.). Consistit autem, ut saepe dixi, in moderatione omnium cupiditatum, animi pace, vitae tranquillitate ab omni aviditate ac perturbatione vitiorum remotae; cibi enim usus ac similia symbola sunt temperantiae, modestiae, denique « aureae mediocritatis ». Ita fit, ut protenus addatur cohortatio ad strenue laborandum (v. 10); nam illa mediocritas tantum distat ab inertia atque desidia, quantum a studiis pravis atque perversis. Immo vero vir sapiens cumprimis intelligit « operari oportere nos, donec dies sit, quia nox instet, quando nemo possit operari »

(Ioann. 9,4); atque hoc est, quod scriptor (v. 10) graviter enuntiat; cui si vitio verteris (ut multi faciunt), quod in mortuis nec « actionem » esse dicat nec « sapientiam » atque ita porro, profecto iniquissime et falsissime iudicaveris; sed ad hoc nihil attinet amplius respondere.

Sed *quo animo* et fruendum esset et laborandum, censuit rursum esse declarandum, ne quis vitae normam supremam negligeret. Quae Dei voluntas est, hominem in humillima quadam conditione detinentis et praedestinatione sua intra fines mediocritatis constringentis. Qui laborum studiorumque felicem exitum atque eventum ipse praefinit idque (saepe) *non* pro contentione aut merito mortalium; idem praeterea moriendi horam modumve ab eorum oculis abscondit. Premendae sunt in vv. 11 et 12 voces : *tempus*, *casus* (sors), *finem* (hebr. : tempus) et rursum *tempus*, simul attendendum, quo verborum tanta copia in vv. 10-12 pertineat. Atque ita haec pars disputationis ab Eccl. egregie absolvitur.

In v. 7 quaeritur, quid sint « opera » sive (ut licet vertere secundum 1 Sam. 19,4) « opus ». Sunt qui pietatem et honestatem intelligant, cui Deus pro mercede potestatem faciat fruendi bonis externis : ita Chaldaeum secuti Ginsb., Zoeckl., alii. Plurimi ipsam edendi bibendique actionem eo nomine appellari putant, quod quidem multo est aptius; *pridem* enim (כְּבָר, cui bene additur accentus graviter distinctivus sakeph; LXX minus bene ἤδη; in Vulg. omissa vox est), pridem igitur, i. e. ipsa constitutione mundi legumque mundanarum hoc ipsum Deus statuit, ut homo moderate frueretur bonis terrestribus, potius quam alia multa invito Deo appeteret. Sed si comparamus 3,22, apparet, opinor, מַעֲשֶׂיךָ potius intelligendum esse « opus *tuum*, i. e. tibi proprie mandatum tibique solum incumbens. Nam quotiescunque Eccles. hortatur ad cibum potumque usurpandum, id eo consilio facit, ut a studiis *alienis* ac vetitis vel a cura ac moerore vitioso deterreat, utque hominem in *suum* quodammodo gyrum compellat, extra quem omnia recidant, Deo contra agente, in vanum. Ergo sic intellige : « Ede et bibe : hoc est opus tuum Deo pridem acceptum ». Ita fit, ut asyndetice adiungi possit v. 10 admonitio strenue agendi; non enim hoc contrarium est, sed prorsus adiunctum atque finitimum, id quod tum maxime cernitur, si attenditur accentus masor. distinctivus post בְּכֹחֲךָ : « quod agere potes pro viribus tuis », i. e. prout tua conditio, a Deo praefinita, tulerit (LXX ὡς ἡ δυναμίς σου; Vulg. aliter iungit : instanter operare). Sed magis etiam v. 11 declarat, quae sit germana totius loci interpretatio. Nam ibi vicissim laboris moderatio praescribitur; frustra enim, inquit, curras, nisi Deo favente, frustra fortiter agas, frustra aut panem quaeras aut opes sectere aut gratiam aucupere : *tempus et casus* (c. 3) pro Dei dis-

positione omnia regunt. Nihil autem gravius urget ad cupiditatum moderationem, quam mors in dies horasque singulas imminens (v. 12), quo argumento vel ethnicus poeta ad coercendam avaritiam utitur (Hor. Od. III. 1 et alias saepe). Eccl., quia identidem similiter argumentatur, ideo dicit (v. 11) שַׁבְתִּי וְרָאָה, i. e. redii in eandem contemplationem atque cognitionem; cavendum est autem, ne « aliud » in Vulg. (ib.) de novo ac prorsus diverso argumento accipiatur.

Ergo optime se habet illa ad edendum bibendumque cohortatio omnique suspicione voluptariae vilitatis vacat. Nihilominus *Olymp.* « literali » sententiae « mysticam » saltem addendam censuit, panem et vinum virtutes interpretans, quibus animus alitur. *Thaum.* suo more alienam inducit personam illa loquentem : ταῦτα μὲν οἱ μάταιοι. Ipse *Hier.* hoc loco eandem explicandi rationem sequitur : « Nunc quasi errorem humanum et consuetudinem, qua se ad fruenda huius saeculi bona invicem hortantur, inducit et προσωποποιΐαν facit more rhetorum et poetarum : O homo, quia ergo post mortem nihil es et mors ipsa nihil est, audi consilium meum et, dum vivis in hac brevi vita, fruere voluptate, utere dapibus, vino curas opprime, et intellige, quoniam a Deo tibi donata sunt ad utendum ». Postea « spiritualiter » singula enarrat. Hanc alteram viam inire maluit paullo ante 8,15, etsi ad literam dicebat interpretari licere. Idem ad 5,17 secundo loco spiritualem explicationem proposuerat, priore verius ita disseruerat : « Ad *comparationem* eius, qui opibus suis in curarum tenebris vescitur, et cum grandi vitae taedio peritura comportat, meliorem dicit esse eum, qui praesentibus utitur ». Hic demum verum quasi acu tetigit : *comparate* enim omnia dicuntur, via demonstratur ab *extremis* erroribus reducta, denique nihil aliud nisi *moderatio* suadetur. Hoc loco scriptor ab affectibus malis studiisque inanibus, cuiusmodi posuit vv. 3. 6. 11, revocatos iubet in quadam mediocritate et frugalitate se continere; nec vero eis omni voluptate interdicit, immo vero etiam paulo lautiorem (v. 8) concedit, dummodo a vitiis declinent. *Comparate* item intelligendi sunt (ut supra 4-6 et hic 10[b]) nominatim vv. 11 et 12, ne fati notio inducatur; iis enim, qui vitiose appetunt plurima et in media perturbatione versantur *studiorum mundanorum* (quae quasi suis coloribus picta v. 11 ob oculos ponuntur), iis, inquam, salutaris est huiusmodi admonitio. — Illas superiores explicationes bene *Pin.* a naturali verborum interpretatione semovens ait : « *Allegoricum* est, quod de convivio Christi corporis et sanguinis ex graeco Cyr. Hieros. catech. 4, Olymp. hoc loco, atque indicat Hier. et sequuntur Albin. et posteriores Latini ». Nec sane minus licuit Chaldaeo *anagogica* uti interpretatione de aeterna mercede bonorum operum : « Dicet Dominus singulis iustis : vade, gusta in laetitia panem tuum, quem dedisti pauperi et humili esurientibus ».

e) Veram sectare sapientiam 9, 13-10, 3.

9,13 « *Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam* » : v. 14 « *Civitas parva, et pauci in ea viri; venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio* »; v. 15 « *Inventusque in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est illius pauperis* » (hebr., ut videtur : nec quisquam *erat* recorda-

tus.); v. 16 « *Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine; quomodo ergo sapientia pauperis contemta est, et verba eius non sunt audita?* v. 17 « *Verba sapientium audiuntur in silentio plus quam clamor principis inter stultos* » (de hebr. infra); v. 18 « *Melior est sapientia, quam arma bellica; et qui in uno peccaverit, multa bona perdet* ».

10,1 « *Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia et gloria, parva et ad tempus stultitia* »; v. 2 « *Cor sapientis in dextera eius, et cor stulti in sinistra illius* »; v. 3 « *Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat* ».

Additur verae sapientiae laus pulcherrima ut 2,13 sq. (et 7,19 sq.), ubi item antecessit studiorum mundanorum explicatio ac reprehensio.

V. 13 גַּם non ad unum vocabulum referendum censeo, sed ad totam sententiam; non enim hic novum sapientiae genus ostenditur, sed stultitiae sapientia vera opponitur, et illa particula *progressus* disputationis designatur (« porro », « atque »). Ipsum demonstrativum, ut recte sensit Hier., genere conformatum est cum nomine praedicati, etsi per se neutraliter significet id, quod exemplo demonstratur, in hunc modum : hoc verae sapientiae fuit, quod quidam praestitit... (LXX τοῦτο εἶδον σοφίαν). Ipsum exemplum allegoria est, qua describitur, quemadmodum Deus circumvallet et quasi obsideat humanam civitatem, i. e. genus mortalium. Allegoriam dico, non quod evidens sit argumentum, non esse hoc exemplum historiae, sed, si ita est, nihil ad id attinet respicere : vis tota exempli est in accommodatione allegorica (ut solet in parabolis evangelii). Quemadmodum vv. 11 et 12 Deus proponitur « temporis » determinatione coercere « currentes, pugnantes, ratiocinantes... » et mortis necessitate « illaqueare » universos, ita nunc dicitur obsidione premere et impugnare. Eadem fere imago est, quam ab initio libri vidimus, itemque cap. 3; Deus enim ineluctabili quadem necessitate legum naturalium et providentiae vel dispositione vel permissione arctissime circumcludit constringitque mortales, ut videantur perpetua eius oppugnatione vexari. Quod autem omnibus simul, idem separatim singulis hominibus usu venit. Sed hic pulchre additur, unam eis relinqui sui liberandi viam, quam illa ipsa *sapientia* ostendit, quae toto libro commendatur atque laudatur : humilitas modestiaque studiorum omnium. Sic demum tota disputatio cohaeret; alioquin *frustra* quaeras, quid post superiorem gravissimam de morte tractationem (9,3-12) haec sibi velit humana prudentia, qua homunculus aliquis pauper et vilis urbem obsessam liberarit. Nam etiamsi orationis contextum v. 13 omnino intercidi dixeris et rem dis-

paratam annecti, tamen ita hiulca fit *tota disputatio,* ut turpe sit in quolibet scriptore hunc in modum diversa diversis assuere. Etiam vv. 15 et 16 mihi videntur satis significare allegoriam. Si enim de vera urbis cuiuspiam oppugnatione ageretnr, non puto omissurum fuisse scriptorem, liberandae civitatis *rationem* aliquo vocabulo indicare, nec dicturum fuisse : « Rex *invenit* in ea hominem sapientem » (quare et veteres interpretes et recentiores plerique vertunt : « inventus est s. invenerunt », quod est satis durum; nemo post מֶלֶךְ de subiecto indefinito sua sponte cogitaret); nec questurum fuisse arbitror, quod *non* audiretur verbum sapientis; certe enim *audito* consilio illius hominis urbem servatam esse existimabimus. Quae difficultates allegorica interpretatione omnino tolluntur. Ipsa enim sapientia per sese sine opere alio ex illa obsidione liberat, et revera invenit Deus, civitatem oppugnatam quasi perambulans, illum sapientem, qui optime dicitur pauper, quoniam in humilitate fere nititur vera sapientia; item verissimum est humilem sapientiam audientiam sibi raro facere. Nec obstat, quod dicitur ille unus *urbem* liberare; id enim non necessario (in allegorica interpretatione) aliorum civium liberationem complectitur, quia, ut totum genus humanum, ita etiam singuli homines urbi a Deo oppugnatae comparari possunt; illud « pauci in ea viri » licet ad meram expolitionem allegoriae referre, quia solent quaedam minuta addi a poetis ob solam imaginis pulchritudinem. Et sane clarius, quid valeat sapientia, elucet eo quod parvam civitatem et paucos viros rex magnus maximo apparatu non superavit. *Magis* autem *proprie* (iam v. 14) ea vox intelligitur quasi de *domo* sapientis, qui se suosque, i. e. *suam* urbem obsidione solvit; ceteri, i. e. stulti non liberantur, quia eius consilium exemplumque non sequuntur.

Redeamus ad versus singulos. V. 14 civitas parva dicitur et paucorum hominum, quia intelligitur domicilium paucorum sapientium, qui omnes sapientia liberentur, vel potius unius sapientis, qui sibi suisque necessariis saluti sit. Eam civitatem s. domum oppugnat rex magnus, i. e. Deus infinitis partibus potentior. Notandum est autem Deum indirecte, non directe designari in eum modum, quo 8,2 sqq. explicavimus (p. 261); non enim proprie, sed parabolice, ut « civitas », sic « rex » dicitur, quemadmodum in parabola evangelica de regis convivio (Matth. 22,2 sqq.). Ultima pars v. 14 in Vulg. paullum exornata est, sed ad sententiam apposite; hebr. : exstruxitque contra eam altas machinationes. Deinde quod versum est « nullus *deinceps* » ostendit, interpretem velle citam beneficii oblivionem significare; sed dubito an locus aliter accipiendus sit. Nam illud « deinceps » non est in hebr., nec solet fieri, ut tanti beneficii nemo prorsus (אָדָם לֹא) memo-

riam gratam retineat; multo enim aliter et rectius v. 16 affirmatur *generatim,* sapientiam solere contemni. Quae cum ita sint, sic explico : fuerat autem prorsus ignotus ille homo, nemo, quanta esset prudentia, suspicabatur, praeter omnium opinionem civitatem liberavit (וַיְמַלֵּט imperfecto vel potius plusquamperfecto Latinorum, non perfecto respondet).

Nunc generatim commendatur sapientia (vv. 17. 18). Potest autem v. 17 secundum hebr. ita intelligi : Sapientium oratio per quietem audita praestat clamori principis in corona stultorum, i. e. verba prudentium, quae ad aures accidant cum quiete (i. e. sine strepitu verborum proposita), plus *valere,* pluris esse censeo clamore... (בְּיִן = טוֹב בִּין cf. 4. 17). Quod paullo aptius videtur, quam quae Hier., secutus LXX, vertit atque ita enarrat : « Quemcunque videris in ecclesia declamatorem et cum quodam lenocinio ac venustate verborum excitare plausus, risus excutere, audientes in affectus laetitiae concitare : scito signum esse insipientiae, tam eius qui loquitur, quam eorum qui audiunt. Verba quippe sapientium in quiete et moderato audiuntur silentio; qui vero insipiens est, quamvis sit potens et clamorem sive suae vocis sive populi habeat acclamantis, inter insipientes computabitur ». Non tam de audientium quam de loquentium clamore agi consentaneum est, idque extremis verbis ipse indicat Hier. (« suae vocis »).

Porro v. 18-10,3 comparatio *stultitiae,* prorsus ut 2,12 sqq., adhibetur, et quidem illi contemptae sapientiae exigua aliqua stultitia opponitur, atque illius maximae utilitati huius effectus perniciosus. Vertit autem *Hier.* alteram partem v. 18 in comm. : *Peccans unus* perdet bonitatem multam », sed addit : « Quia vero in hebraeo potest legi : *Et qui peccat unum...* (cf. Vulg.) etiam sic sentiendum est : quod propter unum peccatum multae iustitiae retro pereant, et invicem se virtutes sequi, et qui unam habuerit, habere omnes, et qui in uno peccaverit, eum omnibus vitiis subiacere ». Sed si *verti* illo modo potest, tamen *explicatio* non satis convenit ad ea, quae sequuntur, et ad comparationem illius sapientis, in quo de omnium possessione *virtutum* minime agitur. LXX, Chald. : « peccator unus ». Syrus legisse חַטָּא videtur, quia vertit : « Unum peccatum perdet bona multa »; idem habent aliquot mss.; cf. ad sententiam 1 Cor. 5,6 : « Modicum fermentum totam massam corrumpit ».

Initium capitis 10 parum apte seiunctum esse a cap. 9 evidens est. Pergit enim Eccles. similitudine demonstrare, quanta pestis sit vel *exigua* stultitia. Muscae enim « mortis » (quod alii cum Vulg. reddunt :

morientes, alii cum LXX : mortiferae, venenatae = θανατοῦσαι), bestiolae igitur huiusmodi in unguenta delapsae vel ipsis cadaveribus suis putrefactis vel veneno allato « putescere et ebullire faciunt oleum » (hebr.), vitiant fermentantque unguentum. De qua re bene *Hier.* : « Exemplum superioris sensus dedit [Eccles.], in quo ait per unum stultum multa bona posse subverti, quod sic malus mistus bonis contaminet plurimos, quomodo muscae si moriantur in unguento, perdant et odorem illius et colorem ». Alteram partem versus *Vulg.*, *Syr.*, *Chald.* sic reddunt, ut paullum *laudabilis* stultitiae, si suo et loco et tempore usurpetur, praestet *falsae* sapientiae et gloriae (in Vulg. intellige : sapientia = quam sap.). Hier. igitur in commentario stultitiam interpretatur simplicitatem iustorum. Sed mirum est, sapientiae et stultitiae notionem ita repente inter se commutari, nulla addita voce huiusmodi : « ad tempus », « vera », « falsa »... Quare recentiores vim verbi propriam et antiquam, quae ex *chald.*, *syr.*, *arab.* cognoscitur, repetentes vertunt : « gravius s. ponderosius est paullum insipientiae, quam sapientia et gloria », i. e. haec insignia hominis bona una aliqua stulta actione s. uno animi vitio periclitantur, quemadmodum una bestiola depravatur oleum optimum. Quod apprime loco accommodatum est; idemque scriptor fusius explanat vv. 2 et 3. Nam ut sapientis, inquit, animus dextrorsum, i. e. ad bona omnia conversus (LXX εἰς, hebr. לְ), ita cogitatio stulti sinistrorsum, i. e. ad malum semper distorta est. Atque adeo in via aperta cum ambulat iste stultus (כְּשֶׁהַסָּכָל הֹלֵךְ, ketib), « deficit cor eius » (hebr.; in Vulg. omissum); nam, ut v. 15 dicetur, nesciunt stulti vel ipsa via regia « in urbem pergere ». Clausula versus a quibusdam vertitur : « Et dicit omnibus se stultum esse »; sed minus habet singulare, quod est in Vulg. (i. e. ad verbum ex hebr. : De quolibet pronuntiat : fatuus hic) et de constructione verborum hebr. (לְ = de) cf. Gen. 20,13 et supra 2,2.

A v. 14 rem veram describi multi existimant inquiruntque, quandonam atque ubi eam factam dicant; *Wr.* etiam « peccatorem » v. 18 esse adversarium certum certae cuiusdam civitatis putat. Sed plures recte fictum esse ad sapientiae laudem exemplum existimant, ut *Pin.* : « Ergo dicamus parabolam, sed vero similiter excogitatam et opportunissime, ad significandam sapientiae dignitatem et vim prae armis et omni externo bellico apparatu; nam Syrorum et Palaestinorum id proprium et familiare fuit, quod scribit Hier., ad omnem sermonem suum parabolas iungere ». Itaque LXX coniunctivis utuntur : ἔλθῃ βασιλεύς, κυκλώσῃ, εὕρῃ ἐν αὐτῇ, διασώσῃ αὐτὸς τὴν πόλιν, *Hier.* autem : « *Crebro evenit*, ut parva sit civitas... ». At *Deum* regis similitudine designari vix quisquam dixit. Apud Hier. « Hebraeus » ille civitatem explicavit hominem, qui etiam apud philosophos minor mundus

vocetur, regem autem *diabolum*, qui in eam irrumpere conetur. Nec multo aliter *Olymp.*, qui civitatem Ecclesiam interpretatur. Inter recentiores *Hengst.* civitatem intellexit Israel; melius *Wangemann* vitam cuiusque hominis, *quae obsideatur morte et iudicio Domini. Midr.* denique : « Parva civitas », haec est *mundus*, pauci in ea viri genus est Enos et eorum, qui diluvium viderunt; in eos invasit rex magnus, qui est *Deus Omnipotens*, exstruens munitiones in circuitu ». Atque haec, omissa illa temporis designatione, vera sententia est, opinor. Frustra enim laborant, ut, quo mundana illa civilisque sapientia pertineat, explicent; *aliam* enim prorsus severa mortis cogitatione Eccles. commendavit sapientiam (paullo ante), estque subridiculum in tantae gravitatis libro, quantae hic est, longo verborum circuitu explicari, esse aliquando urbem nescio quam unius hominis nescio cuius consilio liberatam, tacito etiam liberationis modo ac ratione! Quo quid fingi potest tritius? Nec vero ulla ad rem grandem, unde illi exemplo gravitas accedere possit, accommodatio additur. Nam quid attinet dici : in obsidione aliqua.similive causa *civili* adhibendam esse prudentiam? Haeccine doctrina Spiritu S. digna est? Itaque prorsus censeo illum intelligi regem, qui paullo ante, v. 11, regere significatur res omnes humanas et v. 12 בְּמִצוֹדָה רָעָה irretire homines, praesertim cum *eadem* prorsus vox ponatur v. 14! Quae etiam consulto selecta videtur, cum alias de munitionibus bellicis semper dicatur מְצוֹרִים (quod in paucissimos etiam libros mss. inculcatum est).

V. 15 זָכַר recte plusquamperfecto verterunt *Vaih.*, *Zoeckl.*, *Mot.* Plurimi ita interpretantur, ut cives liberatoris sui cito sint obliti : *Hier.*, *Thaum.*, *Olymp.*, *Hitz.*, *Del.*, *Ew.*, *Elst.*, alii, fortasse idcirco, quod idem dicatur v. 16. At non est idem, sed ibi *generatim* enuntiatur veram sapientiam in honore non esse. At illa explicatio non valeret ad *laudem* verae sapientiae augendam, sed potius ostenderet, hanc quoque vanam esse, id quod in hunc locum non quadrat. Contra, si generatim contemni sapientia dicitur, id non prohibet, quominus in istiusmodi liberatione agnoscatur ac summopere laudetur; tantum hoc demonstrat, plerosque veram sapientiae vim tum demum perspicere, cum *eventu felicissimo* appareat, id quod res est inter mortales.

V. 17 quod veteres omnes aeque atque Hier. vertunt : « Verba audiuntur » itemque quidam recentiores : id pugnat cum v. 16^{b}, ut *Cast.* cogatur dicere : « indifferenter », i. e. nullo studio audiuntur! Frustra *Wr.* explicat : « Quodsi multitudo nolit attendere voci sapientis, inveniuntur tamen *pauci aliqui*, qui sint sciendi cupidi », et *A Lap.* : « audiunt *viri cordati* et prudentes eaque excipiunt magno oris silentio »; sed ubi hoc ita circumscriptum videmus? Melius *Mot.* : « Les avis du sage, qu'on écoute parler dans le calme, *valent mieux* que les clameurs de celui qui commande au milieu des fous », item iam *Del.*, qui Rashii affert auctoritatem. Illud igitur « in quiete » potius pertinet ad oratorem (sapientem), quam ad auditores, ut contrarius « clamor » stulti oratoris declarat. V. 18 חוֹטֵא non

omnino idem designat, quod « errans », « insipiens », ut volunt *Cast.* et *Gr.*, sed ipsum perspicue demonstrat totum hunc locum *moralem* esse, non *civilem* s. politicum, quod plerique statuunt.

De primo versu c. 10 summa opinionum varietas est. Prius incisum *Cast.* capiti 9 adiungit; recte enim existimat superiora hac similitudine illustrari, sed erravit quod alterum incisum non ad eandem illustrationem pertinere opinatus est. Nam, ut *Hier.*, *Chald.*, *Syr.*, et recentiores non pauci, ille hic praeferri censet parvam stultitiam sapientiae. Sed hoc non est facile ad explicandum. Multi quidem commendationem esse volunt modicae levitatis, ut 7,15 sqq. At id *illis* consentaneum erat, qui « nimia sapientia » peccant, de quibus rursum a v. 4 agetur; adhuc de iis solis dictum est, qui in aliquo genere levitatis ac stultitiae versantur, quibus male proponitur commendatio et laus « parvae stultitiae ». Nec si clausula capitis 9 ac vv. 2 et 3 comparantur, dubium cuiquam esse potest, quin in medio versu, primo huius capitis, necessario laus contineatur *sapientiae*. Quod ita verum est, ut LXX verba omnia invertenda esse censuerint potius, quam ut commendatio mediocris stultitiae efficeretur : τίμιον ὀλίγον σοφίας ὑπὲρ δόξαν ἀφροσύνης μεγάλην. Hier. nihilominus in ipso iam comm. vertit : « Pretiosa est super sapientiam et gloriam stultitia parva » et praecipi dicit, ut quaedam *bona* sit in sapientia nostra stultitia, « ut sapientiam simplicem requiramus mistaque sit cum innocentia columbarum ». At difficile est, hanc sententiam ex Eccles. verbis eruere. Non multo aliter loquuntur *Chald.* et *Midr.* vertitque *Syr.*, etsi, quid proprie senserint, non liquet. Quidam explicant : Gravior *censetur* modica stultitia quam... : *Elst.*, *Zoeckl.* aliique similiter. Multi sunt, qui alterum incisum a verbis prioris incisi aptum esse velint in hunc modum : « Et pretiosum (eum qui insignis est) a sapientia et gloria, *perdit* exigua stultitia », ubi « a » sonat « ob » affertque rationem, quare vel homo vel res (*Mot.*) videatur per se pretiosa.

Parvi momenti sunt aliae quaedam *prioris* incisi difficultates. Sunt qui דְּבוּבֵי aut דְּבוּב numero singulari legant (ut olim *Chald.*, *Ven.*), quia eodem numero effertur verbum; sed hoc non omnino persuadet, cum multa eodem *genere comprehensa* pro uno computentur, cuius rei exempla ponit *Del.* : Ioel 1,20 (Vulg. « bestiae agri suspexerunt te », heb. תַּעֲרֹג), Gen. 49,22, Is. 59,12; cf. infra v. 12 ubi duo labia *pro uno ore* considerata sunt. Item paullo post יָקָר masculine positum est, etsi cum nomine fem., *quod sequitur*, iungendum est, quod quidem non ita raro usu venit. Voces יְבִיעַ et רֹקֵחַ veteribus obscurae fuerunt; priorem *Vulg.*, *Symm.*, *Chald.* omittunt, *Ven.* exprimit « foetere et corrumpi (exhalare) facit », satis recte, cum « ebullitio » (quae vim propriam exhibet verbi נָבַע) effectus tantum sit putredinis, quae significatur priore verbo יַבְאִישׁ = foetere facit. Vox רֹקֵחַ designat eum, qui pinsit, conterit, miscet aromata. Veteres substantivum aliquod intellexerunt, ut « aroma » vel simile; unde *Vulg.* : *suavitatem* unguenti; *Chald.* : oleum unctionis, confectum ex *aromatis*; LXX σκευασίαν ἐλαίου ἡδύσματος, ubi vox prima videtur esse vel compositio vel vasculum, quasi hebr. derivetur a verbo בוּעַ = נָבַע (Hier. in comm. : oleum

« compositionis », quae vel σκευασίαν vel ἥδυσμα exprimit); item *Syr.* : vas olei suavitatis, et idem fere Ar., quamquam ante iam יְבִיעַ vertit; *Ven.* recte : oleum pigmentarii. Sine dubio in utraque parte versus asyndeton quoque, quo scriptor frequenter utitur, ad perturbandam sententiam valuit. De cetero hoc loco manifestum fit, quam non sit in veterum interpretationibus omni vocula fidendum, cum hic et inter se longe differant, et tamen suo quaeque modo demonstrent, eandem tum versus scriptionem, quam nunc, fuisse. Idem licet observare v. 3 extr., ubi hebr. ad verbum : « Dicit ad quemlibet s. de quolibet (לַכֹּל) : stultus hic s. stultum hoc ». Iam vero LXX reddunt : « omnia, quae cogitat, stultitia est », item *Syr.*; *Symm.* : « suspicatur de omnibus, quia stulti sunt »; *Hier.*, qui hoc refert, ipse vertit : « Et dicit : omnis insipiens est », sed in *Vulg.* sequitur Symm.; *Chald.* : « loquitur, quae non oportet, et omnes eum stultum vocant »; *Ven.* : « dicit unumquemque stultum esse ». Ergo, ut quisque potuit, ita rem difficilem expedivit; sed apud omnes satis apparet, quid legerint in hebr. — Recentiores modo explicant : omnibus dicit (agendo loquendoque demonstrat) se stultum esse; modo : de omnibus dicit...; modo : omnes aestimat...; modo : de rebus omnibus dicit...

Restat ut de *indignatione* dicatur; ab ea orsus Sapiens (resp. b), ad eandem, quia sapientiae modo laudatae indignantes potissimum se volunt esse participes, nunc ad eam redit. Id enim praeter cetera spectat toto libro, ut eum, qui velit esse sapiens, instituat.

f) Imprimis ab indignatione cave 10, 4-15.

V. 4 « *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima* »;

Si potentis ira te invaserit, locum tuum ne dimiseris : lenitate peccata maxima cessabunt.

V. 5 « *Est malum, quod vidi sub sole quasi per errorem egrediens a facie principis* » :

Est sane malum, quod vidi ego sub sole, errori simile, qui a principe proficiscatur :

V. 6 « *Positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum* »;

Posita est in dignitate sublimi stultitia, cum nobiles loco humili sedeant;

V. 7 « *Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos* »;

Vidi servos equitantes, et principes ut famulos in terra ambulantes.

V. 8 « *Qui fodit foveam, incidet in eam, et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber* »;

Qui scrobem fodit, fit, ut incidat in eam; qui murum diruit, ut mordeatur a colubro.

V. 9 « *Qui transfert lapides, affligetur in eis, et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis* »;

Qui lapides emovet, accidit, ut eis affligatur; qui scindit ligna, ut eis vulneretur.

V. 10 « *Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur; et post industriam sequetur sapientia* » (de hebr. infra);

Si obtusum ferrum homo non praeacuit, magis desudandum est; sapientiae erit adhibere industriam.

V. 11 « *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit* » (de hebr. infra);

Si mordet serpens nullo incantante, nihil prodest artifex carminum.

V. 12 « *Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis praecipitabunt eum* »;

Sapientis oratio gratiam habet : labia stulti ipsum devorabunt.

V. 13 « *Initium verborum eius stultitia, et novissimum oris illius error pessimus* »;

Initium verborum oris eius fatuitas, et finis sermonis vesania pessima.

V. 14 « *Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante se fuerit, et quid post se futurum sit; quis ei poterit indicare?* »

Et multa vociferatur insipiens, cum tamen ignoret homo, quid futurum sit; quis enim id, quod fiet post ipsum, indicabit ei?

V. 15 « *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere* ».

Labor stultorum fatigat ipsos, qui nesciant vel in urbem pergere.

Hic illum locum de indignatione tractari vv. 4-7 perspicue demonstrant, si comparaveris 3,16 sqq., 4,1 sqq., maxime autem 4,17 sqq. et 7,7 sqq. Quibus omnibus locis iniusta *vexatio* potentiorum proponitur, quae facile *de statu suo deiiciat* hominem, etiam optime moratum, cui tamen potius occurrendum sit *mansuetudine, tranquillitate, silentio*. Singula percurramus. V. 4 « spiritus » s. « ira potentis » valet idem ac : « potens iram spirans », qua dictione iniusta crudelitas optime designatur. « Locum dimittere » s. relinquere est : animi firmitate, quiete, praesentia excidere. « Curatio » significat lenem rei tractationem atque ipsam *mansuetudinem;* cf. « lingua placabilis » (Vulg.) Prov. 15, 4. Facit autem placabilitas, ut cessent, i. e. omittantur peccata s. Dei offensiones.

Deinde tribus versibus Eccles. concedit confirmatque, esse sane res plurimas, quibus ad iram concitari possit homo : saepe enim ius fasque « sub sole » perturbari, idque fieri « quasi errore principis », i. e. Dei, qui hic ut Dan. 5,21 שַׁלִּיט appellatur (*alia* vox est v. 4 et 9,17). De « errore » in *eodem* argumento cf. supra 5,5; sed, ne qua sit species blasphemiae additur « quasi » (כְּ), quae vox in principe humano esset prorsus supervacanea, cum aut malitia aut *saltem* errore illa mala permittat. Quodsi dixeris כְּ usurpari non tam de re simili, quam de ipsa re vera, tamen non est, cur hoc loco negetur aut extenuetur regis culpa; nonne 8,2 paene omnes in *eodem* argumento *tyrannum* fingunt? — Tempus praesens (hebr. futurum) in proficiscendi verbo positum est post superius « vidi », quia iuris perturbatio ut omni tempore facta est, ita et nunc cernitur et in posterum usuveniet. Bene v. 6 passivum adhibetur, quia de re agitur a Deo non tam disposita, quam permissa. Pro stulto hebr. stultitia gravius dicitur, quamquam minus respondet illud « divites » sive ut hic intelligendum censeo, *nobiles*, i. e. qui sint loco excelso virtute sua digniores, cf. v. 20 et שׁוֹעַ Is. 32, 5; imago enim externae conditionis, ab opulentia derivata, ad animi morumque praestantiam accommodatur; item in v. 7 servi

et famuli ad poeticam imaginem pertinent, cui explicandae vox illa « stultitiae » v. 6 idonea est.

Iam vero si ita, ut hic describitur, perturbantur iura atque adeo *solent* perturbari (id quod praesentia, hebr. futura, in vv. 5 et 6 significant), non potest non maxime commoveri animus eius, quicumque id vel contemplatus est vel usu expertus sensit. Itaque hic (post v. 7) exspectamus, quod v. 4 iam coepit dicere Eccles., ut ad patientiam cohortetur et a peccato, maxime oris blasphemia, deterreat; cf. 4,17 sqq. 7,8 sqq. Cogit igitur ratio proximos versus difficillimos 8-11 in hanc sententiam interpretari, praesertim cum vv. 12-14 (vel 15) manifesto versentur in reprehensione stulti sermonis, prorsus ut illi loci, quos modo significavi.

Ac primum quidem in vv. 8 et 9 minor haesitatio est. Nam ibi exemplis ostenditur, in omni actione periculosa prudentia opus esse et cautione; sed id optime cadit in rem praesentem, ut 5,3 et 4 vovendi prudentia et circumspectio exempli causa asciscebatur. Esse enim rem periculi plenam de « quodam errore » divinae providentiae loqui, evidens est. Sunt autem valde usitata Ecclesiastae huiusmodi imagines rerum aspectabilium, quibus res, quae in sensus non cadant, significentur, obscurius id quidem, sed ingeniose atque poetice; vide sis paullo ante 8,8; 9,11. 12. 14 sqq. et quae c. 3 de « temporibus » disseruit. Nec decet profecto scriptorem inspiratum humanam ac mundanam tantum prudentiam fossores, caementarios, lapidarios docere, ut vel ob hanc causam necesse sit ad altiorem aliquam sententiam huiuscemodi exempla transferre. Saltem igitur generatim verae sapientiae utilitas proponitur.

Sed intricati sunt omnique ex parte impediti vv. 10 et 11. De quibus, ut in re omnium iudicio obscurissima, nolo certo iudicare; quid suspicari liceat, v. infra. Probabilem sequor interpretationem v. 11 : Si obtusum ferrum homo non praeacuit, magis desudandum est; sapientiae erit adhibere industriam; v. 12 : Si mordet serpens, quia nemo incantavit, nihil prodest artifex carminum. — Quae ad universam sententiam non multum discrepant a *Vulg.*, in qua tamen illud « detrahit » (v. 11) aut ad Providentiam referendum esset, aut generatim de malo linguae usu accipiendum. Hier. in comment. vertit : « Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam » et hanc alteram partem aut ad detractorem aut ad eum qui taceat peccata sua vult spectare. Hebr. positum est « dominus linguae », quod recte LXX intelligere videntur de incantatore (ἐπάδων); nos, quia formulae incantantium « carmina » vocabantur antiquitus, audaciam hebr. dictionis imitati posuimus « artifex carminum »; etiam pro « in silentio »

hebr. est « sine incantatione » (בְּלֹא לָחַשׁ). Efficitur igitur ex vv. 10 et 11 haec fere sententia, cum vv. 8 et 9 bene congruens : Suo tempore et loco prorsus adhibendae prudentia ac sapientia, ut vel opus succedat vel periculum vitetur.

Quae cauta rei agendae consideratio proximis versibus, ut iam significavi, ad *loquendi* cautionem applicatur (vv. 12 sqq.). Sapientis oratio gratiae plena est, quia circumspecta ac verecunda; eadem gratiae est conciliatrix; stultus ore suo tamquam barathro « devoratur » (hebr.), i. e. fatuis in Deum criminationibus interitum ipse sibi parat (v. 12). Cuius quidem et primum et ultimum verbum stultitiam sapit (v. 13); quare monuit in *eadem* materia Eccles. 7,8 (9) meliorem esse finem facere sermonis, quam initium, et meliorem mansuetudinem (cf. supra מִרְפֶּא), quam superbiam. In ipsa frequentia talium de Providentia sermonum est stultitia (v. 14), quia Dei arcana inaccessa sunt humanae intelligentiae; simillima supra legimus in *eodem* argumento 6,11 et 12; 5,2. 5. 6, ubi multiloquium in « somniorum » genere annumeratur. Itaque (v. 15) insipiens, futiles serendo sermones, ipse sibi nocet soli, cum non meminerit, etiam apertissima et planissima saepe a se ignorari. Quis autem audeat in tanta ignorantia cum divina sapientia expostulare?

V. 4 et ceteros deinceps ita plerique interpretantur, ut nihil dignum inspirato scriptore cernatur. Nam versibus 4-7 explicari volunt, quomodo in vita civili regis irae sit occurrendum, deinde 8-11, quomodo in omni vitae conditione adhibenda sit cautio, denique 12-15, quantum differat sapientis et stulti oratio. His omnibus nihil nisi *mundana* prudentia proponitur, nec tamen quidquam fere *distincte* praecipitur, quo in vita dirigi possis, nec, quomodo ista apte *coniuncta* sint, apparet. V. gr. ad v. 3 Wright fatetur innumerabiles esse rationes, quibus versus inter se connectere conentur interpretes : « It is impossible within our limits to give a sketch of the opinions of scholars of various times on the connection between these verses and the foregoing ». Similia multi dixerunt. At si hic agitur de iis, qui periculosissimo conatu divinam *providentiam* verbis iniuriosis criminantur, repente lux affulget toti disputationi. Nam sententia exsistit sacro scriptore dignissima, quam *eodem* ferme modo identidem proposuit, et ad huius libri proprium argumentum proxime pertinens, et illae tres particulae tractationis paene necessario vinculo colligantur, et rei ipsius gravitate verborum tanta copia excusatur fitque etiam laudabilis. Recte *Hier.* : « Et hanc ergo iniquitatem se in saeculo perspexisse commemorat, quod videatur iniustum esse Dei iudicium, et sive per ignorationem sive absque eius fieri voluntate, ut vel in mundi potestatibus vel in Ecclesiae principatu hi, qui divites sunt in sermone atque sapientia, divites etiam in operibus bonis, ignobiles sedeant, et imprudens

quisque in Ecclesia principatum teneat... Hebraeus potentem et principem, a cuius facie ignoratio videatur egredi, Deum exposuit, quod putent homines in hac inaequalitate rerum illum non iuste et ut aequum est iudicare. Porro alii cum superioribus esse iungendum, ut ipse sit potens, de quo ante hos versus dicitur : Si spiritus habentis potestatem... ». Hunc enim tyrannum Hier. « spiritualiter » diabolum explicaverat; nunc quibusdam placere dicit, etiam hoc loco « principem » (alia tamen *voce* significatum) esse diabolum, qui *Deo permittente* res humanas perturbet. Ad sententiam paullum differt inter utramque interpretationem. Idem fere *Olymp.* et latini interpretes non pauci, ut *Bonav., Caiet., Hugo Card.; Chald.* quoque in eandem rationem et hos versus et 8 sqq. et 12 sqq. explicat, allato exemplo Edom, quem Deus dominum Hebraeorum propter peccata eorum constituerit. Cui inter recentiores *Hengst.* accessit. Plurimi, ut diximus, omnia de humano principe dici volunt, in quibus iam complures Latini veteres, etiam *Pin.* et *a Lap.*

Nunc de vocabulis singulis. V. 4 « locum » dignitatem civilem intellexerunt *Herzf., Gr., Del., Wr...*, plures animi praesentiam et pacem significari censuerunt, ut *Knob., Hitz., Cast., Zoeckl...* Vocem מַרְפֵּא veteres fere omnes sanationem s. curationem verterunt, rectius *Symm.* σωφροσύνην, recentiores plerique mansuetudinem (Prov. 14,30; 15,4), etsi *Gr.* itemque *Ren.* id repudiantes aliam sententiam requirunt. יַנִּיחַ de *omittenda* re dicitur iam quasi coepta, ut παύω, quod verterunt *Symm.* et LXX; cf. 7,18 et 11,6, ubi plenior est dictio addito יָד. Quidam tamen id verbum ad principis iram sedandam retulerunt.

V. 6 suo iure veteres vel legerunt vel explicarunt סָכָל, i. e. « stultum » pro סִכְלוּת, i. e. « stultitia », quia comparantur « divites ». *Luzz.* difficultatem elusit iungendo נָתַן (qal pro niphal) cum רַבִּים tanquam obiecto, nixus etiam hac ratione, ut opinor, quod hoc alterum articulo caret; vertit igitur : posuit stultitia multos in fastigio. Sed id non est necessarium; non enim videmur vetari רַבִּים quodammodo epexegetice additum dicere suo substantivo : locis insignibus *iisque altissimis*. — « Divites », ut supra Hier., ita alii plerique intelligunt nobiles s. aliqua laude praestantes.

In vv. 8 et 9 futura de re probabili *tamquam* de certa ponuntur, ut minantes loqui solemus, v. g. cave, cades! Verbum יִסָּכֵן alii « vulnerari » vertunt, alii LXX secuti « periclitari »; sed de damno vero, ut puto, non de periculo quaeritur.

Explicandi v. 10 hae potissimum viae sunt : 1) Si quis obtudit (piel active s. cautive acceptum) ferrum nec hoc iam habet aciem (פָּנִים pro פֶּה, quod nonnunquam de acie usurpatur, cf. graecum γένυς; ponunt athnach post hanc vocem), tum vibrare (Ez. 21,26) oportet et intendere vires : at utilitas praeparandi vel proficiendi (הַכְשֵׁיר aut = rectum fecit, aut = succedere fecit) haec sapientia est s. hoc sapientiae est. 2) Si obtusum est ferrum (piel *intensive* acceptum, ut in aliis intransitivis, cf. 12,3; Ez. 21,12) nec quis (i. e. is qui utitur) praeacuit partem adversam (proprie : fulgorem addidit, laevigavit, cf. Ez. 1,7; Dan. 10,6), tum intendere oportet vires : at utilitas est in recte usurpanda sapientia (הַכְשֵׁיר, inf. const. pro abs.). 3) *Cast.* ita vertit : Si ferrum obtusum est nec apparet (פָּנִים) fulgidum et ta-

men valet ad augendas vires, certe in recte usurpanda sapientia utilitas est. 4) *Hahn* : Si quis ferrum obtudit et partem aversam (לֹא־פָנִים) vibrat, num vires suas augebit? Et utilitas est in favore praestito sapientiae. Qui poenam hic denuntiari stulto illi *tyranno* putat, qui instrumenta reipublicae regendae perverse tractet, nobiles opprimendo, infimos attollendo. Alii quoque haec exempla de malis tyrannidi adiunctis interpretantur. 5) Si etiam obtusum ferrum, nisi sit pessima acie (קֻלַּל = vilem esse), aut : etiamsi acie sit non laevigata, tamen corroborat, aut : superat, *copias*... Notandum ad has explicationes, a) licere לֹא a suo verbo separare, 2 Sam. 3,34; Num. 16,29, id quod fit ad maiorem ei particulae vim addendam, prorsus ut in lingua latina; b) licere חֵילִים reddere vires, 1 Chron. 7,5. 7; c) pronomen הוּא videri mutationem subiecti designare; d) קִלְקַל carere pronomine adiuncto, ut פָּנִים videatur esse eius obiectum. — Veteres non minus, quam nos, ancipites haeserunt. LXX sic habent : ἐὰν ἐκπέσῃ τὸ σιδήριον καὶ αὐτὸς πρόσωπον ἐτάραξε (omisso לֹא, vel lecto לְפָנִים = in faciem) καὶ δυνάμεις δυναμώσει καὶ περίσσεια τῷ ἀνδρὶ οὗ (additum) σοφία. *Syr.* : Si obtusum est ferrum, faciem vulnerat et auget stragem, et utilitas habilium scientia. Ex *Chald.* nihil certi erui potest. In *Vulg.* « non ut prius » est לֹא־פָנִים; deinde proxima vox קִלְקַל vertitur : « sed hebetatum fuerit » (vile factum); ultimo loco יִתְרוֹן acceptum est pro « ultra, post », atque ita efficitur sententia : « post industriam (i. e. sero post laborem) sequitur sapientia », vel potius secundum spiritualem in commentario explicationem : « tum debebit multo labore acumen ingenii renovare, et post hanc industriam consequetur sapientiam ».

In v. 11 extr. בַּעַל הַלָּשׁוֹן detractorem intellexerunt *Chald.*, *Hier.*, *Ab. Ezr.*, *Rosenm.*... Sententia est secundum Hieronymi comm. : « Serpens et detractor aequales sunt; quomodo enim ille occulte mordens venenum inserit, sic iste clam detrahens virus pectoris sui effundit ». Sed quorsum id hoc loco? LXX et *Syr.* incantatorem interpretati sunt. De dictione hebr. cf. infra v. 20 בַּעַל הַכְּנָפִים et de בְּלֹא = « antequam » Iob 15,32.

V. 14 in *Vulg.* est « ante se fuerit », in hebr. autem temp. fut.; LXX, *Symm.*, *Syr.* item legerunt הָיָה, ut absit tautologia, non ea quidem omnino vitiosa, cf. ad 8,7. De אַחֲרָיו cf. 9,3 pag. 281.

V. 15 verbum feminino genere (quod mirum est), et pronomen numero singulari enuntiatum est quasi de *singulis* ut Is. 2,8; Os. 4,8. Clausula versus proverbium videtur significari, quod ad rei notissimae ignorationem pertineat; ita recte *Grot.*, *Del.*, alii, et ipse iam *Hier.* civitatem finem *itineris* instituti interpretari videtur. Sunt autem complures, qui *sedem iudiciorum* vel *imperii* intelligant, unde *ius* sit repetendum. Sed idem proverbium obversatum Isaiae puto, cum de nova civitate Ierusalem diceret : « Erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam » (35,8).

g) De cetero labora assidue 10, 16-11, 6.

Transit scriptor ad ea, quae tertiae partis sunt *propria*, ac primum quidem laboris assiduitatem commendat, quam rem brevissime tetigit 9,10 et iam uno verbo significavit 3,22. Nunc, ne quis existimet, otium desidiamque a se laudari, idem copiose explanat.

10, 16 « *Vae tibi terra, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt* »; v. 17 « *Beata terra, cuius rex nobilis est, et cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam* »; v. 18 « *In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus* »; v. 19 « *In risum faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes, et pecuniae obediunt omnia* » (v. infra); v. 20 « *In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, quia et aves coeli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas, annuntiabit sententiam* »; 11,1 « *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum* »; v. 2 « *Da partem septem necnon et octo, quia ignoras, quid futurum sit mali super terram* »; v. 3 « *Si repletae fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* »; v. 4 « *Qui observat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, numquam metet* »; v. 5 « *Quomodo ignoras, quae sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre praegnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium* »; v. 6 « *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud, et si utrumque simul, melius erit* ».

Laudem assidui laboris Eccles. orditur subito, sed non inepte; nam illis indignantibus facile occurrit haec cogitatio : Si casu, non merito administrantur res mundanae, ergo praestat quiescere et complicatis manibus fortunam exspectare. Quod stulte dici scriptor ostendit. Indignantes ipsis verbis significat v. 20. Praeterea, ne perpetua cohortatio ad moderate agendum et quodammodo quiescendum causam desidiae videretur offerre, necesse fuit in extrema libri parte industriam suaderi. In v. 15 etiam ille « labor insipientis » aditum parat ad laborem sapientis. Iam vero Eccles., ut solet, exemplis et similitudinibus argumentum poetice illustrat.

Pessime, inquit, cum illo populo agatur, cuius rex ac principes iuvenili levitati indulgentes tempora laboris et voluptatis confundant (v. 16), at optime cum illo (v. 17), cuius rex generosus sit (hebr. « filius nobilium »), et cuius principes tempora quietis ac voluptatis servent, epulantes « in virtute, non in ebrietate » s. luxuria. Extrema verba in hebr. interpretes partim ita intelligunt, ut est expressum in Vulg., partim ut nos posuimus; paullum interest. Vv. 18 et 19 breviter significantur mala socordiae et luxuriae : omnia enim negliguntur, usquedum domus ipsa incipiat collabi; voluptate diffluit vita universa. « Panem facere ad risum » v. 19 explicandum est de lautitia conviviorum. In Vulg. « vinum » adiunctum est « pani », et sententia tota

optime expressa; sed aliter est in hebr., ubi proxima verba verti debent : « vinum laetificat viventes » aut : « vitam », deinde ib. hebr. וְעָנָה aut « respondet » s. reddit pecunia, aut « facit respondere » s. obedire omnia (hiph.; hoc alterum, ut videtur, Vulg. paullo apertius expressit). Vix est, quod moneam, exemplum terrae s. reipublicae, deinde domus collabentis, postremo conviviorum *symbola* esse poetica, quibus omnis desidia, cuiuscumque generis sit, describatur atque castigetur.

Huc usque oratio facilis est; paullo difficiliora, quae sequuntur amplius de laborandi assiduitate. Sane v. 20 ita satis, opinor, commode explicatur, si respicimus ad illos indignantes, qui facile Dei providentiam criminantur, quod non pro merito labores humani cedere soleant; qui monentur (ut saepe supra), ut caveant querelas ac murmurationem. Regis igitur et divitis exemplo indirecte et parabolice designatur Deus, ut v. 5 et 8,2; cui interpretationi favet illa exaggeratio, quae cernitur in ultima parte versus, quia Deo etiam abscondita fiunt manifesta tum per se, tum quodammodo volucrium ministerio, i. e. angelorum. Sed restant duo versus primi capitis 11, qui certam explicationem non habent. Plerique sic explanant, ut *Hier.* : « Ad eleemosynam cohortatur, quod omni petenti sit dandum et indiscrete faciendum bene. Quomodo enim, qui super irrigua seminat, fructum sementis exspectat : ita qui largitur egentibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit, fenore quodam multiplicationem illius praestolans, et cum dies iudicii advenerit, multo amplius, quam dederat, recepturus ». Deinde idem pergit explicare spiritualiter, quod quidem ad rem minus attinet. Quodsi hos versus ad eos, qui sequuntur, et ad ultimum superioris capitis contulerimus, non erit dubium, quin hanc oporteat summam esse sententiam : constanter elaborandum, strenue annitendum, semper aliquid tentandum esse tamquam *in spem incertam,* Deoque soli committendum *exitum* laborum, qui sua cuique rei *tempora* praestituerit. Si igitur, id quod est verisimilius, 11,1 et 2 in beneficentiae commendatione versantur, hoc ipsum unum tantum exemplum est ex plurimis, quo laboris constantia suadeatur, optime quidem, quia beneficentia in genere est actionum summopere laudabilium ac piarum. Nec opponi debet, in bene faciendo ac largiendo conatum strenue laborantis non cerni; immo in optimo quoque et ditissimo (qualis ipse fuit Salomon) nihil invenias magis verae virtuti consentaneum, quam et facultates suas et omnem conatum in commune bonum utilitatemque plurimorum conferre. Neque in hoc laboris genere supervacanea fuit admonitio 10,20, quia in beneficentia et liberalitate durissimum solet viro strenuo accidere effectu certo laborum ca-

rere; et cum spes in irritum cecidit, taedium exsistere solet et expostulatio et indignatio. Quae cum ita sint libenter illam interpretationem (quam habent etiam *Targ.*, *Midr.*), praesertim per se ipsam valde probabilem, amplectimur. Iubemur igitur « mittere s. dimittere panem », in quo distribuendo potissimum exercetur benignitas, « in faciem s. superficiem aquarum » (hebr.), ut quo fluctus tulerit, perferatur. Qua similitudine profusa liberalitas itemque certae spei neglectio, at non distribuendi temeritas, ut manifestum est, designatur. Deinde post « multos dies » fructus praemiumque promittitur : exspecta tempus a Deo praefinitum, iam « invenies eum », i. e. videbis eum laborem minime interisse, sed profuisse vel aliis vel saltem tibi, ut cum fenore a Deo recipias. Quando autem Dei « tempus » futurum sit, scriptor non dicit, sed ex iis, quae identidem de « tempore » disputavit, perspicitur, *potius* remotum ultimi iudicii tempus intelligendum esse praemiumque aeternum, quam huius vitae (quod tamen non excluditur); itaque hoc ipso loco spem nostram ad diem *longinquam* differt. Sic bene cohaerent omnia. Affertur etiam a Buxtorf (Floril. hebr. p. 171) sententia aramaica Siracidae, iisdem fere verbis concepta : « Sparge panem in aquam et in continentem; in fine dierum reperies eum »; quae si forte ex verbis Ecclesiastae derivata est, Diez (Res memorab. Asiae I. 106) aliam quoque sententiam arabicam exhibet : « Benefac, proiice panem tuum in aquam; aliquando tibi retribuetur ». Iure igitur statuitur, ad orientalium loquendi consuetudinem satis convenire, ut isto simili largitas designetur. Ad quod facilius intelligendum meminisse oportet, panes apud illos placentarum fere tenuium forma fieri solitos facile in superficie aquae natare ac fluctu transferri. Congruit omnino sententia v. 2 : « Disperti portionem (aliquam) inter septem vel etiam octo (intellige : quam plurimos) ». Iam vero ratio addita, « quia ignoras... » vel de *praemio* accipienda est (cf. ea, quae de periculo avari solitarii, communem vitae societatem *negligentis,* dicta sunt 4,7 sqq.), vel potius paullo amplius non tam de praemio, quam de omni *fructu et utilitate* operum ad commune bonum spectantium, id est : sperare licet vel tibi vel aliis tempore malo profuturum, quod nunc in bonum aliorum praestes. Ita hoc altero versu cum aliquo incremento argumentationis etiam *praesentis* vitae fructus ostenditur; quare non sine vi concluditur « in terra » s. « in hac terra ». Ergo beneficentia certe numquam *prorsus* in cassum cadet (v. 1), immo plerumque ad levandas calamitates publicas fructuosa exsistet etiam in terra (v. 2). Quamquam melius fortasse clausulam huius versus sic explicabis, ut *tantum* de futura apud Deum mercede accipiatur : « Nescis enim, quae calamitas publica te ipsum

possit bonis spoliare »; ita admonitio toto versu comprehensa haec erit : « Disperti largiter bona tua, dum tua sunt, nè forte *sine praemio* casu aliquo tibi auferantur ».

V. 3 necessitas designatur rebus humanis, Deo disponente, impendens, cui occurrere homo nullo modo possit, quam exspectando interim debeat strenue laborare. Nec implere nubes imbribus nostrum est, nec eas dirumpere atque effundere; haec Deo committenda, ut cetera similia, v. c., in hanc an illam partem arbor vento prosternatur, quam nos non prosternimus, sed iacentem reperimus. Itaque apte v. 4 vetamur curiosius observare ventum et contemplari nubes, ac si haec unquam in nostra potestate habere possimus; quod si fecerimus numquam nobis aut serere aut metere licebit, omnisque labor utilis cessabit. Nam (v. 5) ut naturae leges non perspicimus, ita, quid Deus, iis administris, facere decreverit, absconditum latet. Sequitur, ut haec universa curanda nobis non sint (cum sollicitudine), sed Providentiae committenda, interim autem (v. 6) spargendum semen mane nec cessandum vespere; orietur enim aut hoc aut illud aut etiam utrumque.

In hac quoque parte velim notari nec *mundanam* nobis prudentiam proponi ab eo, qui Dei instinctu scribat, sed aliquid ad mores maxime pertinens, nec *disparata* consui proverbia, sed verum et praecipuum libri argumentum pertractari atque absolvi. Quanta autem dissensio sit plurimorum interpretum, si de disputationis contextu quaeritur, vide sis ipsos ad 10,16; 11,1; 11,6. Diximus supra, quid nobis videretur omnino sequendum. Ergo industria agendi prius demonstratur e *contrario* 16-19 (interposito tantum v. 17). Nam socordia ac pigritia et reipublicae et privatis domibus et moribus singulorum detrimentum maximum affert. Quamquam haec non tam tria sunt exempla diversa, quam *unum* ex tribus conflatum. Similitudo enim est evidens prioris cum secundo, nam respublica domui saepe comparatur; itemque cum tertio, nam comissatio in utroque (vv. 16. 19) ponitur pro manifesto inertiae signo. Quod in primo mirum esset, si, ut plerique volunt, de mala *regnorum* administratione (ut verba sonant) ageretur; eius enim indicia propria alia sunt, non tam hoc, quod ad privatam vitam proprie spectat. Sed re vera uniuscuiusque hominis mores *privati* informantur ab Eccles., segnitiem autem privatam nihil melius designat, quam convivia et compotationes. Itaque *civilis* locus hic non tractatur, sed rei augendae causa fingitur exemplum regni, in quo gula omnia administrare videatur sic, ut rex puer cum principibus a primo mane epulentur. Exaggeratur rei veritas, ut patet; sed hoc ipsum fictum hoc et allegoricum exemplum esse declarat. Quod autem *Gr.* hic vel maxime Herodem Idumaeum « servum » (נַעַר sic vertit), i. e. e gente subiecta a Ioanne Hircano, tamquam digito demonstrari censet, absonum

existimo. Nec omnino de tyranno aliquo (cf. ad v. 4) aut de civili prudentia cavendae irae regiae (cf. ad v. 20) agitur; nullo enim modo cohaereret c. 11 cum 10. Sed vere poeticum Ecclesiastae dicendi genus cernitur *imaginibus* ad illustranda *moralia* praecepta ascitis, ut saepe animadvertimus. Non est igitur aliter hic locus nisi figurate intelligendus quam interpretationem proponit *Olymp.* : « Civitas translate animus est, cuius rex mens rationalis, quae si erit iuvenili assueta levitate motusque sinat et appetitus dominari deditos gulae ac voluptatibus : malum et perniciem adiunctam habebit; quodsi animus ac mens divinis erit enutrita disciplinis : generosa ac liberalis erit motusque ac ratiocinationes sequetur, suo quidque tempore idoneo spectantes, tam quae corpori consentanea sint, quam quae animo conveniant ». Sed idem Olymp. prius omnia ad litteram explicat, nec alium ullum invenio interpretem, qui non vere et proprie de reipublicae gubernatione agi arbitretur. Quod si quis omnino defendere voluerit, statuendum erit, inertiam in vario vitae genere (civili, familiari, privato) describi; at nonne inepte in primo exemplo convivii mentio facta esset, praesertim cum eadem in tertio (vel secundo, si quis duo tantum esse censuerit) repetatur? Itaque sic rectius hi versus (16-19) de pigritiae malis explicantur : « Vae illius hominis animo, in quo appetitus omnes, tamquam civitatis cuiuspiam principes, non ad laborem et sobrietatem, sed ad ignaviam et gulositatem tendant. Nonne incuria virtus omnis enervabitur, ut domus neglecta necessario corruat? Nonne turpe est ad effusam laetitiam (לִשְׂחוֹק : 2,2) et pane et vino et pecunia, quae subsidia esse oportebat ad naviter laborandum, ignave abuti? » *Reges* quidem, ut certo mihi persuadeo, Eccles. hoc loco nec instituit nec reprehendit, neque id ullo alio loco facit, ne in quarto quidem capite (a v. 13), sed similitudine regis suum informat lectorem privatum; atque ab increpatione principum aut magistratuum etiam longius abest. Veniamus ad singula.

V. 16 nonnulli נַעַר pro עֶבֶד interpretantur, quod opponatur protenus חוֹר (חֹר). Quod si probaverimus, ut hoc, sic illud ad mores potius, quam ad externam vitae conditionem referemus, cf. similia vv. 6 et 7. Sed nec veteres nec plerique recentiores vocabulum sic acceperunt, et sane « puer » non sua sponte servum designat; itaque si scriptor servum intellexisset, sine dubio quia חֹר *sequitur*, עֶבֶד posuisset. Iam vero « puer » rex ille appellatur, quia et aetate et moribus fingitur iuvenilibus. V. 17 praepositio בְּ in extremis vocabulis significat, « virilitatem », non « ebrietatem » *adiunctam* esse mensis sapientium; id quod alii sic explicant : manducant cum virtute et honestate, non cum levitate et turpitudine, alii autem : ad vires reficiendas, non ad helluandum. Prius faciliorem habet explicationem grammaticam, alterum a plerisque praefertur. LXX ita vertunt : ἐν δυνάμει καὶ οὐκ αἰσχυνθήσονται. Legisse videntur וְלֹא בֹשֶׁת = nec est turpitudo. Vox enim שְׁתִי nusquam invenitur, sed tantum fem. שְׁתִיָּה Esth. 1,8 (= compotatio); itaque *Chald.* et *Midr.* quoque divinando potius, ut videntur, propter « virtutem » s. robur oppositum verterunt « debilitatem ». V. 19 עֹשֶׂה לֶחֶם est « cibum s. coenam parare » Ez. 4,15, cf. Dan. 5,1.

Additum לִשְׂחוֹק post ea, quae dicta sunt vv. 16 et 17, satis indicat, coenam intelligi lautissimam et vinum bibi intemperanter et pecuniam inutiliter expendi. Aliam sententiam habet Ps. 104 (103), 15 : « Vinum laetificet cor hominis ».

A v. 20 iam *ipsa per se* industria commendatur, atque haec oratio ad sapientem s. sapientiae studiosum spectat, cui potissimum consulit Eccles. Sed ille quia videns rerum mundanarum perturbationem facile despondet animum criminaturque Providentiam, idcirco, ut id caveat, praemonetur, deinde, ut quasi in spem incertam strenue laboret, impellitur.

Initium c. 11 fuerunt qui ad *negotiationem* pertinere putarent, ut *Mendelss., Del., Bick.* Id Salomoni consentaneum esse dicunt, quia naves in terras dissitas miserit « per aequora », ut lucrum « multis diebus post inveniret ». Huiusmodi mercaturae esse (v. 2), non in una nave omnia collocare, sed dispertire, ut, si una pereat, reliqua bona serventur, qua prudentia usus sit Iacob patriarcha (Gen. 32,8). Aperte etiam periclitationem facultatum hoc loco designari; ubi autem maius cerni periculum, quam in eo genere negotiandi? — At mercatoremne informat Eccles.? Num mercator « panem » mittit per aequora? Quomodo de negotiatione « seminandi » vocabulum apte usurpatur vv. 4 et 6? Melior multo est igitur (quae est eadem communior) interpretatio de beneficentia. Ita non solum *Targ.* et *Midr.*, sed etiam *Thaum., Hier., Olymp.* et recentiores plurimi. Periclitatio quaedam bonorum sane significatur et temeritas quaedam laudabilis commendatur et quasi in longinquum bonorum dimissio suadetur tum toto loco tum voce שַׁלַּח, quae sonat « dimittere », non « proiicere ». Sed etiam in bene faciendo, ut est cursus rerum humanarum, timetur, ne in cassum impertiantur bona, ne ab ingratis mala pro bonis reddantur, ne ante iudicium futurum nihil praemii accipiatur; cf. Luc. 6,35 : « Benefacite et mutuum date, *nihil inde sperantes* ». Congruit, ubi de benignitate vel praestanda vel accipienda agitur, metaphora « panis » et « seminationis », cf. 2 Cor. 9,9 sq. : « Dispersit dedit pauperibus... Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit et multiplicabit semen vestrum ». Praeter cetera autem decet Ecclesiasten non de lucro mercatorio, sed de largitate et liberalitate praecipere. De reliquo ex unius boni operis exemplo omnium discamus rationem oportet; nam scriptor generatim ad sapienter agendum cohortatur. — « Per aequora » non recte nonnulli, ut *Hier.*, « in loca irrigua » explicant, sed quasi fluctibus huius temporis bona committuntur, ut ad littora aeternitatis ea inveniamus foenore, ut ait Hier., multiplicata.

V. 2 proprie interpretamur : da aliquam portionem septem vel etiam octo (egenis). Qui de negotiatione agi putant, explicare coguntur : Partem *tuam*, i. e. omnem possessionem divide in septem vel etiam octo particulas, aut sic : *partitionem* (?) fac in... Neutrum commode defendi potest. V. 3 multi calamitatem aliquam ostendi opinantur; sed imagines nubis pluvia refertae et lapsae arboris et observatio v. 4 comprehensa non aut

necessario aut proprie tempestates procellasque significant. Quare non existimo hic רָעָה versus secundi describi et amplificari, sed tantum demonstrari, leges naturae et Providentiae non esse in hominis potestate ob eamque causam non *ita* timide observandas, ut a laborando conandoque cessemus. Huc spectant vv. 4-6. Quod autem non pauci et veteres interpretes et recentiores « lapsum arboris » ad mortem hominis referendum arbitrati sunt, id certe huic loco alienum est; quamquam licet hinc congruam *similitudinem* ad subitam mortem illustrandam mutuari, praesertim cum hic omnia futura incerta dicantur ex occulta Dei *praedestinatione*.

V. 3 גֶּשֶׁם secundum accentus iungendum est cum iis, quae antecedunt; aliter Hier. in Vulg. et iam in comm. contra LXX. In eodem versu extremo יִהְיֶה ad modum *iussivum* pertinere arbitror substituto, ut 2,22, ו pro י. Qui modus saepe usurpatur ad rem aliquam *certo* denuntiandam, v. g. 1 Sam. 7,3 : « Servite Domino soli et *eruet* vos (וְיַצֵּל) et Ps. 72,15 : « et vivet » (וְיִחְיֶה). Simile est quod 10,20 יָגֵיד punctatum est ut iussivus; item 12,7 יָשֹׁב. [Sic anglice dicitur : « he shall » pro « he will »]. Iussivi modi sunt, punctis quidem non distincta, etiam 10,10 יְגַבֵּר et 19 יְשַׂמַּח, ubi vis modi necessitatem vel voluntatis decretum indicat : « augere *oportet* », « vitam exhilarari *volunt* » ; cf. 12,7. Littera א sic addita est formae יְהִי = יְהִו ut in הֲלָכוֹא Ios. 10,24.

V. 5 multi רוּחַ « ventum » intelligunt, ut in simili enuntiatione 8,8, cf. Ioann. 3,8. Sed huic versui certe aptius est « animam » vertere, cui « ossa » congrue componuntur, atque haec Chaldaei et S. Hieronymi aliorumque explicatio est. — כְּעַצְמִים comparationem exhibet compendiariam : « ut sunt ossa », adde : tibi parum nota. In codd. plus 40 est בְּעַ, verte : quae via sit animae in ossa praegnantis.

Recte ad. v. 6 *Hier.* : « Suo tenore et cursu debet sator pergere et eventum Domini sententiae reservare; non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei » (Rom. 9,16, ubi de altiore praedestinatione agitur). Addit non incongrue *Olymp.*, « mane et vespere » referens ad *vitae* humanae tempora : « A prima pueritia virtuti studeto neu dicito : Nunc quidem adolescens fruar vitae oblectamentis, senex emendabor. Nescis, quid tibi sit eventurum, aut ipse quando ad vitae finem sis venturus ». Scriptorem idem intellexisse, licet cognosci ex admonitione adolescentis, quae subiungitur; facit igitur iam transitionem idoneam, ut et ad pietatem in omni vitae perpetuitate colendam hortetur et mortis meditatione librum concludat. Illis quoque nova lux affertur, quae v. 5 dicuntur; nam si Eccl. *vitae universae* laborem similitudine matutini ac vespertini operis significat, aptissime praefatus est : « Ut vitae tuae originem qualis fuerit, non perspicis, ita vitam ipsam, qualis quamque diuturna sit futura, prorsus ignoras : proinde Deo quae Dei sunt, committe, tu tuum opus fac diligenter ».

b) Pietatem cole ab adolescentia 11, 7-12, 8.

Properemus ad libri finem. Unum argumentum restat tractandum : de pietate. Quam servari oportet diligenter inter omnes huius vanissimae vitae vicissitudines, sed imprimis eam adolescens commendatam habeat, sitque memor praeter *moderationem* cupiditatum nihil esse melius *religione*.

11,7 « *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem* »; v. 8 « *Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus laetatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum; qui cum venerint, vanitatis arguentur praeterita* » (de hebr. infra); v. 9 « *Laetare ergo iuvenis in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus iuventutis tuae, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum; et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium* »; v. 10 « *Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua, adolescentia enim et voluptas vana sunt* » (v. infra); 12,1 « *Memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas : Non mihi placent* »; v. 2 « *Antequam tenebrescat sol et lumen, et luna et stellae, et revertantur nubes post pluviam* »; v. 3 « *Quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosae erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina* »; v. 4 « *Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescent omnes filiae carminis* » (de « consurgent » v. infra); v. 5 « *Excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via; florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis, quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae, et circuibunt in platea plangentes* »; v. 6 « *Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem et confringatur rota super cisternam* » (ex hebr. verto : antequam resolvatur funiculus argenteus atque rumpatur catillus aureus et frangatur super fontem situla ac proteratur in puteum rota); v. 7 « *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* »; v. 8 « *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas* ».

Fit in hebr. transitio ad hanc partem novam more Hebraeorum particula ו = « atque » (ut 3,16; 12,9). Cum superiore cohortatione ad laboris constantiam, haec certe nihil habent commune; potius enim vv. 7-10 contrariam ad fruendam voluptatem prae se ferunt admonitionem. Ac tamen non, ut saepe ante, eo tendit *proprie* oratio,

ut moderata laetitia commendetur; sed vis praecipua est in altera parte versus octavi, ubi ponitur (hebr.) : « at meminisse ». Priora per modum concessionis dicuntur (hinc quoque illa transitio facilius explicatur) : *Et licet* vita dulcis sit — ipse enim Deus voluit omni nos tempore gaudere, utique moderate — at temperanda laetitia cogitatione *mortis ac rerum vanitatis*. Tria sunt vitae bona maxima : labor fructuosus (de quo modo), laetitia modica, pietas; sed pietas primum in severa recogitatione consistit vanitatis mundanae (v. 8), deinde Dei Iudicis (v. 9), Provisoris (v. 10, de quo mox), Creatoris (12,1). In hebr. v. 8 ad verbum legitur (sine « et » quod est in Vulg. post « homo ») : « in his omnibus laetabitur, et recordabitur... » ; *iussio* haec est. Dies tenebricosi illa intelligitur « nox, quando nemo potest operari » (Ioann. 9,4), i. e. quando huius vitae lux exstincta ac mundana omnia oblivione obruta erunt. Deinde sequitur hebr. : « omnia quae venerunt vel veniunt, vanitas », quae verba melius, ut videtur, ad instantia s. futura, quam ad « praeterita » (Vulg.) referuntur, ut ratio reddatur « tenebrarum » ; recte igitur LXX בָּא pro participio interpretantur : πᾶν τὸ ἐρχόμενον ματαιότης : futura omnia vana.

V. 9 similiter *concessive suadetur* usus vitae iucundus, immo vero iucundissimus (exaggeratis etiam verbis), sed protinus subiicitur mentio, ut modo mortis, sic nunc *iudicii*. Minime igitur ambiguum est, non tam pristinam ad fruendam vitam repeti adhortationem, sed, ut supra diximus, a 11,7 omnia proprie ad commendandam pietatem ac religionem spectare. In hanc quoque sententiam explicandus est v. 10, ut eius clausula non afferat rationem, cur fruendum sit vita, sed cur *pie* sit vivendum. Nec prior pars versiculi repugnat. Nam כַּעַס, ut de inutili labore ac dolore (1,18), sic etiam de vitiosa mentis inquietae aegritudine, quae *peccatum* sit, usurpatur (7,9), item « malum carnis » etiam de peccati poena dicitur, quia caro s. corpus fit particeps peccati (5,5; p. 201). Recte Hier. : « In *ira* omnes perturbationes animi comprehendit » ; illud non bene : « In carnis malitia universas significat corporis voluptates » ; verte potius ex hebr. « ut arceas a carne tua malum ». Redit igitur illa Sapientis admonitio, quae est in praecipuis huius libri documentis et paullo ante alio modo bis posita est (10,4 sqq. et 20) : ne quid homo admittat in Dei *providentiam*, sed ab ira, indignatione, murmuratione ob poenam imminentem supremi Vindicis studeat abstinere. Atque ita v. 10 Dei *Provisoris* suadetur reverentia, ut v. 9 *Iudicis* timor et v. 8 Eius observantia, penes quem est *vitae mortisque potestas*. Iam initio cap. 12 apte etiam *Creatoris* fit mentio; omnis enim religio ad Creatorem (quem proprie *adoramus*)

denique reducitur. Creatoris igitur (cuius maiestas plurali numero hebraice designatur : בּוֹרְאֶיךָ[1]) memorem esse oportet ab adolescentia. — Quod in Vulg. dicitur « voluptas » (11,10), ex hebr. vertunt vel « auroram », vel, ut videtur rectius, « capilli nigredinem » (sic *Chald.*); dicamus « pulchritudinem ».

In comm. *Hieronymus* v. 7 (et 8) ad superiora adiunxit. Sequuntur multi recentiores. Sed nihil hic de assiduitate laboris; fruendi potius ratio ostenditur : Dulcis est vita; ipse enim vitae auctor Deus hominem ea delectari voluit. Atque in eodem hoc *novo* argumento versantur vv. 9 et 10. Quamquam igitur hebr. v. 7 וְ particulam praefixam habet, non minus hic quam 12,9 ad alia ac disparata transitur.

Verba כָּל־שֶׁבָּא הֶבֶל rectius *Hier.* in comm. vertit : « Omne, quod venturum est, vanitas »; nam בָּא ut participium s. adiectivum significat rem « instantem », i. e. futuram et imminentem (simile est, non idem : שֶׁיִּהְיֶה); cf. Is. 27,6; Ier. 16,14; 23,5... Urget igitur scriptor impellitque ad laborandum, quod immineat tempus vanum, i. e. omnis expers fructuosi laboris, quo possimus bene mereri apud Deum. Quod est in *Vulg.*, ex Symmacho fortasse derivatum est, cuius verba Hier. in comm. sic refert : « In quibus omnibus [diebus tenebrarum] veniet esse desinere ». Sententia enim videtur esse : « esse desinent praeterita »; possunt autem et haec verba et Vulgatae recte sic explicari : « effluxerit *tempus hoc* laborandi ac bene merendi »; certe vanitas ista ad *laborem* praeteritum referri non debet, ne nervi omnes superioris admonitionis intercidantur. Recentiores longe plurimi reddunt : « id quod venit » aut : « veniet » et intelligunt aut res caducas aut res futuras et has quidem partim « in hoc mundo », partim « post mortem »; quidam sequuntur Vulgatam, ut *Cast.*, alii locum corruptum censent, ut *Gr.*, *Ren.* Iam inter veteres *Chald.* ita vertit, ut verba non videatur intellexisse. *Mot.* reddit : « l'avenir est vanité » et intelligit *incertos vitae casus*, itemque « tenebras » de *fortuna adversa* dictas esse vult. Versus autem 7 et 8 eiusmodi sunt, ut vita morti comparetur. Et interpretatio de futuri temporis apud inferos vanitate optime se habet, estque in voce בָּא et asyndetica forma enuntiationis eadem vis ac si dicamus : « Labora diligenter : iam iamque morieris », quae breviloquentia valde consentanea videtur Ecclesiastae.

Quod v. 7 appellatur « lumen », intelligendum est « lumen vitae s. viventium » (Ps. 56,14 = 55,13); « oculi », ut v. 9, ad fruendum pertinent, cf. 2,1. 24; 5,17; 6,6. In v. 8 « et » Vulgatae ante « in his » item fluxisse e Symm. videtur, ut ex Hier. comm. cognoscitur, quamquam est etiam apud *Syr.* et *Ven.*, deest apud *Chald.* (qui laetandi verbo addit « laborare ») et apud LXX. Ad summam sententiam parvi interest, sed ad totam argumentationem scriptoris illustrandam plurimum valeret illud « et », si id ab ipso additum sciremus. Non enim proprie ad laetitiam cohortaretur, sed con-

1. Haec forma sine י, ergo singularis numerus, est quidem in codd. quam plurimis apud *de Rossi*; sed altera omnino sequenda est, quia nemini ratio fuit interponendi י, fuit autem certe omittendi.

cedentis in modum, ut in v. 9, diceret : « Si possis et velis uti bonis huius vitae, nihil obsto : at finem rerum omnium recordare ». Diximus supra, hanc omnino esse vim totius loci, ut non ad fruenda vitae bona impelleret scriptor, sed ut pietatem colere iuberet, et hos versus a c. 12 non esse seiungendos. Iam vero illud « et » omnem prorsus dubitationem tolleret. Nam in v. 9 non video, quare plurimi interpretes vim praecipuam non ponant in severa denuntiatione iudicii, prorsus ut in c. 12 mortis adhibetur mentio; versus autem ipse eodem modo conformatus est atque 8,8 : priora incisa tria vel quatuor suspendunt animum legentis intenduntque vim partis ultimae, in quam incumbit oratio maxime. Nec huic interpretationi obstat v. 10, ut ostendi supra. Itaque non *directe* hic, ut alibi, suadetur moderatae voluptatis usurpatio, sed, quae ad eam commendandam dicuntur, ut lux umbram proximam, sic severitatem reliquae orationis reddunt magis conspicuam. Tanto autem minus causae fuit, cur v. g. *Thaum.* illa ex aliena persona dicta et subito additum existimaret : « At insanis, o homo, quisquis ita loqueris »; item nulla necessitate in quibusdam codd. LXX inculcatum est ἄμωμος et μή : « περιπάτει ἐν ὁδοῖς παρδίας σου ἄμωμος καὶ μὴ ἐν ὁράσει ὀφθαλμῶν σου, quamquam illud μή non legerunt *Thaum.* et *Olymp.* nec invenitur LXX ACS^2 neque in vetere Latina apud S. Hier.; *syr.-hex.* obelo notat ἄμωμος. Quodsi hoc alterum contrarium vitandum est, ne nimis *timidi* ab omni umbra erroris declinemus (*specie* tantum discrepat Num. 15,39), multo magis cavendum, ne indigna sacro scriptore ex eius verbis eruamus. Quapropter non, ut *plerique* faciunt recentiores, dicendum est, Ecclesiasten et ceteris locis, et hoc quoque ita delectationem sensuum commendare, quasi in ea ipsa bonum valde optabile ac summopere appetendum collocatum esse censuerit. Immo vero, ut supra moderationem potius cupiditatum suasit, quam fruendas voluptates, ita nunc concessa voluptate naturae consentanea id intendit potissimum, ne Dei Iudicis nos unquam capiat oblivio. — Turpius *Gr.* iam inde ab initio c. 11 nihil aliud praecipi censet, quam ut homo liberis procreandis (« seminandis ») det operam; idem *Ren.*, eius assecla, docet ad 11,6, Korani (!) comparans praeceptum.

De capite 12 praefari nobis licet, quod *Hier.* (qui ultimam disputationem incipit iam 11,9) : « In hoc capitulo diversa omnium explanatio fuit et tot paene sententiae, quot homines. Unde quia longum est opinationes omnium recensere et argumenta, quibus sententias suas approbare voluerint, explicare prope res unius voluminis est [non ita pridem Winzer et Gurlitt longiusculos tractatus de eo conscripserunt] : sufficiat prudentibus significasse, quid senserint et quasi in brevi tabella situs pinxisse terrarum totiusque orbis vastitatem et ambitum Oceani angusto monstrasse compendio ». Quod quanto nos hodie rectius faciendum existimabimus!

Nihil fortius urget hominem ad colendum Deum, quam rerum mundanarum vanitas; itaque, unde exorsus est Eccles., eodem argumento

disputationem concludit. Dixit ab initio libri vana esse universa, « quia aetas una adveniret, altera praeteriret, sola terra in perpetuum permaneret ». Idem nunc adolescenti, quem hic imprimis alloquitur, pro ultimo documento proponit atque inculcat. Ter posita voce « antequam » (vv. 1. 2. 6) reliquam partem orationis distinguit : primum appropinquantem demonstrat senectutem, deinde praesentem copiose describit, tertio finem vitae denuntiat. A v. 2 dictio audacter translata difficultatem facit interpreti ; in quibusdam enim, quid per se significent, in aliis, quo spectent, dubium est. Brevem prius enarrationem dabimus, unde summa rerum conspiciatur.

V. 1 : Denuntiatur *adolescenti*, quasi ad eum prae ceteris spectet vanitatis admonitio, tempus vitae ultimum, ingratissimum, propinquum.

V. 2 : Obscurantur lumina vitae ; coeli serenitas vel pluviae cedit vel nubibus, i. e. *iucunditas vitae* paene omnis seni perit, cuius locum occupant maestitia vultus, morositas, aegritudo, hebetatio saltem animi molesta.

V. 3 : *Vires* corporis deminuuntur ac *sensus* hebescunt. Custodes domus *brachia* sunt, fortasse etiam *pedes ;* quibus « trementibus » (Vulg. : commotis) non iam satis defensa domus est, praesertim *dorso* totoque corpore « incurvato » (Vulg. : nutante). Molitrices feriantes *dentes* intellige, qui cum pauci sint, iam parum operis faciunt. Nervi *oculares* minus acute afficiuntur, ut prospicere per fenestras pupillarum homo aegre possit.

V. 4 : *Os* ac labia dentibus amissis comprimuntur, et subraucum fit *murmur* « molae », porro *vox* exilior, ut pipientium avicularum, et quiescunt organa *cantus*. Vocabula enim יְקוּם לְ ad vocem tenuiorem acutioremque senum spectare censeo (item *Hitz., Ew., Zoeckl., Cast., Bick.*) ; nam et grammatice de hac vi verborum proxime cogites, post oris et molae mentionem, et ita efficitur, ut totus sit versus de loquendi canendique facultate, in qua hominis cum homine *communio* maxime nititur ; superiore autem versu actum est de iis, quae *separatim in singulis* hominibus sunt indicia senectutis.

Sequitur (v. 5), ut existimo, descriptio viae vitae ultimae, qua *ambulantis* senis species offertur ; atque hic partim etiam *hiemis* asperitas videtur adumbrari. Hieme enim media floret amygdalus ; sunt autem flores eius aut semper albi aut saltem, cum decidere incipiunt, quasi luridi, si ante fuerunt rutuli vel carnosi. Optime igitur et ipsa florens amygdalus, cuius nuda quoque stirps careat fronde, imaginem exhibet senis decrepiti atque cani, et praeterea tempus hiemale in cogitationem tristissimae conditionis sua sponte inducit (etsi haec hie-

mis descriptio non *potissimum* obversata est scriptori, de quo paullo infra). Praemittit « viae formidines » et « montium terrorem »; omnia enim seni ambulanti, i. e. vitae cursum ultimum peragenti horrorem obiiciunt. Viae paullo difficiliores arduum quodammodo, ut montes (« excelsa »), aditum habent, undique terrae asperitas vel sordes viarum vel aeris frigus timores ingerunt. De locusta pinguescente s. ingravescente et de cappari deficiente s. dissipata non est facile certi quidquam pronuntiare. Breviter dico, quod sentio : senem aetate gravem locustam tarde repentem imitari, et brevi, ut capparis bacas, repente dissolvi et quasi dissipari. Reliqua perspicua sunt : subito, absoluta allegoria, adiicitur, talem esse transitum hominis ad « domum aeternitatis suae » s. sempiternam, quod videtur esse *sepulcrum*, s. potius *domicilium ipsius mortis* ac mortuorum, quod poetice fingitur, unde nemo remigrare amplius possit; cf. τόπον αἰώνιον Tob. 3,6; posteriores Hebraei coemeterium aliquando « domum aeternitatis » appellarunt (*Del.*). « Circumeunt in platea lamentatores », i. e. iam parati astant, qui more antiquo, partim mercede conducti, nenias dicant; de lamentatione mortuorum v. 2 Sam. 3,31 sqq.

Ergo omnes mortem senis exspectant; quae versibus proximis describitur, idque duobus similibus. Quorum prius (ex hebr. explico) lampadem, ut videtur, pretiosam pretioso suspensam funiculo exhibens, ad animum corpori insertum, i. e. vitae quasi lucernam apte transfertur. Congruit verbum יִרְחַק (ketib) = removetur s. e connexione resolvitur animus qui permanet, itemque תָּרוּץ (a רָצַץ) : derepente destruitur « catillus aureus », i. e. natura vivens velut lucerna humi delapsa. Alterum simile ad ipsam corporis structuram retulerim, quae ob vitae, sucorum, sanguinis, aspirationis *motiones reciprocas* s. alternantes comparatur situlae in puteum demissioni et aquae ex imo haustioni identidem repetitae. Ceterum non est opus nimis subtiliter *discernere*, quid catillus, quid funiculus aut situla, quid puteus, quid rota (cui situla annexa est) significent; rumpitur enim simul *machina* humana universa, ubi una parte fracta usus ceterarum nullus manet.

V. 7 perspicue indicatur, quid homine fiat, quando moriatur : animus ad Deum (ut ab eo iudicetur, 11,9), corpus in terram redit, unde sumptum est, s., ut est in hebr., « prout fuit ». De corpore autem et de corporeis mundanisque rebus propter ipsam fragilitatem ac mortalitatem additur v. 8 : « Vana universa »; cf. 3,20 : « In locum unum tendunt universa; omnia orta sunt ex pulvere et omnia redeunt in pulverem », et 1,2-4 : « Vana omnia — quem fructum habet homo? Aetas

altera nascitur, praeterit altera ». Atque ita in suum gyrum tractatio tota revertitur.

Explicantur eadem copiosius. — Minimi momenti est, quod *Gr.*, suam persequens viam, Creatorem mutat in « cisternam » (בּוֹרֵךְ s. בְּאֵרֵךְ) vultque intelligi *mulierem;* nemo fere, ne ipse quidem Renan, secutus est. Item hoc, quod *Cast.* חֶפֶץ « desiderium » explicat : « Nihil iam mihi superest, quod desiderem »; facilior est, ut puto, interpretatio communis. *Hahn* in voce « antequam » gravatur et substituit « usque eo, cum nondum »; sed hoc ipsum vix differt, si prudenter explanatur; est enim italicum « fino a che non » (Cast.), i. e. tamdiu, quamdiu non = toto tempore, antequam (עַד אֲשֶׁר לֹא). De reliquis non est in v. 1 ulla interpretum dissensio. Sed a v. 2 omnino diversas ineunt explicandi vias. Quidam, ut *Umbr.*, *Elst.*, *Ginsb.*, *Hahn* omnia *proprie* accipiunt de dira aliqua procella, quamquam hanc ipsam procellam imaginem esse volunt *mortis* iam ingruentis atque *praesentis*, h. e., diem vel horam obitus tempestatis irruentis similitudine describi censent. Alii, ut *Knob.*, *Ew.*, *Hitz.*, *Heiligst.*, *Cast.*, *Mot.*, *Zoeckl.*, *Del.* *Wr.* aliique longe plurimi, *fragilitatem senectutis* et a v. 6 demum *mortem* ipsam perpetuis (vel fere perpetuis) *metaphoris* ad hominem describendum spectantibus poetice ob oculos poni existimant.

E prioribus *Elst.* audiamus; qui ita fere loquitur : « V. 2 procella tam diuturna describitur, quae et die et nocte astra abscondat et perpetuo nubes imbresque reducat. Cuius temporis obscuritas ac tenebrae imago sunt vitae collabentis, cum terrore mortis instantis homo oppressus nihil iam iucunditatis percipiat. Quae comparatio vv. 3-5 pertexitur. Tempestas domum concutit (v. 3), quam qui custodiunt, viribus animoque deficiunt; ancillae molentes labore desistunt; caligant oculi prospicientium per domus fenestras; ianuae clauduntur (v. 4), aves tollunt vocem territae submisseque volant; ex alto imminentem procellam omnes timent (v. 5), vitantur plateae, quia horrore plenae sunt, repudiantur cibi optimi : amygdalus, locusta, capparis ». Sic ille; qui quidem contrariam interpretationem tam insipidam existimat, ut sit scriptore prorsus indigna; singula negat nisi argutiis quibusdam posse explanari, v. 5 hominem *euntem ad sepulcrum*, non generatim senectutem proponi, v. 3 בַּיּוֹם indicium videri *unius* diei.

At haec ultima ratio nulla est, quia nec illa vox semper de uno die usurpatur, sed (ut latine dies) etiam de « tempore », et in poetica allegoria certe licuit tempus senectutis, praesertim eius *initium*, diem appellare. Deinde quod v. 5 extremo homo ad diem pervenit supremum, non sequitur, ut *ante* iam eo fuerit adductus. Praeterea « argutiis » tantum illis, quibus in tot aliis allegoriis, opus est; quamquam multos agere argutius, quam necesse sit, nemo negabit. Sed de ipsa illa *propria* explicatione, quam proponunt, videamus. V. 3 mirum est « custodes » poni adversus tempestatem eosque timore « incurvari ». Deinde Elst. vertit : « molentes feriantur, quia parum operis

habent » (?), id quod ad tempestatem non pertinet; spectatrices autem (quidni spectatores?) fenestrarum num apte commemorantur? V. 4 sine causa repetitur, molas « sistere »; porro « tollit (? יָקוּם) *ad* vocem avicula » Elst. vult esse : « tollit vocem av. » V. 5 non satis apparet, cur « ab alto timeant », qui prospicere in noctem perpetuam vix *possint* et demissa iam in vallem tempestate in extremum terrorem coniecti *incurventur*. Postremo senex tanto horrore mortis proxime imminentis correptus, quantus hic describitur, non apte dicitur ad sepulcrum « ire »; nonne potius iacens exspectabit tempus ultimum? Accedit quod post v. 1 « dies et annos » descriptum iri, nemo non sua sponte arbitratur [1].

Quae cum ita sint, alteram potius explicandi viam ingrediamur, quae est longe plurimorum, tum recentiorum tum veterum Latinorum, quorum nomina enumerat *Pin.* p. 1028. Itaque hic idem « unum et viginti symbola, circumlocutiones et proprias notas senectutis » isto loco proponi censet. In quibus definiendis magna tamen interpretum varietas est. Nos supra breviter significavimus ea, quae maxime sequenda esse ducimus; nunc eadem comparatione aliarum opinionum defendentes probabili aliqua amplificatione magis illustrabimus. V. 1 « dies et anni, qui displicent » initium significant senectutis, cum vitae quoddam taedium non e casu aliquo tristi, sed ex ipsa languescente atque flaccescente aetate, ex virium debilitatione tum corporis tum animi, ex inertia naturali agendique torpore derivatum homini subrepit, videturque hic sibi iam frustra, immo cum suo tantum aliorumque malo hanc terram calcare. Hanc « faecem » aetatis vocat Seneca (ep. 109) : « Quemadmodum », inquit, « ex amphora primum, quod est sincerissimum effluit, gravissimum quidque turbidumque subsidit : sic in aetate nostra, quod optimum, in primo est; quod exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis *faecem* reservemus ». Vinum quoque apte comparaveris tempore acescens vel florem marcidum et emorientem (opp. « flos s. decor adolescentiae »).

Atque haec de « adveniente » senectute (יָבֹאוּ); altero « antequam » descriptio inducitur praesentis, sed per gradus ingravescentis, versiculis tribus. V. 3 imago coeli proponitur die ac nocte nubibus pluviisque obscurati. De tonitruis, de vento, denique de procella nihil, sed dies pluvius vel potius tempus pluvium s. hiemale depingitur (cf. Cant. Cant. 2,11 : « Iam *hiems* transiit, *imber* abiit »). Cum sole lux diurna, cum luna astra nocturna obnubilantur, quia pluvia pluviam excipit. Ergo *imagine* vestitur poetica, quod v. 1 suis verbis dictum est de aetate morosiore, ita tamen, ut haec non displicens s. ingrata solum, sed perpetuis imbribus turbida vocetur. Eadem imagine Isaias (13,9. 10) Babyloni tempora calamitatis atque interitum denuntiat : « Ecce dies Domini veniet... *stellae* coeli et splendor earum non

1. Nec meliora sunt, quae Taylor de *luctu* ac *lamentatione* eius, qui v. 2 mortuus (?) esse dicitur, excogitavit; quae enim illi a procella, haec iste a luctus magnitudine repetit.

expandent *lumen* suum, obtenebratus est *sol* in ortu suo et *luna* non splendebit in lumine suo ». Nec quidquam usitatius, quam tenebris calamitates designari, cf. Ez. 32,7. 8; Iob 29,3; 30,26... Pluvia autem, etsi plerumque apud sacros scriptores (utpote in illis regionibus) salubris habetur, tamen aliquando aliter ponitur, ut Os. 5,10 : « Super eos effundam quasi aquam iram meam »; certe pluvia *perpetua* vel frequens ad *hiemem* spectat omnibus molestissimam. Offertur hic nova ratio, quare non unius diei pluvia optabilis, sed diuturna atque hiemalis sit intelligenda. Itaque *miseriae* extremae aetatis ostenduntur. Sed quoniam in iis, quae sequuntur, singulis metaphoris singulae molestiae significantur, inducimur ad quaerendum, quid solem, lumen, lunam, stellas, pluviam nubesque imaginemur. Licebit igitur, diurna lumina animo, nocturna corpori tribuere. Illius enim intelligentia quasi *sol* lucet, eiusque diffusa in omnem vitam claritas *luci* diei recte comparatur. Corpus autem suum habet splendorem ex animi sapientia transfusum (cf. 8,1); in fronte enim et vultu tamquam *luna* splendet, in sensuum autem cognitione, in habitu etiam motuque membrorum igniculi quidam intelligentiae quasi *stellae* apparent. Nolim hic proprie oculos intelligi, de his enim dicitur v. 3, omninoque proximis demum versibus corporis *partes* singulatim tractantur. Nubes et pluviam faciei animique tristitiam interpretemur; « frontem *obductam* » dicit Horatius, « toto *nubila* vultu » Ovidius, « *nubila* mentis » Statius. Atque haec omnia ne essent quidem singula consectanda, nisi in proximis versibus fieret probabile, scriptorem ipsum allegoriam iam hic minutius persequi.

Errant autem, qui etiam curiosius inquirunt. Iudaei (in Talm., Midr., Targ.) haec fere volunt significari quattuor illis luminibus : animum, frontem, faciei splendorem, oculorum pupulas, *nasum*, *genas* vel earum decorem; quae alii aliter distribuunt. Pluviam iidem *lacrimas*, nubes *cilia* tamquam oculorum opercula dicunt. — Fuit etiam qui cor, cerebrum, viscera sole luna stellis significari putaret; pluviam multi interpretati sunt humores senilis corporis ex oculis, naribus, ore fluentes! Aptius aliis videntur animi variae facultates luminibus notari aut quasi vesper vitae et nox illa describi iam imminens tenebrarum (cf. paullo ante 11,8); pluvias multi hiemem quodammodo vitae *generatim* designare volunt. *Del.* « solem » animi vim (Prov. 20,27 : « Lucerna Domini spiraculum hominis »), « lumen » eius actionem variam, « lunam » animam s. spiritum vitalem, « stellas » (tamquam quinque Babyloniorum Assyriorumque planetas) sensus quinque explicat, « nubes » autem molestiarum varietatem, qua mersi senes vix ullum diem lucidum videant.

In omni huiusmodi enarratione cavendum est, ne ab imaginis proprietate discedatur, quae hic in obscuratione luminum tum diei tum noctis et in perpetua pluvia versatur. Itaque aut 1) in hoc sisti oportet, ut perpetua pluvia hiems vitae dicatur, tempus molestum et iniucundum; aut 2) si quid amplius quaerendum est, *in ipso sene* ostendenda lumina quaedam insignia et aliquid pluviae simile; aut 3) si etiam accuratius, lumina diurna et nocturna separatim comparanda, quia non temere nox addita videtur, cuius obscuratio non solet esse valde molesta; aut 4) etiam sin-

gulis luminibus aliqua consimilia attribuenda itemque pluviae ac nubibus. Primus modus tum satisfaceret, si in ceteris versibus hiemis descriptio perficeretur, v. g. si v. 5 proprie ad hiemem exeuntem atque initium veris pertineret, quo tempore multi moriuntur, et si item medii versus mediae hiemis imaginem exhiberent. Sed id in v. 5, etsi amygdalus floret mense Ianuario, tamen ad reliqua aut vix aut non convenit omnino; nam capparis bacae non dissiliunt aut hieme aut vere... In vv. 3 et 4 nemo facile hiemis indicia inveniat; immo omnia demonstrant, *hominem* ascita aliarum rerum similitudine describi; quare cogimur etiam v. 2 *magis* ad hominis notationem, quam ad hiemis descriptionem referre. Ex quo efficitur, ut primus ille modus non integram offerat explanationem. In secundo acquiescere liceret, nisi in ceteris versibus allegoria esset valde minuta atque accurata. Itaque ad tertium deducimur aut etiam ad quartum. Iam nobis visum est consulto distingui a scriptore diem et noctem. Et quoniam diurnam et nocturnam miseriam intelligere non licet (nam quod senes insomnes gravesque agunt noctes, id obscuratione *luminum* nocturnorum inepte designaretur), eam adhibeamus subtiliorem distinctionem, quae tamen ab hoc scriptore non abhorreat (cf. 8,1), ut lux nocturna, utpote multo tenuior, quidam fulgor sit a diurna derivatus, i. e. ut haec animi lumen, illa eius in corpus quasi refulsio sit. Verum est autem, *generatim* animi lumina obscurari in senibus, etsi sapientia *usu* comparata consiliorumque prudentia maiore utuntur quam adolescentes; sed hic agitur de *acie* ingeniorum, quae paullatim hebescit atque adeo saepe usque ad pueriles ineptias debilitatur. Sequitur, ut ne in corpore quidem aeque cernatur splendor ingenii ac vitae internae vigor. Vitandae tamen in huiusmodi symbolorum explicatione argutiae, quibus non aperiatur, sed exsugatur poesis. Non est sane facile discernere, quo usque pertineat imaginum poeticarum significatio, ut hoc ipso loco dubium videtur, utrum sol a lumine, luna a stellis sit seiungenda ac separatim explicanda; meliusque forsitan sit, bipartito, non quadripartito lucis similitudinem explicare. Porro alia esse solent, quae ad solam imaginis expolitionem, non ad significationem aliquam propriam spectent, ut hoc loco nubes non ausim seiunctas a pluvia interpretari. Illud denique attendendum est, non ea esse ingerenda in scriptorem, quae pulchritudinem novam non afferant (nisi necessitate cogamur), ut in hoc capite nec obscoena consectanda sunt, quod non pauci fecerunt, nec minus honestae corporis partes aut humores, v. g. e naribus fluentes commemorandi, nec medicorum in modum dissecandum corpus humanum, sed ita considerandum, ut poetam et oratorem decet. Atque ad hanc quidem regulam iam reliqua interpretabimur.

V. 3 corporis imbecillitas proponitur, quae contemplantis primum incurrit in oculos : tremor membrorum, incurvatio corporis, dentium paucitas, visus hebetatio. Iam vero tremor in *manibus* potissimum cernitur, quae eaedem, prae ceteris partibus, custodiunt « domum » (i. e. corpus, cf. 2 Cor. 5,1 : « si terrestris domus nostra dissolvatur »); deinde, si cui

videtur, pedes adiungat; at non caput, quod etsi saepe tremit, tamen non est proprie custos domus (*oculi* essent, sed de his infra). « Viri fortes incurvati » de dorso commode accipiuntur; nam pluralis fortasse amplitudinis est, in dorso autem maxime cernitur senum incurvatio. Qui voluerit, ad genua (cf. Iob 4,4; πόδες ἐπίκυφοι LXX 3 Macch. 4,5) descendat; sed non est necesse. « Dentes molere », facilis est multisque linguis usitata metaphora. Solebant autem apud veteres servae molendi officio fungi (Ex. 11,5) et hebr. שֵׁן aliquando feminine usurpatur; latine dentes molitrices minus bene vocantur (molitores autem dicere non congruit veteri consuetudini). Quod dicitur מִעֲטוּ, id plerique intransitive accipiunt : « numero deminuuntur », LXX, *Syr.*, *Hier.*, *Ven.* et maiorem partem recentiores, cf. 10,10 קֵהָה; alii tamen *Chald.* secuti explicant : « paullum operis faciunt » s. « habent » (causativ., non intens.). Parvi interest; sed melius nova aliqua ratio (כִּי) feriandi ex paucitate petitur, propterea quod nunquam peius est homini, quam cum unus alterve dens reliquus etiam ne gingivis et malis ad masticandum utatur, impedit. Quamquam si alterum illud sic explicamus : « quia parum operis facere *possunt* » ob paucitatem et fragilitatem, eadem fere sententia est. — « Spectatrices fenestrarum » oculos (hebr. fem.) omnes fere dicunt, qui partem aliquam corporis designari arbitrantur.

Cast. cum *Chald.* custodes (s. ut ille vult « conservatores ») domus putat esse pedes vel genua, viros fortes brachia; at brachia non incurvantur senibus, sed imprimis custodiunt (יִשְׁמְרוּ) domum; *Talm.* custodes dicit femora costasque, viros fortes pedes, in quibus tamen non ita ut in tergo cernitur incurvatio; *Midr.* illos genua, hos costas vel brachia, molitrices organa digestionis. *Del.* viros fortes intelligit pedes (crura, femora), columnis similes (Cant. C. 5,15), item *Mot.*; at hae ipsae columnae vix incurvantur, sed tantum genuum rigor corpus paullulum inclinat. « Mira », inquit *Pin.*, « interpretum discrepantia in his « custodibus » : nam per omnes corporis partes ac facultates animi vagantur. Et quidem Olymp. intelligebat rationis vires, quae sunt domus, i. e. animae custodes; Moring. vires corporis, quibus corpus custoditur, fulcitur et sustentatur; Dionys. intellectum et voluntatem, qui imperant inferioribus viribus et ab adversis multis custodiunt hominem; Caiet. memoriam, vigilantiam et prudentiam, quae custodiae officio funguntur in homine tutando... ». At horum omnium qui tandem tremor apparet? Aut custodes *trementes* oportet demonstrari, aut nihil explicatur. At quotusquisque veterum est, qui ad rem manifestam attenderit? « Nescio quis alius Hebraeorum », ita Pin. pergit, « animae nutritivae facultates, attractricem, retentricem, concoctricem, quibus hominis vita continetur; Nicol., Victor., Montan., Ferus, Vallesius externos corporis sensus, qui homini nocitura praecavent, profutura asciscunt; noster Cornelius a Lapide oculos potissimum, qui tamquam in specula constituti vigiles agunt custodias totius hominis; Bonav. vult esse omnia corporis ossa, quae hominem suffulciunt; Hier. : Custodes domus, qui ad corpus hominis referunt, costas significari putant, quod ab ipsis intestina vallentur et tota ventris mollitudo servetur; idem placuit Albino et Glossae Interp. et Dionys. in prima sua expositione, Arboreo, Lemnio, Thuano. » Sed satis superque dictum est, unde appareat, quam sit diffici-

lis allegoriae explanatio, nisi quis adhaerescat verbis ipsis scriptoris, non separatis, sed coniunctis; satis item dictum est, unde intelligatur, non omnium esse opiniones hoc loco referendas.

V. 4 aliquanto difficilior est. Nihil refert, quod LXX, *Vulg.* active vertunt סִגְרוּ (piel pro pual). Gravius est, quod יָקוּם in *Vulg.* (item LXX, *Chald.*) ad senis vigilias refertur; sequuntur recentiores plerique, v. g. *Mot.* : « L'homme s'éveille au chant de l'oiseau... Le vieillard dort peu et son sommeil est léger; la voix de l'oiseau le réveille et il se lève de bon matin »; *Del.* idem sic circumscribit, ut senex, etsi non surgat, excitetur tamen e somno. At hac interpretatione in *mediam* allegoriam inseritur oratio propria, quod est *vitium insigne* nec sine necessaria causa attribuendum Ecclesiastae. Idem in proximo inciso notandum, si qui ita intelligunt : « Et cantatrices seni canere desinunt ». Immo *in sene* quaerendae partes vel organa, quae dicantur « surgere ad vocem aviculae et a cantu desistere ». Itaque sic hunc versum interpretamur : « Portae ad plateam » *ostia* sunt in corpore *adverso;* quae necesse erit intelligere claustra oris sive labia, ut Iob 41,6 rictum Leviathan claudunt דַּלְתֵי פָנָיו. Qui « aures » interpretantur, non satis attendere videntur illa verba « ad plateam », nec hoc, sequi » בִּשְׁפַל ק", quo additamento aut ratio affertur, quare clausa videantur ostia, aut saltem res *proxime coniuncta* enuntiatur. Nos dicemus : amissis dentibus labi et concidere circa gingivas labia, quae alias dentibus distinentur et protenduntur; eo autem simul effici, ut sonitus molae, i. e. quicunque sonus prodeat senili ex ore, minus distinctus atque ita obscurior sit, cum dentibus non iam articulatim efformetur. Altera quoque versus parte duo enuntiantur valde finitima et coniuncta : ascenditur ad vocem passeris, i. e. in *posteriore* s. interiore oris parte, in faucibus et larynge ita vox extenuatur et acuitur, ut avicularum aliquando sonos edere homo videatur, ubi ad decrepitam aetatem devenit. « Vox enim senum », inquit *Hermann* in Physiologia (1879-81) I. 2 p. 89, « tenuis est et instabilis, quia, ut infantibus, sic illis musculi non eandem vim firmitatemque suppeditant, quam adolescentibus » et idem p. 109 : « Ut Rossbach testatur, acuitur plerumque et attollitur vox virorum senum, deprimitur mulierum...; aetate progressis vox sonorum non modo vi et iucunditate, verum etiam amplitudine destituitur ». Consequitur igitur, ut multo sit minor canendi facultas subsidantque (cum musculis faucium et pectoris) ligamenta vocis. — Subiectum verbi יָקוּם indefinitum est : « surgitur », vel fortasse melius oris structura (« mola ») loquendique instrumentum totum intelligitur, quod sic contrahitur vel mutatur, ut vox fiat et tenuior et acutior. בְּנוֹת הַשִּׁיר aut sunt varia cantus genera (Aq. πάντα τῆς ᾠδῆς) et paene idem ac שִׁירִים, ut בַּת־צִיּוֹן idem est ac צִיּוֹן; aut quia cetera omnia de oris partibus sunt (et quia שִׁיר est generis masc.) ipsa organa canendi rectius dicuntur « filiae cantus »; nam in recentiore quoque hebraismo Musae

tamquam cantatrices isto nomine appellatae sunt; cf. Ps. 89,23 : בֶּן־עַוְלָה = filius iniquitatis = is qui *facit* iniq.

Ostia ad plateam clausa non pauci « aures » esse dicunt; surditas enim valde propria est senectutis, crassiore iam membrana tympani nervoque auriculari nisi graves sonos non sentiente. *Gr.* haec habet : « Porta utraque clauditur in foro » vultque intelligi, ne fori quidem strepitu senum aures excitari nec « multiplicato (*Gr.* vocem mutat) molae s. molarum sonitu » ; toto enim versu ea dici, quae ad auditum pertineant. Sed hoc ipsum ita demum verum est, quod de *sonis* agitur, sed proprie eae partes describuntur, quae sonos *efficiunt*, non quae accipiunt; nam allegoria omnis dissolvitur, si senex surgere ad cantum galli, negligere cantatrices, non audire molarum strepitum aut fori turbas dicitur; atqui ipse quoque Gr. vv. 3 et 5 (saltem partim) allegoricos esse vult. *Del.* molae sonitum negat ad loquentis vocem spectare, sed agi dicit de obscuro sono aegre ac lente masticantium. At quia non molarium, sed molae strepitus ponitur, soni intelliguntur *oris*, in quo quasi habitant molitrices, non tantum maxillae atque gingivae. Et pulchrius est certe de omni sono oris, quam de masticationis labore verba accipere, praesertim cum sic ianuarum quoque occlusionem minus anatomice liceat interpretari : simul enim intelligitur, *sermonis* consuetudinem *communionemque* cum aliis hominibus deficere. Idem ille male pergit explicare *vigilias* senum; quid enim hoc habet commune cum iis, quae praecedunt, vel cum iis, quae statim de *taedio cantus avium* (2 Sam. 19,36) explicat? — *Cast.* « portas » vult esse sensus omnes, imprimis aures, praeterea facultatem mutuae communionis, cuius sint instrumenta auditio et locutio. De molae sonitu sic ait : « LXX, *Vulg.*, *Pesch.*, *Talm.*, *Targ.*, *Raschi*, *Rosenm.* [alii quoque non pauci!] intelligunt, aviculae alicuius vocem sufficere, ut dormiens excitetur senex, cuius sit somnus levis et interruptus; ego autem cum meliore sententiae continuatione [id quidem rectissime !] ita explico : vocem seniculi aegre *tantum* audiri, *quantum* aviculae cantum tenuem, atque ita *Ew.*, *Hitz.* [*Zoeckl.*, *Bick.*]. » Sed idem Cast. ultimum incisum de *aliorum* cantu seni ingrato interpretatur. — Veterum Latinorum opiniones v. apud *Pin.* p. 1036 sqq. *Hier.* ita scripserat : « Aliter : Clausas in plateis ianuas infirmos senis gressus accipi volunt, quod semper sedeat et ambulare non possit. Humilitatem autem vocis molentis de mandibulis interpretantur [pronuntiavit טוֹחֲנָה, ut paullo ante, quia טַחֲנָה est ἅπ. λεγ.], quod cibum terere nequeat et vix spiritu coarctato vox eius tenuis audiatur. Porro consurgere eum ad vocem volucris, ostendit, quod frigescente iam sanguine et humore siccato, quibus materiis sopor alitur, ad levem sonitum evigilet noctisque medio, cum gallus cecinerit, festinus exsurgat, nequaquam valens strato saepius membra convertere. Obmutescere quoque sive, ut melius habet in hebraeo, surdescere [curvari, deprimi] filias carminis, aures significat, quod gravior senum auditus fiat et nulla inter voces valeant scire discrimina nec carminibus delectari ». — Iudaei (Talm., Targ., Midr.) explicarunt « ostia » exitus minus honestos corporis, molae sonitum stomachi digestionem; Targ. tamen prius proprie de domus ianuis interpretatur : « Pedes tui quasi vincti erunt nec foras exire poterunt ». Sed haec hactenus.

In v. 5 multo maior etiam est interpretandi difficultas. Principio statuendum puto, senis *ambulationem* quandam describi; huc pertinet horror locorum editorum, formidines circa viam, denique הֹלֵךְ הָאָדָם אֶל, i. e. pergens est homo ad... Nec est alienum, post reliquam corporis descriptionem

etiam *motionem* aliquam senis designari, praesertim cum et vita hominis ifer dici soleat et mors transitus, et praeterea senectutis debilitas in motu potissimum appareat; nemo enim non misericordia afficitur, cum senem videt umbrae vel etiam spectri similem repentem viam suam. Quae sunt in medio v. 5, ea in eandem sententiam, si fieri poterit, erunt explicanda, id est, ita, ut senex foras egressus comparetur iis rebus, quae *in viis vel ad vias* cerni solent habentque similitudinem cum habitu senis praetereuntis. Et sane posse ita explicari videntur; nam « amygdalus », quae vel albos fert flores, vel subrubros postea mutat in albicantes et, dum floret, fronde caret, senis similitudinem habet maximam, praesertim cum extremo floreat mense Ianuario, hiems autem in Palaestina soleat mensibus Ian. et Febr. esse valde molesta. Itaque canus senum capillus, deleto omni formae decore, « hiemis » adiuncta cogitatione, prorsus amygdali speciem oculis offert. Cum arbore autem homo, quando erecto corpore et foris cernitur, bene comparatur; licet etiam fingere senem amygdalum praeterire. Est autem valde probabile יִנָּאץ significare « florebit s. floret »; nam a נוּץ = נָצַץ est הִנֵּצוּ Cant. C. 7,14 cuius formae futurum est יִנֵּץ, sonatque emicare, florere; quod autem א interpositum est, cf. קָאם Os. 10,14. Recte igitur habere se videtur et punctatio masor. et plurimorum tum veterum tum recentiorum interpretatio.

Sequitur « locusta impinguata ». Testis est hic *Wetzstein* (apud Del. p. 446 sqq.) locustas novellas in Palaestina extremo mense Februario e terra prorepere, deinde brevi crescere et impinguescere. Iam vero repentes locustas crassiores, adhuc alis carentes lentitudine potissimum senis ingressus imitatur (accedit, quod tumor tum ventris tum pedum est admodum usitatus senibus, pectus contra labitur ac subsidit). Verbum סָבַל sonat « tollere, portare, etiam utero gestare »; itaque in coniug. Hithp. recte explicatur : « se onerare ». Locusta igitur onerata s. crescens tarde repit, senex item quasi onusto et partim revera tumido corpore languidiorem trahit gressum. Ad incessum enim omnia videntur referenda, et congruit, quod locusta in via agroque serpit. Wetzstein (l. c.) non censet optime verti « impinguari » (Vulg.) vel παχύνεσθαι (LXX), sed melius « crescere » (Syr.) et hanc affert rationem sane probabilem : quod in Palaestina multis saeculis valuerit opinio, septem esse dies senibus maxime funestos, quattuor extremos mensis Ianuarii et tres Februarii, qui dies hodie vulgatissimo nomine eijam el- agaiz, i. e. dies senum appellentur; iam vero locustas illis diebus e terra prorepere et *paullatim crescere;* post id tempus repente ver incipere et periculum moriendi desinere esse propinquum, *antequam* illae omnino *pinguescant*. Quae cum ita sint, licebit dicere : « ingravescit locusta », qua voce minus distincte pinguedo magisque tumor tantum aliquis et, id quod maximum est, gravitas, quae *tarditatem* motus affert, significatur. Non enim nimium de tumescente senis corpore cogitare poeticum est, sed de tarditate incessus. Nec illud in verbo סָבַל necessario

dicendum est esse praecipuum; *Del.*, etsi locustam aliter explicat, verbum reddit : « trahit se laborioșe, aegre movetur ». Wetzstein quoque censet, prorepentes potissimum e terra (« se attollentes ») locustas ob oculos poni. Ergo aut hoc unum tenentes vertemus : « locusta se moleste attollit » — et similitudo erit in motu tardo locustae, — aut veteres secuti non primos illos dies, quibus nascuntur, sed posteriores, quibus crescunt, locustae intelligemus, vertemus autem « ingravescit », qua voce et motionis tarditas et secundarie tumor atque tempus vernum, senibus perniciosum, significatur. Itaque tumor, etsi aliqua ex parte similitudinem complet, tamen non est id, quod maxime et proprie comparatur : itidem nec in amygdalo nec in locusta *hiemis* notio nimis premenda est, quippe quae in tertio simili, in cappari excludatur. Sed omnia ad ingressum senis decrepiti et iam ad sepulcrum delabentis pertinent.

« Capparim » (s. fruticem s. bacam) interpretandam esse אֲבִיּוֹנָה, interpretum veterum Rabbinorumque testimonio constat. Verbum additum פָּרַר (cf. פּוּר) sonat « diffindere, rescindere, dissipare », etiam in coniug. hiphil; hic quia obiectum non additur : « dissipationem facere ». Id proprie de ruptione bacarum maturarum et granulorum dissipatione intelligo, quae sit similis dissolutioni corporis senilis, cum ad summam aetatis maturitatem pervenit iamque appropinquat sepulcro. Scriptor senem vitae iter extremum facientem contemplatus, cum summam videat fragilitatem proximamque morti maturitatem, in cogitationem inducitur (ut modo amygdali florentis et locustae aegre corpus trahentis) sic nunc capparis deficientis, i. e., non iam in sua integritate consistentis, sed dehiscentis ac dissilientis. Quod etsi nec hieme nec vere fit, tamen non inepte poeta cogitatione transfertur ad hanc tertiam similitudinem; ipso iam ineunte vere senex ut fructus maturus dissolvitur.

Atque cum hac explicatione congruunt, quae ante (init. v. 5) dicuntur. In senis enim ambulatione primum cernitur magna cautio ac timiditas : « timentur edita », i. e. non colles tantum, sed etiam salebrae et lapides et si qua sunt similia ambulationis impedimenta; item undique « formidines circumstant viam », quia, si qui currus, si viatores occurrunt, difficilis fit declinatio; immo si qui ramus arboris, si qua spina impedit, molestum est ea avertere vel circumire, si qua fossa vel lacuna viam intercidit, nequit transilire. — Consulto verti : « timentur », etsi hebr. est « timent » s. « timebunt », ne senes cogitentur verbi subiectum; id enim perturbat allegoriam et orationem *propriam* inducit. Subiectum indefinitum est : eo tempore timent *homines* edita (Mot. bene : « On craint »), prorsus ut in ceteris et ante et post *alia* sunt subiecta, usque dum eo pervenitur, ut explicatio addatur allegoriae : « pergit homo ad sepulcrum ». Quod neminem fere video attendisse, cum tamen sit in huiusmodi interpretatione momenti non levis, ne perpetuitas translatae orationis dissolvatur pereatque vis poetica.

In hunc igitur modum, i. e. timido incertoque gressu perambulans, se-

nex ob capilli albedinem et decoris externi privationem amygdali speciem offert spectantibus; idem repere locustae in morem ingravescentis videtur et cappari, quae iam iamque dissipabitur, comparatur. Capparim recte dixeris bacam, quae ipsa dissipatur; sed quoniam forma hiph. (« dissipationem facit, adducit ») melius convenit frutici, qui vi insita bacas diffindit, et quoniam frutex integer cum amygdalo et locusta aptius componitur : rectius, opinor, capparim ipsum fruticem intelligemus, qui, omnibus bacis dissilientibus, vastationis imaginem prae se fert. Accedit, quod bacae crepantes saporem illum acrem, cuius causa appetuntur, amittunt. Id quoque in senem cadit, qui vigore et suco careat. Nec alienum est a similitudine senis decrepiti, quod capparis, et frutex et baca, aculeis aspera est habetque aliquid molesti, ut in amygdalo stirpis nuditas, in locusta corporis forma ingrata. Ergo in omnem partem apta est senectutis descriptio et per suos etiam *gradus* idonee proposita.

« Atque ista est », inquit Eccles., « species hominis euntis ad domum aeternam iamque circumeunt in platea lamentatores », i. e. mors proxime instat paratosque se offerunt, qui vel consanguinitatis, affinitatis, vicinitatis causa vel mercede conducti mortuum lamententur. Iste mos pro *mercede* lamentandi, etsi in sacris litteris non ipsis verbis commemoratur, tamen vix esse dubium potest, quin, ut apud ceteros antiquos, etiam apud Hebraeos viguerit; suntque verba Ecclesiastae eiusmodi, ut aptius videantur lamentatores intelligi *alieni*, « in plateis » quodammodo vagantes et mortem exspectantes.

Sed in hoc versu incredibilis est interpretum dissensio de iis, quae in medio dicuntur. Hier. in comm. sic ait : « Ardua ingredi non valebunt et lassis poplitibus ac trementi vestigio etiam in plano itinere fluctuantes, offensam gressuum formidabunt... » Haec de initio; pergit autem ita reliqua enarrare : « Per metaphoram etiam nunc de membris hominis Ecclesiastae sermo est, quod, cum senectus advenerit, *capillus* incanuerit, tumuerint *pedes*, *libido* refrixerit et homo morte fuerit dissolutus, tunc revertetur homo in domum aeternitatis suae, sepulcrum, exsequiisque celebratis plangentium funus turba praecedet. » Recte quasi proprium versum priora separat; nam prorsus intolerabile est, quod plerique recentiores faciunt, tam diversa in unum versum coniungere; aut igitur separanda sunt, aut aliter explicanda. Atque hoc alterum sine dubio praestat. Nam coepta semel senis ambulantis descriptio non interrumpenda fuit, ut deinde, quod ante factum est, rursum de *membris* hominis dicatur idque *eadem ratione*. Multo sane aptius est *ambulantem* senem ob oculos poni, postquam semel quasi in via est positus, atque ita descriptionem corporis absolvi. Sed manifestum est, hic non tam membra singula, sed *speciem universam praetereuntis* per viam salebrosam vitae extremam, depingi oportere (הֹלֵךְ אֶל־בֵּית־). Nihil igitur huc pertinet de refrigescente *libidine*, ac per se quoque turpissima est capparis comparatio, si in hanc sententiam explicanda est, quod longe plurimi volunt, sive similitudo in forma bacae aculeatae ponitur, sive in irritatione libidinis, quam eius propriam dicunt. Etenim cum per se sit minime poeticum tam crude inhonestas corporis partes aut veneris commotionem significari, tum hic in descriptione ambulantis ineptum est, et ne congrue quidem pro *indicio ultimo decrepitae senectu-*

tis ponitur exstinctio libidinis, nisi de libidinosissimo homine agatur. Pergit *Hier.* : « Florem autem amygdali, quem nos pro canis posuimus, quidam sacram spinam interpretantur, quod decrescentibus natium carnibus spina [infima, inter coxas] succrescat et floreat ». Sed nec verbum florendi quadrat, et est huiusmodi corporis descriptio anatomica profecto curiosior minimeque pulchra. De « locusta » autem Hier. : « Ambiguum est; potest et talus et locusta transferri... ambiguitas verbi per etymologiam eius indicat senum crura tumentia et podagrae humoribus praegravata... In eo vero, ubi nos habemus « capparim », in hebraeo habet « abiona », quod et ipsum ambiguum est, interpretaturque amor, desiderium, concupiscentia vel capparis ». Item amygdalum etiam « nucem » sonare dicit, ut in tribus vocabulis *ambiguitas* sit atque obscure significentur corporis membra. At hanc ambiguitatem demonstrare difficile est; quae licet ad posteriorem consuetudinem Orientalium satis convenit, tamen nec in sacra Scriptura frequentatur, nec, ut explicant, hoc loco idonea est. — Vertendo Hier. ea bene expressit, quae sunt in hebr.; itaque iam in comm. prima verba aliter atque LXX reddit, qui falso verterant : εἰς τὸ ὕψος ὄψονται (= יִרְאוּ; idem in multis codd. hebr., sed falso); nec scripsit « ivit homo » (LXX ἐπορεύθη = הָלַךְ), sed « ibit », quod est certe rectius. Nec Symmachum secutus est, quem ita interpretatum dicit : « Super haec etiam de excelso videbunt, et terror erit in via, et obdormiet vigilans (partic. שֹׁקֵד), et dissolvetur spiritus fortitudo » (? ubi locusta?). — *Chald.* « edita timent » mire ad praeteritorum recordationem, deinde « formidines » ad acervos lapidum ac similia pedum impedimenta, amygdalum ad spinam macie eminentem (similiter Midr., Talm.), locustam ad pedum tumorem, capparim ad libidinem, plangentes ad angelos hominis iudicium scribentes accommodat. *Syr.* partim illam ambiguitatem consectatur : germinantem amygdalum interpretatur altera *addita* sententia : « emanabit super illum vigilia » (cf. modo *Symm.*), dissipatam autem capparim : « et cessabit malitia » s. « miseria » ; quod medium est, simpliciter vertit : « et multiplicabitur (s. crescit) locusta ». Apparet non maiorem esse inter veteres, quam inter recentiores consensionem.

Inter posteriores non pauci tria illa obscoene explicant, alii saltem duo. Fuerst, qui eandem viam iniit, hoc habet proprium, quod pro locusta arbustum substituit, solanum pomiferum spinosum, quod quidem ad amorem referri solitum sit; prius facile persuaderet, si aliquid afferret probabilis argumenti, quoniam sane inter duas arbores apte arbor (pro locusta) interponeretur; nunc et illud sola coniectura nititur et hoc tanto improbabilius est, quod plus semel significari exstinctionem libidinis profecto intolerabile est. Valde diversa excogitata sunt, quare amygdalus, locusta, capparis ad venerem viderentur spectare, sed, ultima excepta, *nihil* vere probabile; ac ne in hac quidem, si *Del.* audias, quidquam argumenti ex antiquitate afferri potest, certe autem, ut vidimus, ea comparatio ab Ecclesiaste aliena esse censenda est.

Alii hac relicta via ad *cibi taedium* omnia illa tria referunt; volunt repudiari a sene fructus amygdali, locustas, capparis bacas. Itaque in primo pro יִנָּאֵץ, ut veteres omnes pronuntiarunt, יִנָּאַץ vel יִנָּאֵץ legentes de fastidio interpretantur; et hoc quidem satis probabiliter, minus autem in locusta et exquisitum saporem excogitant et verbum יִסְתַּבֵּל explicant : « molesta erit ». Omnino autem hoc cibi taedium ter enuntiatum non satis consentaneum est nisi in guloso sene, nec ad prima versus incisa convenit. Praeterea poetica allegoria destruitur. Similia obiici possunt, si quis velit *medicamenta* intelligere nescio quae, quorum vis in sene deficiat; nec enim satis probabilia dici posse videntur nec ipsa interpretatio eam habet pulchritudinem, quam hic desideres. — *Del.* amygdalum de canitie, locustam de infima

spina coxisque (ut multi amygdalum, v. supra), capparim de cibi fastidio explicat: *Zoeckl.* pro locusta cicadam (?) vertit, cuius cantus motusque seni incommodet, item *Cast.; Hahn* capparim vertit « miseram » vultque animam intelligi, quae e corpore, ut e gemma flos, emergat; Wetzst. « vitam miseram », Symm. τὴν ἐπίπονον, Syr. « malitiam, miseriam ».

Sed satis superque dictum est. Hoc unum addere placet : veteres interpretes et Latinos posteriores *spiritualem* sententiam saepe vel solam vel primo loco proponere, idque ab ipso initio allegoriae, quo in genere accommodatio ad *mundi finem* ultimumque iudicium (id maxime *Thaum.* exsequitur, sed etiam *Hier.*) e descriptione senis emorientis non incongrue deducitur. Postremo notare iuvat, quot totius loci interpretationes Pineda recenseat : « De rebus et statu Hebraeorum ante et post captivitatem — de mundi consummatione et Antichristi rebus — de vita bene instituenda ante mortem, vel ante quamlibet vitae difficultatem et aerumnam divinitus immissam, cum nemo operari amplius poterit — de conditione hominis moribundi et certis mortis signis et praesagiis — de cuiusque morte et extremo spiritu — de senectute et extremae aetatis incommodis — de *praematura* senecta ex intemperante adolescentia et immoderato veneris usu ». Ad quas recentiora tempora alias addiderunt, quas hic praetermitto.

Versus sexti summa sententia evidens est : sed quaeritur, quid proprie designet nova allegoria. Itaque ad viae modo descriptae finem homo pervenit; iamque tertio « antequam » ipsa *mortis figuratio* inducitur. Figura duplex est : lucerna humi decidens, situla vel rota in puteum delapsa. Prior ob *lucis* speciem ad *vitae* exstinctionem pertinere dicenda est, altera ob *motum* reciprocum ascensionis ac descensionis magis proprie ad *aspirationis* cessationem spectat; in priore igitur ruptio funiculi separationem animae s. animi, unde vita omnis pendet, significat, in altera confractio situlae rotaeque dissolutionem eorum organorum, quibus motus vitalis in corpore perficitur.

Ultra inquirere nihil opus est, nec ita facile definiri posse videtur, quo singula spectent. Nam funiculus ille argenteus ipsum *animum* insertum corpori non secundum *omnia* designat, quia in lampade funiculus non est pretii maioris — animus autem profecto corpori praestat — nec a funiculo est proprie vis lucendi; accedit, quod lampas aurea dicitur, at funiculus argenteus. Vicissim ipsa lucerna non comparatur animo; nam decidens rumpitur, ille autem evolans servatur. Itaque dicendum est, universam imaginem ad animi corporisque compositionem pertinere, quae morte dissolvitur : « lucerna cadens frangitur atque exstinguitur ».

Verbum additum funiculo sonat « removeri, resolvi », secundum qeri (יָרַתַּק) multi et veteres et recentiores reddunt « rumpi, discerpi » ; fortasse explicari debet « vi constringi, ligari, contorqueri » ; quidam vocem mutantes eandem illam « rumpendi » vim exquirunt. — Verbum autem additum lucernae plerique explicant « frangi »; nec tamen prorsus reiicienda est altera notio « decurrendi », praesertim si superius accipitur de « constringendo » s. « contorquendo », v. infra.

Situlae, rotae, puteo distinctas attribuere notiones iudico non necessarium : structura tota corporis viventis destruitur. Putei quidem s. cisternae mentio sua sponte sepulcrum denotat, in quod corpus delabitur, praesertim cum hebr. dicatur « in puteum » (אֶל־), non, ut est in Vulg. « super cisternam » ; at rursum, quia aqua ex pu-

teo hauritur, sepulcri comparatio omnino deficit. Quae cum ita sint, ab uberiore explicatione abstineamus.

Hier. pro catillo s. lampade habet (etiam in comm.) « vittam », ut LXX ἀνθέμιον, i. e. ornamentum summis columnis circumdatum, deinde pro situla « hydriam ». Hoc alterum non multum differt videturque hebr. כַּד omne vas hauriendae aquae aptum denotare; sed prius illud omnino tollit lucernae comparationem substituitque ligamenti argentei et ornamenti aurei similitudinem. Audiamus explicationem : « Funiculus argenti candidam hanc vitam et spiramen, quod nobis de coelo tribuitur, ostendit. Recursus quoque [רוּץ usitate de cursu ponitur] vittae aureae animam significat, quae illuc recurrit, unde descenderat. Porro duo reliqua [ergo hic quoque duo, non unum intelligit], quae sequuntur, contritio hydriae super fontem et confractio rotae super lacum per metaphoram mortis aenigmata sunt. Quomodo enim hydria, quae conteritur cessat haurire, et rota, per quam de lacu et puteis levantur aquae, si confracta fuerit, vel ut LXX interpretes voluerunt, in suo funiculo convoluta [συντροχάσῃ], aquae usus intercipitur : ita et cum funiculus argenti fuerit interruptus et animae rivus recurrit ad fontem, interibit homo ». LXX eo quoque differunt, quod pro recurrendi verbo habent συντριβῆναι (« frangi » a רָצַץ, metaplastice), item recentiores solent explicare. Ergo Hier. quoque duo symbola ad animi discessum, duo ad corporis interitum refert, sed *quatuor* vult esse comparationes diversas. Quod autem גְּלָה « vittam » reddit, sequitur 1 Reg. 7, 41 sq.; 2 Chr. 4,12; nec multo aliter verterunt, ut LXX, sic etiam *Symm.*, *Syr.*, *Chald.*; qui omnes ornamentum columnae videntur intellexisse.

Sed alio loco (Zach. 4,2. 3) eandem vocem Hier. ipse reddit « lampadem »; videtur enim גְּלָה ductum a גָּלַל primigenia vi « aliquid rotundum » designare, ut et ad columnarum ornamenta et ad vasa lucernarum possit referri. Evidens est autem, quam pulchre funiculus argenteus cum « lampade » aurea iungatur ad efficiendam speciem candelabri pretiosi. Quam explicationem magno consensu recentiores amplexi verbum additum a רָצַץ derivant, cuius niph. paullo post ponitur : נִרְצָץ, et ne mutari quidem vocalem (kibbuz in cholem) necesse est, quia saepius hoc idem verbum formas a רוּץ mutuatur. Quodsi de « lampade » dubitatur, nihil relinquitur, nisi ut duas statuamus comparationes separatas : funiculi pretiosi et vel vittae vel mali (Syr.) vel globi pretiosi. Sed pulchrius utrumque iungitur, et sua sponte funiculus rem ex eo pendentem in mentem inducit, atque ille Zachariae locus satis probare videtur, גְּלָה sonare vas candelabri. — Item duo reliqua symbola in unum facile coalescunt, si hydriam s. situlam iunctam rotae fingas, id quod sua sponte offertur; nam rota non haurit aquam, sed vas aliud ei appensum. Quamquam alii « hydriam ad fontem fractam » et « rotam in puteum deturbatam » distinguunt, et sunt sane haec utrimque ita integre et varie enuntiata, ut species diversitatis efficiatur. Nihilominus ob

rationem modo propositam et coniunctae explicationis pulchritudinem illud prius praeferendum videtur. Quod autem bis destructio significatur, et situlae et rotae, cum alterum satis sit ad machinam disrumpendam, et quod praeter fontem fovea (puteus) ponitur, et quod post עַל־ deinde אֶל־ usurpatur : haec omnia eo pertinere arbitror, ut universae machinae (corporeae) plena disturbatio et in imum deiectio gravius enuntietur; ob eandem fortasse rationem *hic* verbum « frangendi » passivo genere adhibetur; lenior enim est animi a corporis discessio (in priore inciso), quam structurae corporeae confractio et disiectio; illic exstinctio cernitur luminis, hic quasi aedificii cuiusdam eversio ac ruina. Saepe vidimus inusitata verborum copia Ecclesiasten rei gravitatem significare.

V. 7 propriis verbis (ut v. 5 exstr.) indicat, quo allegoria pertineat : quod e pulvere ortum est, in pulverem redit, ut machina putealis et candelabrum; quod autem originis divinae est, id ad Deum, qui « dedit » illud, redit. Quoniam vero coelestem animi vitam Eccles. descripturus non est, sed hanc terrestrem miseriam, ideo vanitatis deploratione, unde librum exorsus est, eadem concludit.

Addo haec, ut amplius cognoscatur opinionum diversitas : LXX, *Syr.*, *Chald.* in ultimo inciso « currere » dicunt rotam ad cisternam; ante idem verbum reddunt « confringi ». *Ven.* melius utroque loco alterum habet, item, dum גֻּלָּה reddit « fontem », propius accedit ad id, quod supra proposuimus. « Rumpi » vel solvi funiculum omnes, excepto *Chald.* Hic symbola, multum discrepans ab Hier., sic interpretatur : « Antequam obmutescat *lingua* tua, ut non loquaris, et confringatur *cerebrum* tuum in capite tuo et confringatur *fel* tuum in *iecore* tuo et recurrat *corpus* tuum ad *sepulcrum* ». *Midr.* funiculum *dorsi medullam*, vas olei calvam cerebrumque vel *gurgitem*, situlam *alvum* intelligit. — Latini veteres item in omnem partem se vertunt, ut symbola ad aliquas corporis partes accommodent, cf. *Pin.*, qui omnino huius capitis interpretationes copiosissime enarrat p. 998-1071.

Ex recentioribus, ut aliqua exempli causa afferam, *Zoeckl.* funiculum « filum vitae » dicit, lampadem *corpus* sanguine tamquam oleo refertum, situlam *pulmones*, rotam ipsam *naturam viventem* (cf. « rotam nativitatis » Iac. 3,6), fontem et cisternam *aera*, unde hauriatur spiritus. Idem Zoeckl. (p. 210) multa ac mira aliorum commenta affert, velut : *vas aureum* esse vel cerebrum vel cor vel etiam fel vel denique circuitum sanguinis; *situlam* esse vel venam aliquam arteriamve, vel iecur, vel lympham vel denique stomachum. Prudentius *Del.* funiculum argenteum *medullam spinalem*, vas aureum *caput cum cerebro*, rotam et situlam de « *aspirandi apparatu* »; puteum de *sepulcro* explicat; sed in primis symbolis ratio nulla habetur lucis, quae omnino ad animum videtur pertinere. Profecto si Eccl. destructionem lampadis mortis symbolum esse voluit, in hac praecipuum est exstinctio luminis, quae non tam in laesione medullae spinalis et cerebri, a quo omnino rarius senum obitus repetendus est, consistit, sed potius in animi a corpore discessu. Pridem idem ille funiculum intellexerat animam s. vitam, lucernam corpus animatum, aurum, i. e. oleum aureum animi vim. *Cast.* funiculum spinam dorsi, globum (= גֻּלָּה) cerebrum dicit unde porrigitur; cetera distincte interpretari dubitat, sed situlam rotamque structuram corporis, quae destruatur, explicat. Permulti sunt recentiores, qui huius versus symbola accurate enucleare non conentur, idque satis recte, prae-

sertim si duae illae imagines pulcherrimae (candelabri pretiosi et machinae putealis) agnoscuntur; hae enim omnino sufficiunt habentque generatim explicationem optimam. Sed ut modo Cast. priorem solvit, ita *Gr.* utramque : funiculum et « globum » duo animi instrumenta dicit, illum vel cor vel linguam, hunc vel caput vel cor, rotam autem (quae ab aliquo interprete in *Midr.* gleba vocetur) corpus, quod ruat in sepulcrum; hydriam vult tantum ad illustrandam comparationem globi additam (!) et legendum esse כִּכַּד. — Sed eo *fere* modo, quo nos, duas illas comparationes explicant inter recentissimos interpretes *Zoeckl.*, *Del.*, *Mot.*, *Bick.* Quodsi quem moveat, quod frangi lampas *aurea* dicatur, licebit intelligere « quassari », ut de calamo infracto verbum רָצַץ transtulit Hier. Is. 42,3 (cf. ib. 4), idque etiam aptius ipsam mortem senis plerumque leniorem significat : « *dissolvitur* funiculus, et quasi *collisum conquassatumque* concidit candelabrum aureum »; postea demum corporis structura omnino disrumpitur et vitae organa franguntur.

EPILOGUS.

Superest, ut de epilogo agatur, de quo non levis disceptatio est. Sunt autem verba huiusmodi :

12,9 « *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et enarravit, quae fecerat, et investigans composuit parabolas multas* »; v. 10 « *Quaesivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos* »; v. 11 « *Verba sapientium sicut stimuli et quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno* » (v. infra); v. 12 « *His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis, frequensque meditatio carnis afflictio est* »; v. 13 « *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time et mandata eius observa, hoc est enim omnis homo* »; v. 14 « *Et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit* ».

Disceptatur igitur, hic epilogus ab ipso scriptore libri, an ab alio sit additus. Disputationem enim v. 8 concludi atque absolvi evidens est; reliqua ad auctoris librique commendationem pertinent. Vestigia manifesta manus alienae non sunt, et vv. 12-13 eam habent sententiam, ut saltem credibile sit, ipsum Ecclesiasten hac clausula usum esse. Itaque hoc primum sumentes singula studeamus explicare. Positum est v. 9 rursus magna cum gravitate nomen Koheleth, quod hic in libri fine non fuit absonum distinctius ab ipso auctore explicari; quia enim ratio insoliti nominis in tali scriptione, qualem hanc esse cognovimus, alia fingi facile non potest, nisi ut interim illa nova appellatione maior disputationi *auctoritas* artificiose concilietur, consentaneum fuit et poetice decorum in extremo opere quasi ad veritatem rediri, praesertim cum *Salomonis* persona novum pondus addat rebus tractatis. Ergo ille « rex super Israel in Ierusalem » 1,12 et, si inscriptio libri auctoris est, ille « filius David rex Ierusalem « 1,1 (quem per reliquam disputationem paene obliti sumus) nunc magis

proprie designatur, et quodammodo solvitur aenigma; non quod vera fuerit in ea re obscuritas, sed quia *forma* usurpata est aenigmatica; nunc autem distinctius dici de Salomone vim affert orationi universae. Appellatur igitur sapiens et sapientiae doctor, proverbiorum tum inventor tum scriptor, quae omnia Salomonis personam optime describunt. Quod autem ipsum nomen non ponitur, non debet mirum videri; nam in huiusmodi sui ipsius laude conveniens fuit illud omitti, servaturque aliquo modo idem tectae secretaeque dictionis genus, quod adhuc usurpatum est ac nescio quid iucunditatis habuit. Notandum est etiam, excepto uno loco, in quo erat ratio gravissima, cur prima persona verbi voci Koheleth adderetur (1,12), ceteris positam esse tertiam; quam hic retineri consentaneum fuit. Quae cum ita sint, versus primi ita comparati sunt, ut et argumento et orationis forma congruant ipsius libri scriptori. Accedit, quod vox Koheleth bis repetita hic quoque significat, quanti ille fecerit, eius proprietatem intelligi. Nec in Salomone immodestiae fuit, ita, ut hic facit, se ipsum laudare, quippe cuius sapientia divinitus concessa praedicaretur etiam ad exteras gentes.

V. 9 אזן alii, ut *Aq., Syr., Chald., Ven.,* verterunt « attente audivit », *Hier.* et veteres interpretes Iudaei « *audire fecit, enarravit* »; ille in comm. addidit « eos », i. e. populum, in Vulg. autem addidit « quae fecerat », i. e. proverbia a se composita (LXX duo verba pro nominibus interpretantur : καὶ οὖς (!) ἐξιχνιάσεται κόσμιον (!) παραβολῶν); nunc *expendendi* vim eidem radici tribuunt (unde מאזנים — « lanx » dicitur), idque sententiae convenit. V. 10, ubi Vulg. habet « conscripsit sermones rectissimos », in hebr. est « scriptionemque rectitudinis »; item v. 11 pro « quae — consilium » ad verbum reddas « domini collectionis », qua locutione, ut arbitror, proverbia, modo *stimulis ob acumen, clavis defixis ob vim insitam* collata, amplius *viris in acie consistentibus ob firmitatem compositionis* comparantur (« domini collectionis » = viri fortes collecti; de quo paullo infra). Nam effata sapientium acuta movent impelluntque animos, eadem haerent penitus defixa mentibus, denique collecta in librum aliquem aciei similia sunt hastis horrenti. Hieron. : data sunt « habentibus coetus » (in comm.), i. e. quae « non auctoritate unius, sed consilio atque consensu magistrorum omnium proferuntur », idemque secundum sententiam significat in Vulg. « per magistrorum consilium ». Sed quoniam, illud « habentibus coetus » de sapientium consessibus interpretans, dativum ex proximo verbo *dandi* pendere vult (« data habentibus coetus »), difficultas gravissima exsistit eo, quod particula dativi in hebr. *deest*, et illa verba potius appositionis loco ad « proverbia »

adduntur. LXX reddunt παρὰ τῶν συνθεμάτων ἐδόθησαν, i. e. a coetibus data sunt (unde in Vulg. verborum constructio explicatur); ergo בַּעֲלֵי faciunt praepositionem, cf. p. 54. Optime multi recentes interpretes ipsa dicta sapientium « dominos », « viros » honorifice appellari censent, ut Prov. 22,20 eadem « triarii » vocantur (sic enim liceat vertere שְׁלִישִׁים, qui erant robur exercitus regii). Ad ipsam dictionem « triarii (s. hastati s. equites) collectionum » pro « triarii collecti », cf. « viri foederis » Gen. 14,13 (= foederati) et « viri iurisiurandi » (= iurati). Ergo proverbia sapientium acumen habent, facile infiguntur, infixi aciem quodammodo armatam componunt, *tamquam triarii vel hastati consistunt*. Atque hae tres imagines in *eodem* genere versantur, quia hastae elatae militum consistentium prius cuspides offerunt oculis intuentium, et, si stant immotae, terrae infixae videntur; a propius accedentibus distincte viri hastati cognoscuntur.

V. 12 liberius in *Vulg.* « ne requiras »; in comm. Hier. posuit magis proprie « cave ». V. 13 הַכֹּל melius vertitur « omnia », quam « omnes », pro quo כֻּלָּנוּ exspectes; verbum additum vel « audiamus » vel « audita sunt » significat : « Finis orationis, omnia audiamus » s. « audita sunt : Deum time... » LXX verterunt τὸ πᾶν ἄκουε; item Syr. — V. 14 *Hier.* in comm. posuit « iudicium de omni abscondito », idque melius, praesertim cum sequatur « sive *bonum* »; in Vulg. expressit LXX (ἐν παντὶ παρεωραμένῳ) et Symmachum (περὶ παντὸς παροραθέντος).

Altera igitur epilogi parte a v. 11 commendatio continetur *rerum* propositarum, quae in vera probataque sapientia versentur Deumque unum omnium pastorem habeant auctorem (v. 11). Deinde Salomon eum, quem instituit (i. e. lectorem quemlibet) adhibita, ut in Proverbiis, « filii » appellatione, monet, ne falsam consectetur sapientiam, quae multis offeratur libris inutilibus, quos qui legerit, frustra mentem fatiget, sed ut bonos, cuiusmodi hic ipse quoque sit, « nocturna verset manu versetque diurna »; itaque illud « amplius » s. « ultra » v. 12 non ad hunc *solum* librum, sed ad omnem verae sapientiae institutionem spectat. Temere autem, opinor, quidam dixerunt, scriptorem alloqui filium *ex se natum;* absonum enim sit existimare, *huiusmodi* librum uni homini scriptum esse, nec eius rei ullum est indicium. — Porro non generatim librorum scriptio reprehenditur aut etiam lectio atque commentatio eorum, qui in argumento non sacro versentur, dissuadetur, sed cavere iubemur a libris minus utilibus aut perniciosis; nam istos quoque inter res « vanas » ponit Eccles., quarum tractatio non reficiat, sed fatiget animos. Denique v. 13 « finis loquendi s. orationis » non ad huius disputationis absolutionem refe-

rendum est, sed hoc fere significat : Finis omnis sapientiae (דָּבָר sine articulo!) hic est, haec summa brevis, quam audivimus s. quam nunc proponam. Illud « hoc est enim omnis homo » ita explicat *Hier.* : Ad hoc natus est homo, ut creatorem suum intelligens veneretur eum metu et honore et opere mandatorum... hanc habet rationem substantiae suae, ut in corpore positus Deum timeat ». Idem paullo distinctius vertendo exprimas : Talis (= ita natus, ad hoc factus) est omnis (= unusquisque, cf. 7,2 ; *non* : totus) homo mortalis. LXX tamen reddunt πᾶς ὁ (= totus) ἄνθρωπος, itemque alii plurimi. Vertitur autem illa summa sapientia hoc uno quasi cardine : ut aeternitati, non tempori vivamus; « opus enim omne Deus adducet in iudicium, quod erit de omni re abscondita, sive bona fuerit, sive mala ».

Nihil igitur in hac clausula libri est, quod ullo modo demonstret, eam Salomonis esse non posse; est enim aptissima atque gravissima, qua tamquam corona opus pulcherrimum absolvitur, nisi *generatim* velis negare, huiusmodi epilogum consentaneum esse optimo scriptori. Habet sane aliquid, quo nemo non offendatur, cum primum eum legat; est enim πάρεργον s. appendicula, qua facile videmur posse carere. Sed suspicari licet certam aliquam fuisse causam scriptori huic potissimum libro addendi tale tamquam « postscriptum ». Quam quidem difficile est definire, nec vero minus laboriosum dicere, cur Ecclesiastae operi *alius* eiusmodi additamentum subiecerit. Si qua sit adhibenda coniectura de Salomone, ita dixerim : cum esset ille plurimorum scriptor librorum (« tria millia parobolas... carminum quinque et mille » 3 Reg. 4,32) hunc scripsit ultimum idque, ut probabile est, post tot tantosque errores aliquando resipiscens. Itaque ad *omnes* scriptiones suas absolvendas confirmandasque, fortasse etiam ad malum superioris vitae suae exemplum insigni « *fine orationis* » corrigendum hoc supremum vale dicere voluit lectoribus. Nihil certe haec coniectura, adiuncta superiori enarrationi, relinquit, quod non sit commode explicatum. Itaque ratio nulla est, cur a communi veterum sententia discedamus; nam etiam antiquos Iudaeos Salomni tribuisse epilogum, testatur *S. Hier.*, ubi in extremo commentario narrat, de libri auctoritate inter illos disceptatum esse, sed verba epilogi 12,13 litem omnem sustulisse.

Pauca addenda sunt. V. 9 init. יֹתֶר שֶׁ multi verterunt : « reliquum est, ut », deinde עוֹד « atque etiam », ut *Hitz.*, *Zoeckl.*, *Mot.*, *Wr.*, *Bick...* Sed *sapientem simpliciter* fuisse Eccles., id minime opus fuit separatim adiungi; potius id, quod sequitur, fuisse *doctorem publicum* populi sui (quasi prophetam a Deo constitutum) *scriptoremque proverbiorum* plurimorum. Et quoniam illa vox sonat « abundantiam », po-

test addito relativo valere « ultra quod, praeterquam quod », cf. v. 12 יוֹתֵר מִן; atque ita explicarunt *Ges.*, *Knob.*, *Vaih.*, *Cast.*, *Del.*... Sic *indirecte* fit mentio sapientiae, *directe* laudum aliarum. Finitimum est, quod vertit *Hier.* « et amplius quia... adhuc docuit » (Vulg. « cumque esset... docuit »); qui יַ֫עַן accepit pro « quia »; sequuntur alii. Hac quoque ratione illud incommodum vitatur, quod modo indicavimus. Obscure verterunt *Chald.*, *Syr.*, LXX, *Ven.*, ut eos haesisse in voce facile intelligas. Ad asyndeton tertii verbi, cf. 10 et 11 (in substantivis) et 1,7; 6,5; haec et reliqua huius epilogi asyndeta, item vocum similium accumulatio valde est propria huius scriptoris. — V. 10 nolim curiosius distingui tria incisa; idem enim fere alio modo tripliciter enuntiatur, etsi vere dici potest, Ecclesiasten et *pulchra* et *recte* et *vere* scripsisse, ut est in hebr., si ad verbum reddas : « Dedit operam Eccles., ut inveniret effata gratiosa scriberetque rectissime, verba verissima ». כְּתוּב licet accipere pro substantivo (« scriptio, scriptum »), cf. 2 Chr. 30,5. 18; sed quia non est usurpatus stat. constr. (quem legerunt LXX : γεγραμμένον εὐθύτητος) dicendum est participium pro subst. usurpatum et cum accus. modali pro adv. (Ps. 119,75) coniunctum : scriptum cum veritate. Aut כָּתוֹב pronuntiandum (inf. abs.) vertendumque vel « ut scriberet » (adiunctumque erit infinitivo constr. לִמְצֹא, cf. 1 Sam. 25,26), vel « scripsitque » (adiunctumque erit praeterito בִּקֵּשׁ); hoc alterum secuti sunt *Aq.*, *Syr.*, *Vulg.* (?). Codices quinque apud de Rossi et Symm. in syr.-hex. apud Field habent ipsum כָּתַב. Fuerunt sat multi, qui (secuti *Ven.*) redderent : « scriptaque est rectitudo s. iustitia » : *Hoelem.*, *Elst.*, *Zoeckl.*, alii.

V. 11 « pastor » ita dicitur ut Prov. 10,21 « pascere » = erudire (Vulg.), docere. *Hitz.* legit מֻרְעֶה (« data sunt ut pascuum »), sed aliter veteres omnes et recentiores communiter. Intelligunt longe plurimi *Deum*, summum omnium doctorem; *Chald.* autem Moysen, qui legem dederit, id quod angustius est, quam ut hoc loco, ubi de omnis sapientiae fonte agitur, sit idoneum. *Zoeckl.* mire censet, *huius libri* proverbia unius dici *scriptoris* s. inventoris, qui fuerit *archisynagogus* (confert Ier. 2,8; 3,15...); nec minus mire *Cast.* iungit ita : « Auctores collectionum veniunt omnes ab uno pastore » vultque intelligi, omnes, qui proverbia aliorum collegerint, uno duci consilio docendi iuvandique lectores! Quae autem de istis praedicantur proverbiis, ea propter obscuritatem verborum בַּעֲלֵי אֲסִפּוֹת maxime varie explicata sunt; veteres ita differunt, ut recentiores. *Aq.* et *Symm.* et LXX prius verbum praepositionem esse voluerunt. *Chald.* et *Midr.*, ut *Vulg.*, « consilium magistrorum » habent, *Syr.* eadem fere sententia : « domini liminum », i. e. qui sedent ad limina; quae interpretationes ut defendi possint, *Gr.* legi iubet נְתֻנִים (« dederunt ea consessus sapientium »). Ut omittam, *Syr.* etiam in « clavis defixis » dissentire a ceteris, breviter aliqua etiam e recentioribus depromam : alii בַּעֲלֵי אַ֫ personas esse volunt (cf. 10,11 בַּעַל הַלָּשׁוֹן), ut in Talmud illud ipsum usurpatum videmus (etsi ibidem hic locus in *utramque* partem explicatur). Id qui sequuntur, ut *Ven.*, *Ges.*, *Fuerst.*, *Hengst.*, *Vaih.*, alii, aut iungunt : « ut clavi def. sunt consessuum sodales s. magistri », aut : « verba sapientium sunt ut clavi def. magistrorum coetuum », aut : « ut clavi def. a conventuum sodalibus », aut « ut clavi def. sunt (verba) doctorum sapientiae », aut *melius* : « magistri coetuum dati s. constituti sunt ab uno pastore » (cf. Eph. 4,11). Alii multi — idque videtur optimum — sic explicant, ut ipsa sapientium dicta in coetum quendam et firmam quasi aciem composita dicantur : *Hitz.*, *Ew.*, *Elst.*, *Zoeckl.*, *Del.*, *Wr.*, alii. Fuit autem qui proverbia ipsa intelligeret, sed ea « dominos

multitudinum » diceret, quod regerent multorum hominum animos; item qui « duces coetuum »; *Bick.* interpretatur « herbas salubres » (ut arbitror) quasi a summo pastore collectas, quibus pascat homines.

V. 12 וְיֹתֵר sine dubio sic interpretandum est, ut v. 9. Alii igitur id separant a voce quae sequitur, et reddunt : « restat hoc : ab istis », alii coniuncte : « ultra haec » s. « hos ». הֵמָּה partim ad ipsos sapientes, partim ad sapientium dicta referunt, multi ad *huius* libri sententias. Quidam hoc ultimum sectantes, arbitrantur ab Eccl. significari, nolle se plura scribere, quia satis multa dicta sint nec expediat infinitos scribi tractatus; vel ita : melius esse, ipsum meditari lectorem; vel ita : melius esse, sermone quam scripto huiusmodi tradi praecepta. Fuit qui iungeret : « multos sine fine scribere libros et multa animi contentio, haec corpus fatigant », id quod tam ineptum hoc loco, quam per se vere dicitur. לַהַג ἅπ. λεγ. magno consensu et veteres et recentiores explicant « μελέτην, meditationem, studium »; *Gr.* « lectionem » vultque infinitivum esse verbi הָגָה atque confert Is. 45,1 לְרַד. Illud tenere satius est, quia arab. eadem significatione usurpatur, etsi « lectio » satis recte hoc loco *explicatur* : de lectoris enim, non scriptoris labore accipiendum est. Verior enim, opinor, totius loci sententia haec est, quam expressit *Hier.* : « Exceptis his verbis, quae ab uno Pastore sunt data et a concilio atque consensu probata sapientium (?), nihil facias, nihil tibi vindices : maiorum sequere vestigia et ab eorum auctoritate non discrepes. Alioqui quaerenti multa infinitus librorum numerus occurret, qui te pertrahat ad errorem, et legentem frustra faciet laborare. Vel certe docet brevitati studendum et sensus magis sectandos esse quam verba adversus philosophos et saeculi huius doctores, qui suorum dogmatum falsitates conantur asserere vanitate et multiplicatione sermonum ».

Versus proximi item sunt variae explicationes. Nonnulli iungunt סוֹף דָּבָר הַכֹּל = finis disputationis universae, vel : verbum extremum de rebus omnibus; alii הַכֹּל נִשְׁמַע = omnes audiamus, vel : omnia audita, vel : audienda (?). Secundum *sententiam* et concludi videntur ea, quae dicta sunt adhuc, et id indicari, quod brevi comprehensione omnis tum huius libri tum totius doctrinae religiosae subiungitur : « Deum time... »; cf. 5,6; 8,2. 5. In hoc uno enim omnis pietas virtusque vertitur, hoc unum verbum sufficit. Huc quadrat, quae de multorum varietate librorum praeclare disputat *Hier.* : « Quidquid dixeris, si ad eum referatur, qui in principio erat apud Deum et Deus Verbum, *unum* volumen est et innumerabiles libri una lex, unum evangelium nominantur. Quodsi diversa et discrepantia disputaveris et curiositate nimia huc atque illuc animum adduxeris, etiam in uno libro multi libri sunt. » Haec prorsus videtur grandis Eccles. sententia, qui *uno verbo finiri omnem omnium sapientium doctrinam* dicit. Conveniens est versus huius clausula, item quae sunt v. 14 de iudicio extremo; ea sic enarrat *Hier.* : « Hanc habet homo rationem substantiae suae, ut in corpore positus Deum timeat. Quia omne factum, i. e. omnes homines adducet Deus in iudicium super universis, quae aliter quam *ab eo disposita sunt et dicta*, senserunt sive in hanc partem sive in illam. Vae quippe his, qui dicunt malum bonum et bonum malum (Is. 5,20) ». Parvi refert, itane vertas : « hoc est totus homo », an « talis est unusquisque homo »; quanquam hoc alterum malumus, non tantum, quod 3,13; 5,18 כָּל־הָאָדָם ita accipiendum et minor est grammaticae explicationis difficultas (alterum enim sic enuntiandum fuisse videtur הָאָדָם כֹּלוֹ), — sed maxime ob sententiae sublimitatem; nam ut non Iahve nomen, sed Elohim et hic et toto

libro ponitur, sic *omnem* hominem, cuiuscumque sit gentis. Ecclesiastes alloquitur iubetque meminisse Deum Creatorem, Legislatorem, Iudicem esse omnium. Totum igitur orbem complexus terrarum et omnium multitudinem gentium docet, unam esse in omnibus rationem sapientiae, unam vanitatis, illam in Dei cultu positam, hanc in earum rerum appetentia, quae per se fluxae sint et, Dei extremum iudicium considerantibus, admodum periculosae videri debeant. *Syr.* non male verba scriptoris amplificans, mandata dicit *ab uno artifice s. rectore cuilibet proposita*, et iudicium futurum de omni re occulta *atque manifesta*, sive bona sive mala; *Chald.* autem : « Finis verbi : quae facta sunt in saeculo occulte, vulgabuntur fientque nota omnibus mortalibus; ideo verbum Domini time et praecepta Domini custodi neve peccaveris in abscondito; quodsi quid commiseris, ad poenitentiam redi; hanc enim oportet esse viam omnium ».

CANTICUM CANTICORUM.

PRAEFATIO.

Non minor in Cantico Salomonis quam in Ecclesiaste explicando opinionum diversitas est, nec vero tam in verbis versibusque singulis enarrandis quam in universa carminis sententia et compositione describenda. Antiquitus summatim consentiebant, genus quoddam esse allegorici epithalamii Christi et Ecclesiae, in eoque pie meditando pro suo quisque ingenio liberrime versabatur. Verum tria iam fere saecula effluxerunt, cum coepta sunt omnia perturbari. Ne catholici quidem omnes simplicem antiquorum allegoriam retinuerunt. Nam horum pauci, ut quidam protestantes ambiguam voluerunt esse significationem, ut et amatorium esset carmen de re praesenti et tamen idem propheticum de futura. Plerique recentiores (acatholici) non iam omnino requirunt ullam sententiam sublimiorem : in Salomonis haerent amoribus. Neque vero inter hos, cuius puellae celebretur pulchritudo, convenit ; alii eam Pharaonis filiam, alii pastorali aut vinitoria conditione fuisse statuunt. Quidam raptam a rege virginem suum amicum maritumve rusticum desiderare et regem raptorem repudiare dicunt. Atque adeo inventus est nuperrime, qui duo paria amantium praeter Salomonem, sponsos, inquam, tres et duas sponsas induceret. Nec maior est de forma et compositione Cantici dissensio. Non pauci enim id unum et integrum carmen esse omnino negantes coagmentatum ex pluribus partibus ac particulis voluerunt. Alii eclogam pastoralem actionis quodammodo scenicae esse putarunt. Denique multi iusti dramatis instar id ita disposuerunt, ut novam prorsus speciem a vetere longissime diversam indueret. At ne sic quidem, quamquam omni commento liber est tentatus, pronuntiari fas est *liquere ;* lis non iudicata acerrime agitur.

Quae cum ita sint, nonne sua sponte respectat animus ad viam pridem desertam antiquorum ? Sed hic occurrit crimen pervulgatum : olim ineptis usos esse allegoriis; quarum fastidio motos recentiores novum iter explorare conatos esse. Nec diluere crimen omni ex parte licet. Fortasse tamen elevari aliquatenus potest et saltem demonstrari, id ad refutandam evertendamque allegoricam interpretationem esse

parum idoneum ; quam qui idcirco aspernatus erit, quod adhuc nec omnia et quaedam satis incongrue explicaverit, certe iniuste fecerit. An in altera opinione non sunt difficultates, non sunt errores, non sunt absurda multa atque adeo turpia? Discidium quoque et pugna inter ipsos recentiores non modo de singulis versibus, sed de summa rerum est perpetua. Ita nisi genus allegoricum totum nescio quo mentis errore negatur esse vere poeticum et a primo tamquam insulsum despicitur, suo iure utetur, qui Bern. *Schaefer*, *Grandvaux*, *Le Hir*, *P. Tiefenthal* O. S. B., *Langer* secutus veterum vestigia repetere conabitur.

Ac persuasissimum habemus nullam hac allegorica ratione veriorem ac probabiliorem esse. Diligenter enim et veterum et recentiorum interpretum commentarios evolventi primum illud fit manifestum, apud illos solos suam servari Cantico sanctitatem, eam dico, quam inesse in libro canonico atque a Deo inspirato necesse sit. Praeterea non potest esse obscurum, aliquot maximas difficultates ab illorum adversariis minime dissolvi. Denique in eam sententiam adducti sumus, ita posse adhiberi explicationem allegoricam, ut, quantum in libro impeditissimo sperare licet, omnia sine ulla tortuosa disputatione enodentur. Quod autem et fuse et aliquando iterum ac tertio de iis rebus, in quibus maximum est momenti, disserui, id perspicuitatis gratia feci, ut identidem ac varie proposita facilius ac firmius tenerentur[1].

Sed antequam ad verba carminis enarranda accedimus, aliqua praemeditatione opus est. Fieri enim vix potest, ut legentium animis non praeparatis et quodammodo informatis de singulis versibus iudicetur. Et primum quidem *generatim* quaestiones praecipuas instruemus; deinde *specimina* interpretationum proponemus; tertio loco de *allegoria* copiosius dicemus; postremo *subsidia* litterarum recensebimus. Rogamus autem omnes, ut hanc operosam commentationem nostram indulgentia et gratia non indignam putent.

---

1. De versibus Cantici nihil dixi, sed illa teneo, quae explicavi in libello « De re metrica Hebraeorum » (Friburgi Brisgoviae apud Herder, 1880). Levia censeo, quae opponuntur, nominatim illud : non esse antiquam pronuntiationem Masoretarum (quatenus ad metricam pertineat). Cf. *C. Siegfried*, Die Aussprache des Hebraeischen bei Hieronymus (Stade, Zeitschr. fuer die alttestamentliche Wissenschaft, 1884, Heft 1); *Clem. Koennecke*, Die Behandlung der hebraeischen Namen in der Septuaginta (progr. gymn. Stargard., 1884); congruunt, quae de phœnicia lingua nota sunt : *Schroeder*, Die phœnizische Sprache, 1869.

CANTICUM

CANTICORUM.

I. — DE CANTICO GENERATIM.

Quinque res sunt, quae de Cantico Canticorum (שִׁיר הַשִּׁירִים, ᾆσμα ᾀσμάτων) constanti antiquitatis testimonio stabilire licet : *sanctum* esse carmen et *unum* et a *Salomone* forma *allegorica* scriptum de *Christi cum Ecclesia desponsatione*. De quibus hic pauca dicenda sunt, etsi demonstrari quaedam nisi infra copiosiore disputatione non poterunt. « Novimus, » inquit S. *Aug.* (Serm. 46,15; *Migne* 38,290) « Cantica Canticorum, sancta cantica, amatoria cantica, sancti amoris, sanctae caritatis, sanctae dulcedinis... Quod Ecclesia Christo dicat, nec nos dubitamus nec illi [Donatistae] » et idem (Spec. de Script. S., M. 34,925) : « Totus liber amores sanctos Christi et Ecclesiae figurata locutione commendat et prophetica pronuntiat altitudine ». S. *Hier.* (Ep. 53 ad Paul., M. 22,547) : « Salomon, pacificus et amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet [haec de Prov. et Ecclesiaste dicuntur, cf. Ep. 107 ad Laet., M. ib. 876], Ecclesiam iungit et Christum sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium ». S. *Ambr.* : « Salomon librum de Prov. scripsit, quo moralem locum uberius expressit, naturalem in Ecclesiaste, mysticum in Canticis Cant. » et « Mysteria exprimit [Salomon] vel animae et Verbi vel Christi et Ecclesiae » (M. 15,1853; 1911). Inter Graecos *Theodoretus* magnum numerum affert antiquiorum testium, quorum auctoritate probet mystice librum interpretandum esse (M. 81,32), eum sic a Patribus « divinis Scripturis » annumeratum dicit, ut eiusdem Salomonis Prov. et Eccl. (ib. 29), « anilibus fabellis » deteriores vocat quorundam opiniones, Salc-

monem haec de se ipso et Pharaonis filia aut Abisag Sunamitide aut (minus quidem absurde) de populi cum rege suo desponsatione cecinisse. *S. Greg. Nyss.* : « Is [verus rex Israel, Christus] usus hoc Salomone tamquam instrumento per illum nobis loquitur primum quidem in Prov., deinde in Eccl., post haec autem in hac ipsa philosophia Cantici Cant. » (hom. 1, M. 44,765) graviterque idem (in prooem.) defendit allegoricam explicationem atque ipse omnia de animae vel Ecclesiae cum Christo familiaritate interpretatur. Quorum omnium scriptorum quasi dux exstitit *Origenes,* qui eadem omnia docet in prol. commentarii (M. 13,61 sqq.). Atque haec satis demonstrare illa quinque videntur; plura infra e PP. afferentur.

Addimus hic nonnulla ad eadem magis illustranda. Quoniam *sanctitati* officere potest perversa interpretatio, illud Originis paene omnes repetunt antiqui : « Moneo et consilium do omni, qui nondum carnis et sanguinis molestiis caret neque ab affectu naturae materialis abscedit, ut a lectione libelli huius eorumque, quae in eo dicentur, penitus temperet. Aiunt enim observari etiam apud Hebraeos, quod nisi quis ad aetatem perfectam maturamque pervenerit, libellum hunc ne quidem in manibus habere permittatur ». Itaque *speciem amatoriam*, quam prae se fert liber, prorsus ad sanctam ac supernaturalem caritatem *allegorice* referendam et hoc consilio adhibitam esse illi docent, ut terrenis quodammodo adminiculis ad coelestia facilius attollamur; ipsi *tam* subito relicta littera (i. e. verborum sono et usitata eorum sententia) ad altiora se recipiunt, ut vix uti illis tamquam scalae gradibus, sed evolare, non ascendere videantur; amore sancto prorsus imbutum hominem requirunt, ut haec amatoria possit mente assequi. S. *Bern.* (Serm. de Cant. 61 ab init.) : « Hic literalis lusus. Quidni dixerim lusum? Quid enim serium habet haec literae series? Ne auditu quidem dignum, quod foris sonat, si non intus adiuvet Spiritus infirmitatem intelligentiae nostrae. Nec ergo remaneamus foris, ne et turpium (quod absit) amorum videamur lenocinia recensere. Afferte pudicas aures ad sermonem, qui in manibus est de amore, et cum ipsos cogitatis amantes, non virum et feminam, sed Verbum et animam sentiatis oportet. Et si Christum et Ecclesiam dixero, quid est nisi quod Ecclesiae nomine non una anima, sed multarum unitas vel potius unanimitas designatur? » idemque (Serm. 79 ab init.) : « Amor ubique loquitur et si quis horum, quae leguntur, cupit adipisci notitiam, amet; alioquin frustra ad audiendum legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit, quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim graece loquentem non intelligit, qui graecum non novit, nec latine loquentem, qui Latinus

non est : sic lingua amoris ei qui non amat barbara erit ». Itaque haec ipsa cautio antiquorum ostendit, non cuiuslibet hominis lectioni hoc carmen sancti amoris commendandum esse, immo vero omnibus serio annitendum esse, ut bene paratis animis ad hunc librum accedant, ipsisque interpretibus circumspectione multa et consideratione utendum esse. Derivatur autem summa huius carminis sanctitas a *divina inspiratione ;* cf. de Cantici auctoritate divina *Cornely,* Introd. II 2 n. 218.

Unum ac simplex esse carmen, nemo antiquitus negavit. Quod autem, etsi id pro uno libro perpetuo numerant, satis communiter omni tempore Canti*ca* (contra hebr.), non minus quam Canti*cum,* dixerunt, id sane indicat, in hunc librum magis quam in alios cadere quandam partium disparatarum distinctionem. In graeco iam varia lectio fuit et est : ᾄσματα; sed *Or.* in prol. (apud Rufinum quidem, qui tamen aliqua interdum Latinis accommodata apponit) : « Nonnulli attitulationem libelli huius Cantica Canticorum scribunt, quod non recte scribitur; non enim pluraliter, sed singulariter Canticum dicitur Canticorum ». Vetus interpretatio latina, si quid ex *Ambr.* concludere licet, item habuit « Cantica ». Et recte nunc quoque saepe in Ecclesia sic loquimur. Nam etsi unus est liber et argumento et origine, tamen non est sine ulla intercapedine continuatum, sed quasi separatis de eadem materia carminibus *ordinate* tamen coagmentatum ; cf. v. g. transitum minime continuum a 2,7 ad 2,8. Itaque talis est sex septemve locis incisio carminis, ut in summa dissensione interpretum tamen de harum partium distinctione inter plerosque conveniat. Est autem *ordo* eas componendi certus ac definitus, quem quidem plerique veterum usque ad scholasticos indagare omiserunt, in eoque indicando postea plurimi erraverunt. Sed unum scriptorem certo consilio ab initio ad finem argumentum pertexuisse, id veteres omnes et longe maximam partem etiam recentiores censuerunt. Cuius rei certa indicia in oculos incurrunt primum intuentis. Unus enim *amor,* exardescens (ut videtur) c. 1, est causa foederis sponsalis (nuptialis) c. 3, et porro vinculum societatis quasi coniugalis, cf. 6,7. 8 (Vulg.). *Sponsus* proponitur (allegorice) Salomon rex Hierosolymitanus 1,3. 4. 8 ; 3,7-11 ; 6,7. 8 ; 8,11. 12 (cf. inscript.) ; *Sponsa* semper eadem est, quantum verba sinunt iudicare, cuius mater et fratres et vinea commemorantur 1,5 (Vulg.) ; 2,15 ; 3,4. 11 ; 6,8, et toto c. 8 ; similis est eius descriptio cc. 4 et 7, eadem cum Sponso familiaritas 2,6. 16 ; 3,4 ; 6,2. 8 ; 7,10 ; 8,3, idem absentis desiderium c. 1 et 3 et 5 et 8. Eaedem sunt *filiae Ierusalem* 1,4 ; 2,7 ; 3,5 ; 5,8. 16 ; 8,4. Nec minus evidens similitudo dictionis toto carmine cernitur ; cf. 2,6. 7 ; 3,4. 5 ; 8,3. 4 — 3,1 sqq. ; 5,2 sqq.

— 2,17; 4,6; 8,14 — 3,6; 6,9; 8,5 — nota relat. שֶׁ sola ac semper usurpatur... Idem per totum affectionis ardor lyricus, orationis ornatus metaphoricus, color etiam quidam bucolicus et festiva fragrantia suavitatis.

Haec ultima atque imprimis proprietas dictionis aptissime convenit *Salomoni,* summo dicendi artifici, qui idem quasi haereditate a patre acceperat futuri Messiae regnique messianici et cognitionem et admirationem; neque in eo magis, quam in Davide, repugnat, quominus ipse in sese typum Christi exprimat; et quoniam de *hoc* omnia directe enuntiantur, tanta laus Salomonis, i. e. Sponsi (cf. 5,10-16) omnino consentanea est. Magis perspicue, ut ad singularia quaedam veniamus, Salomonem indicat *rerum naturalium* amor prorsus insignis; nam undeviginti herbarum, quindecim animalium nomina in hoc exiguo libro non accumulantur, sed ad comparandum, illustrandum, colorandum egregie disposita usurpantur; in his non pauca rara erant apud Hebraeos aut peregrina. Scripsit autem imprimis copiose Salomon in carminibus (שִׁירִים) plurimis de omni genere arborum, herbarum, animalium (3 Reg. 4,32 sq., hebr. 1 Reg. 5,12 sq.) et peregrinum luxum adamavit (Eccl. 2,4 sqq.). *Artis* amorem ac generatim *pulchritudinis,* tam proprium Salomonis, cernere licet 1,4. 9. 10. 16; 3,9. 10; 8,9 et in descriptionibus 4,1 sqq.; 5,10 sqq.; 7,1 sqq. Praeterea terrae palaestinensis notitia in hoc libro ea apparet, quae in rege, qui saepe visa et tamquam propria describat, minus habeat admirationis : 1,13; 2,1; 4,1. 4. 8; 6,3. 4 (hebr. Thirza); 7,4. 5; item rerum quae ad Salomonem pertineant accurata commemoratio : 1,4. 8; 3,7-11, quoniam quidem rerum veritatem hic saltem *significari* allegoricis interpretibus licet concedere (minus 6,7 sq., 8,11 sq.). Aetatem Salomonicam probabile est indicari artis poeticae perfectione et magis etiam splendore quodam summae prosperitatis ac pacis. *Pacis* quidem messianicae descriptionem habes pulcherrimam, ut in Ps. 71, qui item « Pacifico » ascribitur, ita in hoc Cantico universo; cf. 8,10. Comprobatur igitur rebus plurimis illud *totius antiquitatis* testimonium, Salomonis esse Canticum Cant.

Quodsi quaeritur, quo potissimum tempore id scripserit, antiquus ordo librorum sacrorum (si Masoretarum biblia exceperis), Canticum inter Salomonis opera *ultimo* exhibet loco. Plerisque sane hodie contra videtur adolescentis hoc esse Salomonis, quod ea viriditas, is ardor sit orationis, a quibus senectus longius abesse soleat. Minus illud valet, « mulieroso » Salomoni hunc sanctissimi amoris librum non convenire, quia potuit haec esse *resipiscentis* publica eaque praeclara testificatio. Simile quid dici licere

in « Ecclesiaste », supra (p. 46 sqq.) significavimus. Ibidem explicavimus illum librum fortasse fuisse *hortativum*, ut idem, qui « vanitate » sua interitum adduxisset regni, reverentiam divinae dispositionis ac fiduciam Providentiae commendaret. In coniectura haec quidem versantur, sed ceteris non improbabiliore. Atque eodem modo in Cantico quasi « abiectae » Sponsae revocationem et reditum (Is. 54,6; Os. 2,16) *consolationis* causa ab eodem sene Salomone, interitum regni prospiciente, describi suspicor. Accedit altera ratio, quod hic liber ceteris *sublimior et quasi maturior* est. Certe in hunc modum solent antiqui (*Or.*, *Theod.*, *Hier.*, *Greg. M.*, *Bern.*, aliique multi) Proverbia, Ecclesiasten, Cantica inter se comparare : « Primo in Prov. *moralem* docuit locum, succinctis ut decuit brevibusque sententiis vitae instituta componens; secundum vero, qui *naturalis* appellatur, comprehendit in Eccl., in quo multa de rebus naturalibus disserens et inania ac vana ab utilibus necessariisque secernens relinquendam vanitatem monet et utilia rectaque sectanda; *inspectivum* quoque locum [contemplativum, mysticum] in hoc libello tradidit, i. e. in Cantico Cant., in quo amorem coelestium divinorumque desiderium incutit animae sub specie sponsae ac sponsi, caritatis et amoris viis perveniendum docens ad consortium Dei » (*Or.* in prol.). Dicam igitur emendatum Salomonem (esse autem emendatum communior est veterum satisque tuta sententia, cf. ad Eccl. p. 46 sq.), emendatum inquam illum, abiecta contemptaque omni vanitate magno nisu ad coelestia evolasse. Restat una illa difficultas e dictionis ornatu repetita. Sed 1) vis poetica ac splendor nobis in Ecclesiaste *minor non videtur*, etsi iucunditas viriditasque in Cantico, pro argumenti fortasse natura, maior est; attendendum est etiam, quantum in Salomone *consuetudo* lyricae dictionis frequentissima valere potuerit, atque ipsius *argumenti* inusitata sublimitas idonea fuit vel frigescenti ingenio inflammando; deinde 2) retorqueri in illius sententiae patronos potest argumentum e dicendi genere derivatum. Solent hi Proverbia similia dicere Cantico; at profecto *multo* est maior huius cum Ecclesiaste similitudo. Primum omnes utrique libro aramaicum quendam tribuunt colorem, et ש certe *insigne* est similitudinis indicium, cum in Prov. nusquam, in Eccl. creberrime, denique in hoc ultimo libro constanter adhibeatur (excipe inscriptionem). Porro earundem aut similium enuntiationum in diversis librorum partibus prorsus *evidens* argumentum est; nam hac in re propria quaedam scribendi *consuetudo* apparet, unde scriptorem facillime agnoscas. Adde quod haec opera simillima sunt non modo ambitu, verum etiam rerum naturalium usurpatione, et — id quod plus est — brevitate, concisione, obscuritate, magnificentia. Non est profecto liber alius praeter *Iobum*, qui tam sit Cantico finitimus quam Ecclesiastes, si non tantum ad vocabula aliqua, sed ad universum dicendi genus atque artificium attendas; et Iobus quidem potius specie quadam dramatica et excelsitate ac proprietate sententiarum, quam dictionis conformatione propius accedit ad Canticum. Atque hoc argumentum, quod forma genusque orationis suppeditat, tantum

est, ut multo malim, si quid omnino sit proponendum, extremae Salomonis aetati carmen assignare. Est igitur fortasse hic liber consolatorius, voluitque Spiritus S. ipsa imminente ruina regni Salomonici et theocratiae spem ostendere Israeli gloriosae reparationis; itaque totus liber inter *vineam non custoditam* (1,5) et *vineam omni fructuum copia fecundam* (8,12) concluditur, et quam gentem Salomon terrenus vitiis perdidisse censeri potest, eam coelestis Salomon virtute divina erigit.

Infirma sunt, quae ad constantem veterum sententiam evertendam multi recentiores attulerunt meritoque etiam a quibusdam, qui « Ecclesiasten » posteriori tribuunt aetati (*Hengst.*, *Del.*, *Zoeckl.*), repudiantur. Dicunt : quod in Prov. et Ps. 71 semper adhibeatur אֲשֶׁר, in Cant. autem non minus constanter (praeter inscriptionem) שֶׁ, hoc probari aliam ac posteriorem huius libri originem. Sed in Eccl. eadem forma est frequentissima, nec omnino quidquam argumenti in ea re esse demonstravimus p.26 sq. [1]; Ieremias quoque in prophetiis usus est forma vulgari, in Threnis autem saepe etiam breviore et, ut videtur, magis poetica. De aramaismis aliisque vocabulis formisque minus usitatis, quae hic pauciora sunt, quam in Eccl., iterum dicere supersedeo (cf. supr. p. 31 sq.). Duo vocabula *peregrina* esse volunt : פַּרְדֵּס (paradisus) et אַפִּרְיוֹן (lectus, lectica). Quodsi ita sit, cur non ille, qui peregrinos et peregrina magno numero ascivit (3 Reg. 7,13 sqq.; 10,11 sqq. 11,5 sqq., cf. Eccl. 2,4 sqq.), vocabula quoque aliunde mutuatus sit, praesertim cum fuerit in egena lingua scriptor copiosissimus? Quamquam non minus fortasse probabilis sit ipsa semitica eorum verborum origo, quam aut indica aut persica aut graeca; cf. *Del.* in priore comm. p. 22 sqq. et Z. p. 11. פַּרְדֵּס legitur etiam Eccl. 2,5 nec usquam alibi. Praeterea notandum est, ea ipsa, quae in hac quaestione afferuntur, magnam partem solius esse Cantici propria nec communia cum aliquo posteriore libro; deinde eum esse huius carminis artificem, qui non videatur alienis se floribus ornare debuisse, neque habeat cum antiquioribus libris nisi pauca communia (Z. p. 9); nihil est igitur, cur non, si nova sint aliqua, haec a Salomone novata dicamus. Sed ut fieri in « Ecclestiaste » vidimus, multi temere, ubi susceptae causae serviunt, eadem affirmant, quae in alia causa negarent ipsi ac pernegarent. V. g. Thirzam (6,4 hebr.) commemorari volunt propterea, quod caput fuerit regni decem tribuum, et tamen solius pulchritudinis fit mentio; pulchram autem fuisse urbem ipsum nomen declarat, et sane probabile est eam ob pulchritudinem a Ieroboam constitutam esse sedem regni; quis autem *demonstrabit* eam pulchram Salomonis tempore non fuisse? Quod autem cum Ierusalem componitur, leve indicium etiam est, eam nondum fuisse alterius regni caput; aptius fuit enim, Sponsum *suas* urbes cum sua Sponsa conferre. Leve est hoc, inquam; sed adde quod *multa* ex omni parte Palaestinae eodem consilio assumuntur : Ierusalem, turris David, Engaddi, Saron, Galaad, Hesebon, Carmelus, Libanon, Hermon... Quae unius regni esse valde certe probabile est, praesertim cum Salomon loquens inducatur; an ita turpiter errasse posteriorem aliquem scriptorem dicemus, ut Salomonem non congrue faceret loquentem?

---

1. Addo in Salomone facillime explicari eius particulae usum, quae non modo in cantico Debborae erat consecrata, sed etiam a *Phoenicibus* usurpabatur, ut inscriptiones ostendunt, frequentissime. Item שְׁלִי 1,6; 8,12 (3,7) prorsus phoenicium est.

Nemo audacius pro more suo quam *Graetz* undique congesta affert, quibus ostendat, dictionis proprietatem seram aetatem (230-218) indicare. « Aramaica » accuratius persequi nolo; sed haec fere eius argumentatio est : שֶׁ in « Ecclesiaste » invenitur, sed is liber *posterior exsilio* est; in quibusdam psalmis, sed hi posteriores; identidem in libro Iudicum, sed *spes est fore, ut huius rei explicatio aliqua reperiatur.* Cur in Cantico solum שֶׁ, non אֲשֶׁר adhibeatur, in « Eccl. » autem (quem *multo* posteriorem dicit) saepius hoc alterum, quomodo id *sua norma* explicat Gr.? Quod Phoenices et Assyrii eodem pronomine (sa, su, as) usi sunt, id illi non demonstrat, potuisse שֶׁ esse Semitarum *commune* vocabulum! Sine dubio dicet ab Aramaeis ad ceteras gentes translatum esse! Nam hoc ipsum audet in מֶזֶג (7,3), quod a Graecis ad Syros, Arabes, Hebraeos migrasse vult. Nimirum necesse est graeca verba in Cant. invenire. Itaque unum etiam prius *confingit* (ורד pro נרד 4,14), ut id deinde possit derivare a ῥόδον. Etiam audacius esse ipse fatetur, quod תַּלְפִּיוֹת (4,4) opinatur esse τηλῶπιν vel — πόν; haec *adiectiva* esse graece, vocem hebr. autem substantivum, et numerum plur. explicari aegre posse, haec Gr. non attendit. — כֹּפֶר non probat, sed decernit esse graecum, quia Graeci eodem vocabulo et insulam et florem appellent; ergo Phoenices quoque a Graecis potius, quam hi ab illis, insulae nomen acceperunt? Derivari e semitica voce negat; quae erit igitur graeca radix? — עִם pro וְ positum graecae consuetudinis esse censet; ergo graecus homo libros Samuelis scripsit; nam 1 Sam. 16,12; 17,42 (ut alibi quoque) pro עִם possis non minus apte quam Cant. 1,11 et 4,13. 14 וְ substituere.

Nullum omnino verbum cum aliqua ratione graecae originis dicitur praeter אַפִּרְיוֹן (3,9), quoniam graecum φορεῖον lecticam significat. Sed et soni similitudo fallit saepissime et ipsum graecum vocabulum tam serum est, ut posset Gr. id etiam a Semitis ad illos posteriores Graecos traducere, si quando usus esset. Ceterum demonstrat *Del.* p. 59 sqq. id satis apte a semitica radice derivari. *Hitz.* ad skrt. confugit; quidni faciat, si sonus quaeritur similis? Praeterea valde dubium est, quod Gr. hoc verbum *prorsus* idem designare vult ac paullo ante מִטָּה; cf. comm. ad l.

Sed idem interpres *mores* etiam graecos reperit in Cant.: lecticarum usum, accubitum ad mensas, coronam sponsi, custodes urbis, mala aphrodisia, sagittas Amoris. Lecticas mittamus, cuiusmodi enim lectos vel fercula poeta commemoret, non est facile dicere; item accubitum, si consessum Gr. mavult (1 Reg. 20,24; 3 Reg. 13,20), vox ipsa nec hoc nec illud indicat (מְסִבָּה); porro custodes urbanos, nemo enim facile credet non simile quoddam institutum fuisse Hebraeis usitatum (Is. 62,6; Ps. 126,1). « Coronas » virorum v. Iob 31,36; Is. 28,1; Ps. 102,4; quibus exemplis saltem hoc demonstratur, aut in ipsis nuptiis licuisse sponso coronam ferre aut id in allegorico carmine non absurde fingi. Poma et malus (2,3. 5; 8,5) non ita pronuntur, ut proprie μῆλα ἀφροδίσια hic cogitari oporteat. Satis est mala fuisse in fructibus rarioribus et exquisitioribus, cf. 7,8; Prov. 25,11; et sane *raro* malorum fit mentio in Scriptura, atque Io. 1,12 optimis fructibus annumerantur. Iam vero βέλη Ἔρωτος translata esse in poesim sacram, « credat Apollo »; quodsi, id quod Gr. solus asseruit, רֶשֶׁף 8,6 significet sagittas, metaphora facile se sua sponte offerebat, cf. 4,9, ubi Vulg. omnino incidit in sagittae comparationem et certe ibi cor obtutu tamquam telo immisso superatur. Frustra igitur haec omnia a Gr. afferuntur; nihil est aut vix quidquam verisimile, ne dicam satis certum. Sed quo usque eum nescio qui impetus

abripiat, ibi apparet, ubi persica verba exquirit. פַּרְדֵּס alii ex aramaico, armenico, skrt. ortum putarunt; nihilominus libenter concedimus id fortasse esse zendicum, quia et facile inde ducitur et a Xen. idem verbum pro persico usurpari videtur. Quomodo autem Gr. demonstrabit, non potuisse ad Salomonem, rerum peregrinarum cupidum, et rei et nominis notitiam pervenire? Sed iucundum est audire eum 7,5 (« caput tuum ut Carmelus ») pro כַּרְמֶל explicantem כַּרְכֻּם (nullo exemplo) et רֹאשׁ interpretantem *comam* : coma tua ut coccinum. Quis tandem legens hebraica, maxime post eas comparationes, quae praecedunt, id suspicari potest? Sed solet Gr. ad suas opiniones praeiudicatas verba omnemque linguam libere mutare aut interpretari (v. g. in primo capite duodecim fere utitur mutationibus verborum; ib. v. 3 עַלְמָה « servam » vertit et v. 8 אִם לֹא « profecto »).

Alii (*Umbr., Boettch., Ew., Hitz., Kaempf...*) etsi librum Salomoni abiudicant, tamen eum paullo post scriptum dicunt; argumenta afferunt: Thirzae urbis mentionem, accuratam Galilaeae aut Samariae notitiam, sermonem earum partium proprium, irrisionem quandam Salomonis. Sed haec *ultima* ratio in falsa carminis interpretatione vertitur; nam illum faciunt raptorem Sulamitidis, hanc libidinis eius contemptricem vel etiam correctricem, ut in illo turpissimi amores, in hac quaedam castitas vel virginea vel coniugalis describatur. De quo infra dicemus uberius. *Sermonem* esse septentrionalium partium Palaestinae, mirabile est, quam accurate quidam nosse sibi videantur, cum ea res sit prorsus obscura. Quippe, si quid est inusitatius dictum, id omne in eas partes paullo Hierosolymis incultiores ablegant; hinc v. g. illud שֻׁ oriundum comminiscuntur. *Notiores* aut gratiores eas regiones fuisse poetae prudentius affirmatur. Nam Libanon ponitur cum suis partibus (4,8), Carmel, Damascus, Thirza, eaque loco insigni (Sunem, Baal Hamon, Saron a plerisque adduntur). Praeterea quidam actionem ipsam vel saltem eius partem in iis locis collocari putarunt; cuius rei, *si* Sulamitis est Sunamitis, aliqua probabilis est ratio. Sed non minus nota est scriptori Ierusalem (cuius filiae etiam chorum constituunt, cuius rex est Sponsus), et Hesebon, Engaddi, Galaad, Cedareni (Machanaim?). Deinde de patria Sponsae nimis audacter pronuntiant, et actionem plurimi agi Hierosolymis vel in vicinia urbis opinantur et nullum eius certum locum indicari multo etiam rectius existimatur. Itaque nihil est solidi argumenti, cur aut in septentrionali terrae parte aut post Salomonis aetatem librum esse scriptum putemus (nam de *Thirza* supra diximus).

Postremo quicumque Salomonem auctorem negant, coguntur inscriptionem a carmine alienam putare. Nam in ea לִשְׁלֹמֹה aut significat « in Salomonem », id quod illorum quidem interpretum vix quisquam admittit, aut « Salomonis ». Deinde saltem ii, qui allegoricam explicationem Cantici non amplectuntur, summam hoc modo afferunt libro obscuritatem, quia ignoratur ante 3,7, de Salomonis agi amore (in allegoria et alia essent quaedam indicia et facilius excusaretur perplexa obscuritas). Porro « Canticum Canticorum », i. e. Canticum sublimitate singulari, ab obscuro atque inexercitato poeta profectum esse tam est difficile ad credendum, quam est facile, id a Salomone esse factum et tam magnifice inscriptum. Nam huic licuit certe, si *Christi typum* in se exhibebat, ob argumenti amplitudinem carmen ipsum sublime appellare; praeterea in peritissimo scriptore forma quoque dicendi non erat futura materie nimis indigna. Itaque solent recentiores inscriptionem negare esse ipsius scriptoris, aut etiam *contra omnem linguae consuetudinem* sic explicare : « canticum ex canticis Sal. » (שְׁ מֵהַשְׁ) aut « catenam canticorum » (ita שִׁיר ex aram. et arab. interpretantur). Sed haec effugia sunt veritatis ingratae. Unam veram difficultatem

afferunt, cur scriptoris esse non videatur inscriptio. Nam toto libro שֶׁ usurpatur, at hic אֲשֶׁר, et solebat nominibus auctorum addi solum ל sine relativo. Sed si שֶׁ fuit magis poeticum et in communi scriptione minus usitatum, ut omnes iudicant, poterat inscriptioni aptius videri אֲשֶׁר, praesertim cum promiscue utendi utroque consuetudo fuerit (cf. Eccl. et Thren.). Constructio autem illa לְ אֲשֶׁר in ipso Cant. identidem invenitur 1,6; 3,7; 8,12. Quae cum ita sint, inscriptio quoque libri communem sententiam comprobat.

Porro sequitur, ut unus sit liber atque simplex. Quem discerpere in particulas coeperunt exeunte saeculo superiore (nam de Rich. Simon dubia est quaestio; cf. Grandvaux, *Étude*... ante comm. Le Hir p. 4). Quidam unius esse scriptoris unoque de amore carmina disparata arbitrabantur, alii fortuito multa coagmentata esse. Quarum opinionum astipulatores aliquamdiu fuerunt permulti; nimirum quid melius opponerent allegoricae interpretationi, quam omni modo impugnabant, non habebant. Nunc paucissimi eas defendunt (v. etiam acatholicos *Z.*, *Del.*, *Kaempf*, *Stick.*, *Kossow.*, *Ren.*, *Gr*...), sed consuetudo fert, ut dramatis species vel similis exquiratur. Quae explicatio, etsi stare ne ipsa quidem poterit, tamen aliquanto probabilior est. Nam quo casu quove consilio particulae illae conflatae essent, nemo conatus est divinare; in numero autem earum definiendo alius aliter, frustra omnes elaborarunt: inscriptio, quomodocunque eam interpretere, unum indicat carmen; denique poetica dignitate Cantici (ne dicam religiosa) quid fiet? Itaque desperationis, non rationis fuit haec tota pulcherrimi carminis consectio.

II. — QUID CAVENDUM SIT INTERPRETI.

Sed si Salomonis esse carmen unum sanctumque et a Spiritu S. inspiratum partim docti a maioribus partim rationibus commoti iudicamus, tamen de eius *interpretatione* magna est disputatio. Praeterea sunt etiam *eiusmodi* genera interpretandi, quibus summa Cantici sententia, quae veterum Ecclesiaeque opinione in Christi cum Ecclesia desponsatione versatur, aut exterminetur aut periclitetur. Itaque hic breviter explicando potius ac praecipiendo, quam demonstrando atque refutando dicemus, et quae initae sint et quae ineunda sit via interpretandi; infra quaedam accuratius edisseremus.

a.) Veteres plerique in pia meditatione potius, quam in accurata compositionis et verborum sententiarumque explanatione versantes, non diligenter (ante scholasticorum aetatem), quae esset *totius* Cantici descriptio ac divisio, qui rerum *ordo*, quae *progressio* mutui inter Sponsum et Sponsam amoris, investigarunt, et in singulis versibus explicandis aliena multa attulerunt. De summa enim Cantici sententia inter eos omnino constabat, ut paullo iam liberius liceret pietatis gratia ea proferre, quae longius a propria sententia recederent; *uti* igitur saepe malebant verbis propositis, ut utilia de divinis rebus meditarentur, quam more hodie usitato orationem perpetuam accurate enar-

rare; neque negandum est ea in arte a saec. 12 et magis a saec. 17 non exiguos cerni processus.

Praeterea illi transferre ad morum utilitatem omnia studebant, quae proprie de Ecclesiae dignitate scripta esse fatebantur; substituebant igitur saepe pro Ecclesia *animam piam*. Quod etsi item facile abducebat a propria verborum interpretatione, tamen, si de illa (generatim) dubitatio nulla erat, et rectissime et utilissime fiebat. Nam qui honor, quae gratia Ecclesiae universae confertur, eius particeps est multitudo fidelium eorumque unusquisque, nisi nomine christiano indignum se reddidit. Atque hoc necessaria etiam ratione consequitur, ubi primum amplificare atque exponere uberius sententiam propriam coeperis; itaque hanc secundariam sententiam theologi recte « *sensum consequentem* » appellarunt. Quamquam multo longius progressi veteres omnem etiam *accommodationem* non necessariam, sed utilem amplexi sunt.

V. g. *Or.* ad 2,9 domum dicens esse Ecclesiae, *propriam* sententiam, sed eam transferens ad animam, *consequentem;* denique domum Ecclesiae vel animae distincte interpretans, *accommodatam* proponit. Atque haec pro illa libertate, quam dixi, ne ordine quidem isto exponit, sed *prius* de anima loquitur, cuius domum dicit Ecclesiam cum iis gratiis, quae in ea contineantur : « Anima, quae in Eccl. esse dicitur,... intra munimenta fidei et aedificia sapientiae posita celsisque fastigiis caritatis obtecta »; *deinde* de Ecclesia, eiusque domum vocat vetus Testamentum : « Si vero de Christo haec et Eccl. exponamus, domus, in qua habitabat Eccl., scripturae sunt legis et prophetarum »; utrobique autem, ut apparet, domum explicans ea dicit, quae ad locum enarrandum proprie non spectant. Nihil enim ibi sacer scriptor proponit nisi Sponsam a Sponso e domo ad vineae culturam evocari. Iam recte dicemus, si Ecclesia evocetur, evocari singulos fideles. Sed quamvis bene possit anima fingi in Ecclesiae domo habitare, tamen id hoc loco, ubi *egredi* iubetur, non quadrat; nec Eccl. (primitiva) e sua domo, si quidem Scriptura veteris Testamenti intelligitur, egreditur, nisi hoc statim sic inflectas, ut facit Or., dicasque « e littera ad spiritum » egrediendum esse; at ne sic quidem domus imago satis convenit « litterae legis ». Legenti autem illam totam Or. explicationem facile elucet, et non necessaria et parum convenientia ab eo in ista accommodatione afferri et aliquam oriri etiam perturbationem, quod hic non a prima atque propria sententia verborum (ut alias solet) proficiscitur. — Eandem domus imaginem 1,16, ita explicat, ut de propria sententia *nihil* dicat, sed Sponsam tantummodo ut animam consideret, quae in domo maxima, i. e. in Ecclesia habitet. Deinde ac si veram verborum sententiam enarret, non ex vera aliquid consequens deducat, in hac animae domo etiam tigna cedrina et trabes cypressinas interpretari aggreditur. Trabes igitur cypressinas vult esse episcopos ob operum soliditatem et doctrinae fragrantiam, tigna autem cedrina presbyteros ob incorruptionis virtutem et odorem scientiae Christi. Sed haec longius petita sententiam loci propriam non illustrant. Facit etiam, quemadmodum hic cernere licet, studium nimium accommodationis, ut color poeticus dictionis prorsus deteratur; nam ut pulcherrimum est, magnificam cogitare domum e cedris cypressisque exstructam, ita illa minuta interpretatio nihil iam relinquit poeticae imaginis, sed

borem pulcherrimam omni fronde et flore
etiam incertissimum, utrum sic, ut Or.
s partes, an ita, ut est v. g. apud *Bed.*,
aquearia (« trabes » LXX) « simpliciores
ta sacer viam interpretandi non ipse mon-
catione abstinere. Atque haec speciminis
terpretandi, deque sensu proprio, conse-
poetica conservanda dicta sint.



7. potissimum saeculo, ita consce-
men prius verba quam accuratis-
mque », inquit *Sanctius* in praef.
ntenti, quem videbant in hoc hie-
S. esse propositum, de *littera*,
hil laborarunt aut modice; gustare
avitatis avidi, suavem spiritus me-
minus gratum aut non curarunt
uerunt ». Id nuperrime dicit tenta-
robati non sint, etsi in novo negotio,
n Patrum studium abstinuisset, no-
a », attulerint. Se quidem nunc id
veniamque rogat, si in « contexen-
antiquis aliquando discedat; « nam
quem maioris claritatis gratia *seor-*
plerumque secutus sum, quod pro-
bari maxime videbam antiquis patribus, nisi quando nova aliqua expositio historica novam etiam expositionem allegoricam postulabat; in qua data opera mihi est, ut quid Patres eo loco sentirent, explicarem ». Addere igitur hic aliquid SS. Patribus, non demere instituit, addere autem potissimum « fili contextionem » et « historicum sensum » seorsum ante allegoricum. Existimabat (ib.) aut rem gestam, aut geri solitam exhiberi, aut certe hic esse « *perpetuam* metaphoram, in qua *singulae* partes inter se *filo cohaererent non interrupto* », propterea quod turpe esse videretur non satis perpetuitati carminis studuisse Salomonem. Explicat amplius (prol. 2), Salomonem ipsum non videri in Cantico induci, sed nomen ob significationem « Pacifici » vel « Hierosolymitani » vel ob typicam designationem electum esse; et Sponsam ait (prol. 2 et 3) « fingi » rusticam et gentilem s. alienigenam. *Filum* autem suum repetit a *ritibus nuptialibus* Hebraeorum (praef. et prol. 3). Ergo huc inclinat, ut Canticum sit *parabola* in ea re, quae fieri *solita* sit apud Hebraeos, negatque v. g. 6,7 Sponsum intelligi ipsum Salomonem. Ex quo cognoscitur, « historicum » illum sen-

sum accipi debere pro sola grammaticali parabolae enarratione.

Videntur haec optime se habere omnia, praesertim cum « filum » semel repertum non possit non totum ordinem carminis demonstrare et quidem verius quam quidquid attulerunt pauci antiquiores, qui (ut S. Thomas) in ordinando toto carmine elaborarunt. Sed incommode Sanctio accidit, quod cogitur in suo ordine historico, quem cum ritibus Iudaeorum congruere vult, magnam inversionem « dramaticam » statuere, ut ille *aliquatenus* in Canticum quadret; v. g. hic locus 5,2-6,1 (Vulg.) apud S. quintam constituit carminis scenam, sed « historice » haec, ut ipse dicit, primo loco ponenda est; itemque alia inverso ordine dicta vult (praef. et prol. 7). Itaque et hoc dubitationem movet et modus sane artificiosus neque facilis ad ritus Hebraeorum omnia accommodandi; praeterea demonstrari vix potest, eos ritus esse antiquos, et propius quam oportet ad Theocriti similitudinem Canticum ab interprete deducitur, etsi idem maximo opere laborat, ut ab eo speciem turpitudinis amoveat (praef. et prol. 8-10).

Similis est *Bossuetii* conatus ad septem nuptiarum dies omnia referendi et quasi septem carmina in unum coniungendi, similis est, inquam, quia hic quoque interpres quandam historiae litteraeque perpetuitatem alia via reperire studet. Laudabile studium profecto, sed perpauci hodie septem dierum divisionem admittunt, eamque probari nequaquam posse infra ostendemus. Boss. autem *plus* verae historiae, quam *Sanct.*, reperit miscetque omnino facta fictis, etsi plurima ficta esse concedere cogitur; Patrum allegoricas explicationes generatim omnino amplectitur.

c.) A PP. longe recedunt quidam protestantes (*Del.*, *Zoeckl.*, *Kossow.*), qui licet mysticam Cantici explicationem non prorsus aspernentur, eam tamen ita faciunt secundariam, ut toti in historia, quam omnino veram putant, enarranda haerere videantur. Consequens fuit, ut *plerique* acatholici, *nihil* iam praeter hanc ipsam amoris profani narrationem in Cantico contineri opinarentur. *Dramaticam* hi fere perpetuitatem actionis, additamentis ad voluntatem excogitatis, exhibere conantur.

Ecce tibi per gradus quosdam descensus a Patrum subtilitate nimia ad rudiorem ac denique ad ineptam « historicam » interpretationem. At huius declinationis, quam paene necessario evenisse arbitramur, *causam* hanc unam statuimus : quod ad emendandum id, quod antiquitus erratum esse videbatur, *via admodum periculosa eademque falsa* inita est. Quae igitur? Illa ipsa *litteralis* explicationis, *relicta* in-

terim ac dilata ea, qua Patres fere sola utuntur. Illi quanto plus accessit, tanto haec est longius ablegata. Sed ubi propria vitii sedes? Videtur enim optimi esse consilii verba singula accuratissime perpendere, deinde, si necesse sit, mysticam sententiam exquirere, sin nulla sit necessitas, eam omittere (etsi omittere in hoc sacro carmine homini catholico certe non licet). Recte omnino, si haec norma recte adhibetur; sed distingui quaestionem oportet cautissime. Possunt enim duo contingere, 1. ut illa ratione vera ac propria scriptoris sententia non facile inveniatur, 2) ut ad ea deveniat eiusmodi verborum enarratio, quae ab illa vera sententia multum discrepent. Nam translationes in allegorica poesi tam longe a vi propria vocabulorum amotae saepe sunt, ut rem diversissimam *tenui similitudine coniunctam* significent. V. g. fornicationis imago Ez. 16 translata ad idololatriam omnemque veri Dei neglectionem eiusmodi est, ut per se sola non intelligatur; adhibenda est sententia universa loci propositi, *aliunde nota :* tum quid verba singula sibi velint, elucebit. Falsa est igitur haec norma : e littera semper veram sententiam eruendam esse. Immo id fieri saepissime non potest, nisi *statim* adhibeas mysticam. Recta igitur interpretatio allegoriae haec est, ut prius quo tendat oratio exquiratur, deinde ad *hanc* notitiam singula explicentur. Iam illud aliquando *testimoniis* satis constat; alias e carminis serie ac tenore studio aliquo cognosci oportet; sed ubi res confecta est, non est haec seponenda notitia, sed ad omnia explicanda adhibenda. Quid iuvabit Ez. 16 fornicaria illa, quae verborum proprietas sonare videtur, separatim considerare atque expendere? Nihil id lucis ad loci intelligentiam afferet; quin immo turpibus cogitationibus animum immerget, quas facile vitaveris, si statim sanctissimum prophetae propositum ob oculos habueris nec in verbis aliud attenderis praeter illam *umbram* similitudinis — sic enim in rebus tam diversi generis loqui licet — quae inter fornicantium flagitia et idololatriae turpitudinem intercedit. Sed illam umbram ut percipias, satis est verborum quasi *superficiem* strictim praetervolare. Sequitur ut aliqua sane, sed *levis* contemplatio vulgaris eorum significationis requiratur, i. e. ut communis consuetudo loquendi et grammaticae praecepta tibi nota sint : *explicatio et enarratio* singularum enuntiationum plerumque nulla erit necessaria; sed quomodo *translata* immutataque sint vocabula, id studiose erit investigandum. Item continuatio s. « *filum* » perpetuum orationis non tam in propria, quam in translata verborum significatione cernetur; nam haec sola ad primariam scriptoris sententiam pertinet. Ut in singulis metaphoris, sic in allegoria secundarii adminiculi loco adhibetur imago poetica; progressus sententiarum non ab hac, sed aliunde repetitur. Certe in

allegoria, quae est *continua* metaphora, etiam quaedam perpetuitas in imagine est, sed secundaria, non primaria. Ita fit ut saepe absurda quaedam videantur poni in imagine, quae optime se habeant, si quo spectet imago attenditur; v. g. Ez. 16,40 meretrix illa lapidatur ac trucidatur, et tamen superstes est, quae res in *populo,* cuius illa est imago, nihil habet admirationis. Ibidem tota descriptio meretricis monstruosa prorsus est, si separatim ac sola accipitur : ad omne caput viae cum omni transeunte, Aegyptio et Assyrio, mercede etiam ultro data peccat, suos filios idolis immolat, et ipsa et sorores eius proiecerunt viros et liberos suos... Haec, quae monstruosa sunt in singulis feminis, in aliqua natione, quae allegorice designatur, non sunt ita inepta; sed adde quod longe *aliter* fornicatio est interpretanda, et quod in allegoria imaginum *exaggeratio* omnino usitata est poetis.

Iam vero ut ad hanc regulam de Cantici interpretatione iudicemus : error fuit maximus, quod existimarunt, ex vulgari litterae vi ac notione efficiendam esse aliquam « historiam » perpetuam atque optime ordinatam (sive eam fictam sive veram dicebant), verba singula atque enuntiata seorsum *diligenter* expendenda esse, mysticam interpretationem *interim,* dum illa amatoria narratio contexta esset, differendam.

Soli quidem protestantes eo usque progressi sunt, ut *totum* amatorium carmen vel eius partes *longiores* prius absolverent, deinde aut subiungerent aut omnino omitterent mysticam sententiam. Cui rationi illud adiunctum est maximum malum, ut prorsus detineatur animus in humanis amoribus. Sed apud catholicos quoque enuntiationum separata enarratio *historica* in magnam saepe inducit *turpitudinem.* Nam ea est Cantici oratio, ut speciem prae se ferat ardentissimi amoris, quem, nisi statim ad aestum quendam divinae caritatis transferamus, non possimus nisi libidinosam cupiditatem dicere. Quae enim de Dei caritate sanctissime dicuntur, ea de sponsi sponsaeque humano amore proposita, si non continuo ipsa peccata significant, tamen saltem peccatis sunt valde finitima; aliud enim iam, ut ante dixi, in historica explicatione verba sonant, si sunt secundum omnem vim vulgarem interpretanda. V. g. etsi animam inusitata gratiae dulcedine invitatam Deum flagranti caritate complecti honestissimum est, at sponsam post insolita sponsi blandimenta eum ardenter amplecti (ut res esset Cant. 2,6), id peccato vacare, pro naturae lapsae debilitate, vix potest. Evenit igitur, ut qui accuratius litteram, a mystica significatione seiunctam, expenderent, vel *invitissimi* sanctitatem Cantici commacularent. Hoc autem quoniam nobis plurima perlegentes omnino persuasimus, aperte pronuntiare cogimur. Demonstravimus paulo ante, cur in ipsa

quoque natura allegoriae positum videretur, *coniuncte* litteram cum mystica sententia exponendam esse. Non est sane, cur negemus, in multis allegoriis, praesertim brevioribus, sine detrimento posse haec separatim tractari, quia nec ulla absurditas nec alia offensio oritur. Sed in Cantico multa sunt et absurda et turpia, si litterali explicationi vel ad tempus inhaerescas.

Removere offensionem quidam studuerunt, cum toto carmine *coniugalem* amorem, non sponsalem interpretarentur. Sed primum homo verecundus ne coniugalem quidem amorem *describit* ita, ut hic fieret, si littera per se sola esset concipienda, cf. 1,11 sqq.; 2,3 sqq.; 3,1. 4; 5,1; 7,2 sq. 8 sq. Quis non haec in profano scriptore libidinosa diceret? — Praeterea cc. 3 et 4 demum desponsationis vel nuptiarum dies describitur. Quis igitur erit ordo carminis, si in ipso initio coniugalis amor proponitur? Quodsi quem excogitaveris ordinem, poterisne aliquam *rationem* vere probabilem afferre, cur poeta non a desponsatione orsus sit?

Fuit qui acriores colores, quibus amor in Cant. depingitur, si ex littera sola iudicatur, ita excusaret, ut *primitivam innocentiam* amoris describi diceret. Per se enim amorem illum naturalem bonum esse atque tam etiam sanctum, ut eum apostolus ponat pro symbolo Christi caritatis erga Ecclesiam (Eph. 5,32). Recte omnino; non esset igitur fortasse offensio in ardentissimi amoris descriptione, si ea nunc esset conditio innocentiae, quae fuit initio. Nunc autem nec coniugalis amoris nec sponsalis (quem ante c. 5 statuere debemus) *eiusmodi* descriptio offensione caret; quam a sacro scriptore profectam esse minus etiam verisimile est.

Accedit quod *exempla* interpretum declarant, non facile posse historiam perpetuam contexi, nisi ipsi scriptori attribuantur non pauca, quae minime dixit; *exornari* enim et amplificari eius verba oportet, ut bene continuentur. Atqui his additamentis potissimum augeri solet offensio; nam in *romanensis fabulae* et *Theocritei idyllii* similitudinem Canticum dilatatur, et tamen aegerrime illa perpetuitas, quam quaerunt, perficitur.

Sed illa ipsa opinio amoris humani quandam *perfectissimam speciem* littera Cantici proponi tota in errore versatur. Ut non dicam, huiusmodi sententiam *ignoratam esse ab antiquis,* non potuisse autem (cum *tanti* esset momenti) facile ignorari, alia omnia carmen ipsum ostendit. Nam ab initio iam ea amoris *communitas* describitur, quae nec in coniugali nec in sponsali amore locum habere potest, si quidem de (primitiva) perfectione amoris quaeritur. Deinde quae 6,7 dicuntur, etiam *polygamiae* speciem ostendunt. Frustra affirmaveris, v. 8 significari monogamiam; nullum enim indicium est, etsi una *praefertur* uxor, ceteras dimitti; idque tanto incredibilius est, quia de Salomone rege agi volunt (ipse enim David longe afuit a monogamia), et quia a ceteris (dimissis) praedicatur et laudatur Sulamitis. Denique nihil primitivi amoris proprium ostenditur. Non enim nisi uno loco (8,6 hebr.) ad *Deum* amor perspicue refertur, nec *virtutis* potissi-

mum admiratione, sed formae intuitione excitari videtur (cf. totum fere carmen), nec insigni cum *moderatione*, sed prorsus ardenter exprimitur, nec « *bonum prolis* », quod in vetere potissimum Testamento summum videri necesse fuit, usquam commemoratur. Ubi est igitur illud, quo inducamur in cogitationem eius amoris, quo primi generis nostri parentes, antequam peccaverunt, coniuncti fuerunt? Nonne id totum excogitatum est et afflictum poetae? Sunt autem quidam loci, *si* humanum in modum littera accipienda est, sine dubio ne in coniugalis quidem amoris descriptione non illecebrosi, alii fiunt interpretatione historica, in qua non potest fieri quin additamenta conficta ipsius narrationis lenocinia augeant.

Sed haec occurrit dubitatio : « An tu revera concedis in ipsa littera Cantici a S. Spiritu inspirata indecoras esse imagines? » Dico *tum* esse, si ita, ut multi fecerunt, « historice » enarretur. Id autem dico partim idcirco, quod et in singulis quibusdam locis et in contexenda illa fabula amatoria addunt atque addere coguntur, ut « historia » compleatur, quae cogitationem commaculent; exempla afferre possum plurima ex plurimis interpretibus et aliqua suis locis proferam. Partim etiam idcirco dico, quod vocabula aliud in nuda littera, aliud in littera allegorice concipienda significant. Nam v. g. fornicatio Ez. c. 16 non est peccatum luxuriae, sed idololatriae, ergo in *genere prorsus diverso;* nihil habet cum vi usitata verbi commune nisi hoc, ut sit foederis sanctissimi laesio. Item quaecunque in illa describenda ponuntur a propheta, nihil pertinent ad peccata libidinis, et *aberratio* est cogitationis, si quis ea legens huiusmodi peccata recogitat. Reminisci sane ea necesse est; sed aliud est recogitare, aliud reminisci; illud quandam moram indicat, hoc non item; illud potest esse periculosum, hoc non facile. Ergo in illa allegoria Ez. 16 et in Cantico a vocabulorum vi usitata animus *illico* transfertur ad ea, quae sunt longe diversa, ut nullum sit periculum peccandi, nisi mens evagata nolit sequi scriptorem sanctissime loquentem. Sequitur, ut, quamquam nemo male paratus ad Cantici lectionem debeat accedere, tamen bene paratis nulla sit offensio (cf. supr. p. 338 sq.). Multo plures sine periculo legerent, nisi debilitas quaedam animorum facile ad turpia evagantium obstaret; quae potest esse diversa in diversis, ut alium alio cautius agere oporteat, nec sit ita facile definire, quo usque progredi scriptorem aliquem usurpandis huiusmodi metaphoris expediat ac deceat. Hodie fortasse plures, quam olim, a legendo Cantico arcendi sunt. Sed id hoc loco non quaeritur, rectene fecerit Salomon, cum sic scriberet, quem abunde defendit non modo inspiratio divina, et Ecclesiae sanctio, verum etiam sanctissimi cuiusque viri utilitas spiritualis e Cantico percepta. Nobis id unum demonstrandum fuit, aliud esse periculum, si quis litteram *statim* intelligat allegorice, aliud si in usitata verborum significatione detineatur ac moretur, aliud ipsis verbis contineri, si ex iis tantisper fabula humani amoris componatur, aliud, si vix umbra relicta usitatae notionis, tota in ea vis infundatur sententiae allegoricae. Non sunt igitur imagines indecorae in Cantico, quia sententia allegorica prudentem lectorem prohibet turpia recogitare, breviter autem reminisci verborum notionem, cum honestissima decentia consistere optime potest. Postremo *hic* adde, si placet, primitivi amoris castitatem intelligendam esse; nam de allegoria Cantici ubi constat, sane *cogimur*, amorem humanum, unde sumpta metaphora est, mente fingere omnino purissimum, perfectissimum, divinissimum; atque hic supervacaneum erit quaerere, utrum sponsalis an coniugalis caritas subiecta sit imagini poeticae.

Dicet aliquis, si vis vocabulorum usurpatione allegorica sic extenuari possit, posse

etiam *pictam* foeditatem, modo allegorice concipiatur, fieri honestam. Id non sequitur, etsi forte foeditas illa vacat peccato (ut dicunt quidam de coniugali amore Cantici). Nam res foeda oculis obiecta multo vehementius commovet sensum libidinis, quam eadem verbis enuntiata; an nominare foeda idem est atque pingere? Nec vero concedo foeda dictu inveniri in Cantico. 7,2 « umbelicus », in quo quidam gravissime offendunt, causam offensionis vix maiorem praebet, quam cum Graeci Delphos vocant umbelicum terrae; an umbelicus Ecclesiae quidquam *potest* inhonesti offerre menti recte comparatae, nisi quis haeret in imagine? Sane totus iste locus, si sponso vel marito alicui humano tribuitur, turpis est, fitque turpior, si etiam 7,8 debeo prius amatorem puellae (vel uxoris) sic fingere loquentem; eadem haec ultima quam tandem *possunt* excitare inhonestam cogitationem, si « arbor » Ecclesiae meo animo obversatur? Item v. g. 5,1, si cogitandus est sponsus vel maritus ita loqui humanus, atque ita invitare ad voluptatem captandam (sive ab eadem sive ab alia femina), quis negaverit id esse spurcae libidinis? Sed haec verba si de Sponsa Ecclesia dicit Sponsus divinus, non potest nisi maculato iam animo macula levissima aspergi. Nonne igitur apparet *gigni* historica consideratione, non *inesse* in sacri scriptoris oratione foeditatem? Quamquam num « umbelicus » Ecclesiae metaphora sit poetice *apta*, hic non quaero, quaeram autem suo loco; hic unum dico : foedam eam non ingerere cogitationem, nisi quis ultro se immergat rebus a scriptoris argumento alienis, esse autem, si marito tribuantur, foeda plurima, saltem in huiusmodi *narratione ac descriptione*, atque etiam illecebrosa.

Quae cum ita sint, nihil relinquitur, nisi ut ab hoc toto genere nos avertamus et illud filum contexendae orationis inde, unde oportet, a mystica, inquam, sententia repetamus, verborum autem vulgarem significationem *non ultra, quam a poeta assumpta est*, persequamur. Sic igitur breviter habeto : Testantur et antiquitas universa et sancta Ecclesia, quo potissimum hoc carmen referendum sit. E quo cognoscitur, totum esse allegoricum. In allegoria autem, etsi verba singula ad grammaticae rationem et linguae proprietatem intelligi debent, antequam eorum translata significatio percipi possit, tamen eorum vis vera, *huic loco* accommodata, potius ex mystica sententia diiudicanda est, cuius lumine collustrata singula omnia contemplanda et explicanda sunt; cetera a scriptoris consilio *aliena* sunt ob eamque causam prorsus *abiicienda;* directe igitur, non indirecte tendendum est ad id, quod scriptori sacro propositum fuit. Sequitur ut « sensus » sit *unus simplicissimus*. Nam ut antea illum consequentem et accommodatum a vera et propria interpretatione exclusimus, sic nunc multo magis historicum missum facimus, sive vera sive commenticia historia placuit interpretibus, nec litteralem, *si* cum eo confunditur, probamus. Quaerimus autem grammaticum et mysticum, i. e. cognita *generatim* vi vocabulorum et structura grammatica, *statim* ipsam litteram allegorice interpretamur et ex allegorica sententia rerum *ordinem* totum repetimus; fulcri igitur et adminiculi loco habemus vocabulorum usi-

tatam notionem, itemque eorum seriem continuatam, quibus adiuti ad veram sententiam et rerum ordinem *quam citissime* perveniamus. Multo magis autem, si universa interpretatio, *etiam singulorum verborum,* spectatur, iuvari nos allegorica sententia quam aliqua historiae specie, persuasum habemus. Quod ut similitudine illustremus : ii interpretes, quos reprehendimus, quasi per vestibulum in medium aliquod spatium templi et per hoc in sancta sanctorum (nisi forte iam ante consistunt et manent) pervenire conantur; at nobis in ipso limine templi illico patere sancta sanctorum videntur; nihil ibi profanum oculis occurrit; sine mora Dei incolentis fruimur et praesentia et aspectu. Ab antiquis autem sic differimus, ut illi Spiritus ardore sublati quasi involare in conspectum Dei eumque solum intueri, nos pedibus ingredi et ornatum quoque templi circumspicere videmur, i. e. et litteram paullo diligentius attendimus et ornamenta poetica non negligimus. Ita tantum fere ab antiquorum accommodationibus, quantum a recentiorum historica explicatione recedimus.

De *forma* poetica Cantici *lyrica et quasi scenica* v. post explicationem 3,1-5.

Quae *divisiones* Cantici et ab aliis pro illa interpretandi diversitate propositae sint, et quam ipsi sequendam esse arbitremur, inutile sit iam hoc loco explicare. De qua re tum dicere malumus, cum quattuor prima capita Cantici interpretati erimus. Nunc *exemplis* ostendere placet, quam varia fuerit atque hodie sit singularum partium explicatio.

III. — SPECIMINA INTERPRETATIONIS PERPETUAE.

1. *De allegoria.* — *a)* S. Thom. Aquin.

Antiqua ratio interpretandi *allegorica* est, a qua ante medium saec. XVIII. pauci discesserunt. De qua quoniam primum dici oportet, ea seligo exempla, in quibus plus auctoritatis ac ponderis sit. Ordiri autem placet a principe scholasticorum; dignum est enim eius opus, ut mox elucebit, diligentissima consideratione.

Duo S. *Thomae* feruntur commentarii, quorum alter ab his verbis incipit : « *Salomon inspiratus* », alter praefationi inscriptam habet sententiam illam capitis secundi : « *Sonet vox tua...* ». Illum editores Romani, a Pio P. V. constituti, nomine Sancti Doctoris insigniverunt; sed iis quominus assentiamur, multa obstant. Idem enim fere commentarius aliis multis scriptoribus codicum auctoritate attribuitur : Cassiodorio (saec. 6), Haymoni Halberstadiensi (saec. 9), Remigio Antissiodorens (paullo post illum), Brunoni Astensi (saec. 12), et in multis mss. anonymus est. Immo vero eiusdem pressa epitome exstat inter opera Isidori Hispalensis (saec. 7), fusior autem

Bedae (saec. 8) explanatio ita est similis, ut hunc fontem ceterorum commentariorum, quos diximus, fuisse merito existiment editores S. Thomae Parmenses (1863 XIV, 689 sqq.). Satius igitur arbitramur Bedae id totum opus ascribere eiusque auctoritate (quae maxima aliquot saeculis fuit) reliquis omissis nominibus uti; nam a Cassiodorio haec non esse profecta satis demonstratum est a Garetio (Migne 69,433; argumenta breviter composita vide ib. 164,16), nec, cur Isidoro tribuatur, ratio probabilis est.

Sed altera illa explicatio, quae orditur a verbis : « Sonet vox tua », tam prope accedit ad S. Thomae rationem interpretandi doctrinaeque proprietatem, ut ipsius esse omnino videatur. Quae typis vulgata est primum a. 1545 apud Petrum Gualterum (loco nullo addito) ac deinde identidem. Illud dubitari non facile potest, quin aliquem in Canticum commentarium S. Thomas conscripserit; testes enim sunt Logotheta, Bern. Guidonis, Petr. Rogerius, Ioann. de Columna (vel eiusdem fere aetatis interpolator), alii. Guilelmus de Tocco (in Vita c. 10) narrat praeterea ab illo moribundo « breviter exposita esse Cantica Canticorum », quam explicationem non esse hoc opus, de quo nunc quaeritur, operose ac diligenter elucubratum, evidens est. Cuius nunc brevem summam excerpendo ob oculos ponere placet.

Praef. : Cantus, qui in hoc libro docetur, non est corporalis seu sensibilis, sed magis intellectualis et secundum spiritum. Exprimuntur debitae affectiones et cogitationes *cuiuscumque animae sanctae vel etiam totius Ecclesiae*, secundum quas intendit gustare divinam dulcedinem et habere sui Sponsi consortium. In hoc libro *specialiter* manuducimur ad divinam dilectionem, considerando divinam benignitatem et meditando, quanta affectione Christus Sponsam suam diligat et quanto desiderio moveri debeat anima sancta ad gustandum dulcedinem divinam.

Divisio libri : Intentio principalis huius operis est exprimere mutua desideria inter Sponsum et Sponsam sive inter *Christum et Ecclesiam* : et quia secundum alium et alium statum alia sunt desideria, ideo secundum *diversos status* Ecclesiae oportet nos hunc librum dividere. *Primo* describuntur mutua desideria inter Christum et Ecclesiam, secundum quod Ecclesia fuit in statu primitivo (1,1-3,6); *secundo* describuntur talia desideria quantum ad statum medium (3,7 « en lectulum » — 6,9); *tertio* describuntur quantum ad statum ultimum (6,10 « descendi » ad finem). Cf. Rom. 11, 24-26. — Qua ipsa divisione excluditur *historia amoris naturalis* alicuius feminae, quae tantum *accommodata* sit ad caritatem supernaturalem significandam; *hanc directe* describi censet S. Thomas. Eadem divisio ostendit, *Ecclesiam*, *non animam*, designari personam *principalem*.

Pars I. a) Sponsa, i. e. *Ecclesia sive anima sancta* desiderat adipisci divinas dulcedines et Sponsi sui Christi degustationes. Dulcedo ista s. beatitudo hauritur secundum contemplativam vitam, etsi congruit Ecclesiae etiam vita activa. Quod voluit, id assequitur Sponsa, cum in cellaria gratiae inducitur (1,1-3).

b) Eadem desiderat fugere exteriores tribulationes, a gentibus et Iudaeis profectas; sed leniter reprehenditur a Christo ob timorem; itaque redintegrata fiducia ipsum amplectitur (1,4-16), — « Vinea mea » (v. 5) intelli-

gitur urbs Ierusalem, « vineae » ecclesiae particulares inter gentes, « sodales » (v. 6) haeretici.

c) Sponsa turbatur etiam sollicitudine filiorum et insidiis haereticorum: quare invitatur a Christo ad flores virtutum producendos et capiendos haereticos, ac libenter consentit, petit autem, ut saepe ad opem ferendam revertatur (2,1-17). In priore parte (v. 1-7) nondum de exsequendo, sed de suscipiendo hoc negotio agitur, ibique Sponsae verbis explicatur filiis Ierusalem, quomodo ipsum negotium intelligendum et ut a caritate exordiendum sit; deinde (a v. 8) de aggrediendo labore praecipitur. — « Vulpes » (v. 15) sunt haereses.

d) Porro Sponsa interiores quoque patitur tribulationes sive distractiones; itaque privata quiete contemplationis cogitur Sponsum per noctem quaerere. Christus inventus sui copiam dat Ecclesiae. Tota pars I. absolvitur laude Ecclesiae : « Quae est ista?.. » (3,1-6.) — « Lectulus » (v. 1) est conscientia s. domus interna mentis; « vigiles civitatis » (v. 3) vanae cogitationes.

Nota infirmiorem esse explicationem huius partis primae ad 1,7-16, ubi illud Vulgatae : « si ignoras te », effecisse videtur, ut intelligeretur Ecclesiae reprehensio aliqua; et ad 2,1-7, ubi nondum apparet evocari Sponsam ad labores suscipiendos.

Pars II. a) Ecclesiae *modernae*, cuius quaedam quies est propria, describitur status contemplativus. Explicatur ad contemplationem requiri, ut convertat se Sponsa totam ad Christum, a quo sunt bona omnia et incipientium (« lectulus ») et proficientium (« ferculum ») et perfectorum (« reclinatorium »), deinde requiritur, ut quanto est pulchrior, tanto citius relinquat sordes huius mundi, denique praecipitur, ut gratiarum abundantia ad vincendas tentationes utatur. Conversio ad Christum designatur eiusque descriptio concluditur 3,11 « Egredimini », item contemptus mundi 4,8 (et 9) « Veni de Libanon », tentationes v. 16 « Surge aquilo ». Adiungitur 5,1 petitio gratiae et largitio. Itaque de vita contemplativa agitur a 3,7 usque ad 5,1. — « Libanon » est mundus; « mundus » enim a contrario nominatus est, ut lucus, quia careat luce; ergo mundi foeditas Libanon, i. e. « candor » appellatur.

b) Eiusdem Ecclesiae praesentis status activus describitur, ut supra in Eccl. prima, cf. 2,8-3,4. Sponsa e quiete contemplationis excitata moras quaerit, deinde fortius a Sponso attrahitur eumque per maximas difficultates quaerit. Non inventum, desiderio aestuans, laudat et ubi sit indicat eique se tradit (5,2-6,2). — « Custodes » 5,7, ut supra « vigiles », intelliguntur vanae cogitationes, quae animum Deo deditum vulnerant atque exspoliant; « hortus » 6,1 Ecclesia est, « areola » B. Virgo, « lilia » electi.

c) Ecclesiae per omnem orbem iam diffusae summa tamen est concordia et unitas. Diversitas est quidem gratiarum, statuum, fructuum, sed omnia unam efficiunt ac summam pulchritudinem. Tota pars concluditur ut prima : « Quae est ista?.. » (6,3-9).

Nota in hac parte II. difficile esse ea sibi persuadere, quae S. Doctor 4,1-4,16 de contemptu mundi et tentationibus et ad 6,1-6 (i. e. ante v. 7) de unitate potissimum Ecclesiae contineri vult. Iucundum est autem audire, quomodo secundam partem a prima distinxerit : Ecclesia praesens primum habet quietem quandam externam; itaque hic nihil dicitur de vexationibus gentilium et Iudaeorum. Deinde Ecclesia primitiva ascendebat per desertum sicut virgula fumi propter persecutiones tyrannorum; Ecclesia vero moderna progreditur quasi aurora consurgens (securior ac gloriosior), quia cessavit persecutio et appropinquavit dies. Postremo Ecclesia modo maximis divitiis est dotata; ideo plus distrahitur interius propter curam temporalium. Ideo, quando narrabatur distractio Ecclesiae primitivae, simpliciter dicebatur, quod in lectulo suo quaesivit Christum, hic autem dictum est : « Pessulum... » (5,6), quia curae temporalium faciunt quoddam obstaculum. Rursus ibi dicebatur : « Quaesivi... », hic autem dicitur, quod Sponsus declinavit atque transivit (5,6); in quo ostendit se Eccl. moderna magis elongatam a Christo, quam fuerit primitiva. Tertio ibi dicebatur simpliciter, quod invenerunt Sponsam vigiles, hic autem quod percusserunt et vulneraverunt et tulerunt pallium (5,7); in quo ostendit moderna Eccl., se magis involvi vanis cogitationibus; nec per se ipsam Christum invenit, sed exposcit auxilium filiarum : « Adiuro... » (5,8).

Pars III. Determinare de ultimo statu Ecclesiae est determinare de *conversione Iudaeorum* vel Synagogae. Itaque

a) Christus invitat Synagogam (quae ignorantiam suam excusat), ut ad se revertatur (6,10-12). — Appellatione « Aminadab » designantur scribae et pharisaei.

b) Christus, ut magis eam alliciat, explicat *futuram* Synagogae pulchritudinem, quam ipse, ascendens in crucem, ei comparaturus sit. Tum illa ei se consecrat, petit opem, fatetur eum incarnatum (8,1), vultque in suorum salutem eum secum retinere et possidere, id quod Christus facile concedit. Toti de Synagogae conversione disputationi clausula imponitur laude congrua : « Quae est ista — suum ». Reliqua sunt Christi et Ecclesiae colloquia. Ille : Quoniam ibi vitam tibi contuli, ubi idololatria omnia corruperat, redde tu, Ecclesia, ardentem mihi caritatem. Haec : Quid faciemus sorori, i. e. Synagogae? Ille : Perficiemus et ornabimus eam. Haec : Parata sum de meo dare (« Ego murus »). Hic Synagoga interpellans fatetur, ex quo invenerit Christi pacem, se etiam intelligere, Ecclesiam fuisse et esse vineam Christi (« ex quo... » iungendum cum iis quae sequuntur). Christus id confirmat, ostendens fructus allatos a pacificis (i. e. contemplativis) et a custodibus (i. e. activis). Postremo idem Ecclesiam rogat, ut adiuvet Synagogam, illa respondens consentit, ut Sponsus ad tempus discedat (i. e. contemplationis donum auferat), sed cito redeat reddatque suam dulcedinem (7,1-8,14). — « Palma », in quam ascendit Christus 7,8, crucis arbor est; « mater » 8,1.2 lex veteris Testamenti, at 8,5 idololatria, ib. « malus » crux Christi, v. 8 « alloqui », i. e. de errore suo compellare.

Nota mirum videri, quod 6,10 repente de Synagoga tractetur; quod tantae laudes (7,1 sqq.) referantur ad *praevisam* necdum praesentem eiusdem pulchritudinem; quod 7,11-13 Synagoga sibi dicatur petere auxilium, cum videatur potius suos fruc-

tus velle ostendere (cf. v. 13); denique quod extrema particula (ab 8,5 « Sub arbore ») artificiosius dispertiatur inter personas, cum id ex verbis aegre eruatur.

Quodsi generatim iudicium faciendum est de toto genere interpretationis : placet praeter cetera *castitas sanctitasque* explanationis universae; nihil enim in ea non dignum Spiritu Sancto invenitur. Persuasum merito habuit interpres illud idem, quod scripsit S. Bern. (Super Cant. Cant. serm. 32) : « Etsi verba sonare corpora atque corporea videantur, spiritualia tamen sunt, quae nobis ministrantur in his, ac per hoc in spiritu quoque causas et rationes earum oportet inquiri ». Itaque sic enarrat omnia, ut ne in mentem quidem quidquam minus sanctum veniat legentibus. — Praeterea laudabili utitur *perpetuitate atque constantia* interpretandi quam antiquissimi plerumque neglexerant, ex posterioribus nemo tam subtiliter persecutus erat. Etsi enim fatetur mysticum sensum (intellige *accommodatum* et adventicium) non debere esse continuum, litteralem tamen (intellige *proprium* et verum, sed in hoc libro nihilominus *metaphoricum* [1]) continuum esse omnino censet (praef.) et continuationem litteralis sententiae servari in omni varietate interpretationis iubet (ad 7,10). Idque suo docet exemplo; nihil enim relinquit inexplicatum, nihil quod non ad universam libri sententiam et ad disputationis praesentis tenorem accommodet. Atque ita efficit maximam dividendi perspicuitatem, intelligendi facilitatem, doctrinae omnis quodammodo absolutionem. Nam et triplex Ecclesiae conditio atque sua cuiusque proprietas pulcherrime adumbratur, et Christi eiusque Sponsae virtutes satis fuse describuntur, et contemplationis actionisque in vita christiana vicissitudo apte demonstratur.

Sed in singulis verbis enarrandis multa sane ingeniosius quam verius dici videntur aut vi quadam in gyrum praestitutae interpretationis compelluntur. Quod effectum reor (si interim *Vulgatae* ab hebraico differentiam omittamus) causis potissimum duabus, *poeticae dictionis* neglectione et studiosiore *allegoriae* consectatione. Suum enim ipsae figurae imaginesque poeticae momentum habent ad sententiam recte percipiendam; quodsi quis earum proprietate neglecta solam allegoriam exquirat, fieri non potest, quin aliquando et a littera discrepet et ad argutias allegoricas deducatur.

Quod quoniam ad recte Cantici aenigmata dissolvenda magnopere pertinet, exemplis illustrabo. Ad 1,1 Pater coelestis dicitur osculans, Filius os, Spiritus Sanctus osculum; id autem quamquam iucundam offert *meditanti* materiem — gratia enim Spiritus S. cum Filio iungimur, nec ad Filium nisi a Patre tracti accedimus —, tamen idem ex *verbis* ipsis curiosius exquiritur nec iis satis consentaneum est; sine dubio enim Sponsa a Sponso, i. e. Christo, non Patre coelesti petit osculum. — Subtilius etiam 1,9 genae intelliguntur caritas, collum fides, murenulae praemia sperata; nam artificiosior profecto est accommodatio nec omnino in explicandis allegoriis ita ad singula descendendum est. Satis sit in generali descriptione decoris muliebris se continere interpretem, *poetae* est metaphoram *persequi*. Multo autem etiam longius S. Thomas (pro suae aetatis *consuetudine*) allegorizando abducitur ad

---

1. Ex toto genere interpretandi erui plerumque debet, quid quisque *litteralem* et *historicam* et *propriam* sententiam vocet; nam alii his nominibus primam et vulgarem verborum notionem intelligunt (sensum grammaticum); alii, ut hic S. Th., *litteralem* sententiam eam dicunt, quam verba *hoc loco* vere designant, quae est perfecta et absoluta, nisi quod piae accommodationes fortasse adiungi possunt; alii *historiam* rem vere gestam appellant; sententiam autem *propriam* interpretari licet aut veram et absolutam, aut grammaticalem, i. e. vulgarem, non *translatam*.

5,11 sqq., ubi comas Christi dicit apostolos, oculos prophetas, genas doctores, labia praedicatores; manus autem ad actionem, ventrem ad contemplationem, crura refert ad utramque iunctam. Ista iam nec nostra patitur aetas nec certe vera admittit norma interpretandi, etsi ubi *sistere* debeat allegoriarum accommodatio, alia nec sane facilis est quaestio. Unum eiusmodi exemplum ipsis verbis exscribam. Ad 7,3 sqq. ita disseritur : « Scientia et doctrina dicuntur *duo ubera* propter duo testamenta continentia quasi ubera lac, i. e. dulcedinem doctrinae. Haec autem ubera, vel eius scientia et doctrina, sunt sicut *duo hinnuli capreae gemelli :* hinnuli enim sunt agiles et capreae acute vident, et designant doctrinam sacram secundum quam et de facili invenimus, quid sit verum, et videmus acute et subtiliter iudicamus ipsam veritatem. Et hi duo hinnuli capreae dicuntur *duo* propter duplicem sensum, litteralem et mysticum, et sunt *gemelli*, quia hi duo sensus semper se vident et concomitantur... Deinde cum dicit : Nasus tuus... commendat eam a discretione spiritus, dicens : Nasus tuus, i. e. discretio tua, per quam discernis bonos spiritus a malis, est *sicut turris Libani*, i. e. turris clara, non deturpata deceptionibus diaboli, et haec turris *respicit contra Damascum*, i. e. contra diabolum : Damascus enim interpretatur potus sanguinis et significat diabolum, qui sitiens sanguinem nostrum tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret ». Haec igitur tempori et (omnium) consuetudini[1] indulgenda, non nobis sequenda sunt.

Quamquam egregie etiam fallamur, si existimemus, veteribus ipsis eiusmodi verborum applicationem visam esse semper *propriam aut necessariam enarrationem.* Quamobrem ipse S. Doctor paullo post ad 7,10 : « Sed utrum debeat (is locus, de quo modo 7,1-7) exponi de pulchritudine quantum ad irascibilem et concupiscibilem, ut tangebatur, vel quantum ad omnia membra Synagogae, ut per oculos intelligantur praedicatores, per caput vero praelati, vel alio modo : dummodo littera [nos *textum* dicimus] sit adaptata, non variat continuationem [i. e. perpetuitatem nexumque rerum ac sententiarum]. Et quod dictum est de expositione huius partis, intelligendum est de *multis expositionibus superius assignatis.* Nos autem secundum modulum intelligentiae nobis divinitus datum adaptationes apertiores fecimus et aliquas factas [ab aliis] recitavimus, ut nobis visum est secundum totalem litterae seriem expedire ». Nondum igitur apud illos veteres satis seiungebantur pia de verbis propositis *meditatio* et accurata necessariae sententiae *expositio*, ascesis et exegesis in unam disciplinam conflatae simul tradebantur, denique utilitas legentium studiosius, quam institutio quaerebatur. Itaque quam copiam veritatis obtulerat Ecclesiae doctrina, eam partim eruere e libris sacris, partim iis *adnectere atque applicare* studebant. Itaque quod Wolbero abbas (in prooem.) de se ipse fatetur, id cadit in omnes fere : « Nos non tantum explanandi gratia id opus assumpsimus, sed hac potissimum intentione, ut inde nobis materiam sumeremus, unde religioso desiderio satisfaceremus ». Nostrum iam est diligenter veram probabilemque verborum ipsorum sententiam enucleare, ita tamen, ut, quod illi praeclare praestiterunt, non omittamus.

b) Comparatur exemplum recentissimum.

Quo in genere laudandus est Bern. Schaefer, qui cum in ceteris rebus

1. Quae consuetudo *communissima omnium* si cui ignota est, adeat Dantis Alighierii « Convivium » : inveniet allegorias non minus mirabiles, quas in *suis* ipse carminibus explicat.

presse sequeretur veteres, allegorias inutiles et ab exegesi alienas fere praetermisit ac propriam verborum sententiam, adhibitis studiorum hebraicorum fructibus, eruere conatus est libro egregio : Das hohe Lied. Münster, 1876. Eius quae sit universi Cantici explicatio, strictim indicabimus. In *tres* id dividit partes, quarum in prima Christus *naturam humanam* sibi despondet (1,1-2,7), in altera *Ecclesiam* (2,8-5,1), in tertia *quamlibet animam* (5,2-8,4); deinde in clausula libri pauca de altero Christi adventu, de reditu futuro Synagogae, de fine mundi adduntur. Haec ultima, ut apparet, satis congruunt cum iis, quae e S. Thoma de Synagoga audivimus, item pars prima, quoniam Christum incarnari est idem fere, quod Ecclesiam constitui, denique etiam secunda pars, quoniam Ecclesia constituta iam et quasi adulta a S. Thoma quoque proponitur. Tertia pars (5,2-8,4) plane discrepat; quare huius potissimum rei a Schaef. rationem repetamus.

Censet igitur *animam* hic pro tota Ecclesia substitui. « Alia iam est », inquit, « ratio amantium nec certe ea familiaritas caritasque quam ante videramus. Neque vero Ecclesia universa ullo tempore dici potest Sponsum pulsantem *aditu prohibere*, aut ita *destitui*, ut illum frustra quaerat, nec, dum quaerit, *percuti* atque exspoliari. Obiici autem vexationes primorum saeculorum non debent, quia hoc Cantici loco Sponsa, dum male tractatur, *poenas* luit *suae* negligentiae et inertiae ». Est hoc quidem aliquid.

Sed obstat a.), quod, si carmen unum est ac simplex, non potest haec Sponsa alia esse atque illa, quam vidimus in partibus superioribus; nec ullum eius rei, i. e. *novae* desponsationis Christi indicium est. Si triplex esset Sponsa, a Christo *solo quaedam* repeteretur in hoc carmine ratio unitatis; sed non modo primum verbum et ultimum Sponsae sunt, sed cetera quoque ita comparata, ut Sponsa *principalis* sit persona, cf. 1,1-16; 3,1-6; 4,1-5,8; 6,3-9; 7,1-8,5; uno tantum loco de Sponso copiosius dicitur 5,9-6,2. Itaque hoc dubium esse non potest, quin Sponsa primas agat nec debeat eius persona distrahi in plures. Sane si res expediri aliter non posset, dicendum esset : tria esse carmina argumento simillima, quae, quia unus est Sponsus in omnibus, non inepte coniuncta essent. Accedit b.) quod filiae Ierusalem easdem esse oportet in tribus partibus, cf. 1,4; 3,5; 5,8. 16; 8,4; quas igitur, si Sponsa diversa est? Nec c.) a tertia parte ad libri clausulam 8,5 sqq. apta erit transitio, esset autem, ut apud Thomam, ab *Ecclesia* ad Synagogae conversionem. Nec d.) ita convenit animae, ut Ecclesiae, *tanta* laus Sponsi, quanta 5,10 sqq. enuntiatur, postquam Eccl. apud Schaef. admodum parce laudavit Christum 1,12. 15 ac postea similiter; vicissim laus *Sponsae* 6,3-9, maxime vv. 7 et 8, non ita congruit animae, ut Ecclesiae. Postremos igitur istos versus Schaef. intelligi vult ex illis verbis evangelii (Luc. 15,7) : « Ita gaudium erit in coelo super uno *peccatore* poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia »; animam enim, quae modo peccaverit (5,3), emendatam esse. Sed aliud profecto est, insigne demonstrare gaudium, aliud (quod quidem hic fieri videmus) *ipsis verbis* huiusmodi animam *ceteris omnibus praeponere*. Denique e.) obiicio opinionis novitatem, non tam quod (in hac re non certe levi) *constantissima* fert consuetudo interpretum catholicorum, ut *totum* Canticum *simul* et ad Eccl. et ad animas singulas referatur; sed potius, quod (ut paullo infra videbimus) adiungit Schaef. sententiam multo magis a communi opinione abhorrentem.

Responderi autem potest ad praecipuas Schaeferi difficultates. Non enim necesse est dici, Sponsam 5,3 negligentia ac desidia peccasse ob eamque causam v. 7 poenas dare. S. *Thom.* illis Sponsae verbis *excusationem* contineri voluit deprecantis, ne in actionem perturbationemque vitae cotidianae e contemplatione abriperetur, deinde iniurias acceptas non poenae causa, sed quadam necessitate evenisse censuit. Cuius opinionis haec non levia argumenta sunt, quod apud Schaef. anima post verba Sponso maxime iniuriosa (*si quidem* repulsam apertam sonant) nimis repente v. 4 una manus significatione ad *ardentissimum* excitatur desiderium Sponsi; deinde quod a v. 10 sic eum praedicat, ut *numquam alias* fit in hoc carmine; cuius rei *causa* idonea non est proposita. Nam etsi aliquando fit, ut, qui peccavit, diligat Deum postea ardentius, tamen id non fit ita subito, ut hic v. 4 demonstratur, et poetae fuit causa aliqua demonstranda. Quamobrem non est, cur S. Thomae explicatio videatur minus probabilis; ea autem tollitur difficultas proposita. Fortasse autem — quae est alia solutio — 5,2 somnolentia quaedam intelligitur, Sponsae *sua sponte* obrepens, a *naturae* fragilitate derivata, ita ut v. 3 nondum satis agnoscens Sponsum tergiversetur, deinde autem ad manus signum prorsus in se rediens intelligat, quis sit, qui vocet, atque caritate exardescens surgat eumque anquirat. Fuit autem fortasse noctu a Sponso excitata ad pericula, pugnas, vulnera *probationis* causa subeunda, ut haec omnia *poenae* rationem non habeant; iam vero facile post *huiusmodi* vulnera effervescit solito ardentius caritas (v. 10 sqq.).

Quae cum ita sint, 5,2-8,4 animam aliquam singularem describi, aegre nobis persuademus; immo *aptius* haec quoque ad universam Ecclesiam accommodantur, praesertim cum prima pars (apud Schaef.) facillime conflari possit cum secunda atque utrique conciliari tertia, efficique carmen vere unum. Nam incarnatione Christus amorem *primum* erga *Ecclesiam*, i. e. populum Christianum, demonstrasse dici potest; ita una iam erit Sponsa primae partis (1,1-1,7) et secundae (2,8-5,1). Et re quidem vera similis est in utraque familiaritas Sponsae (cf. 2,4-7 et 5,1) et similis laus eius (cf. 1,8 sqq. et 4,1 sqq.); quodsi hic laus paullo maior, illic familiaritas interior videtur. Verba ipsa (v. g. 1,1-6) esse vix possunt naturae humanae loquentis, sed cadunt in Synagogam desiderantem Christi adventum vel in Ecclesiam nascentem. In extrema quoque parte (quarta, si placet) omnia simillima sunt (cf. 8,1-4; 7,1 sqq.), eaedemque in omnibus partibus testes filiae Ierusalem.

Sed alia ratio gravius commovisse Schaeferum videtur, vel potius id aliis locis ipse fatetur. Nam 6,11-7,11 *tentationem* gravem Sponsae describi censet, quam maluit animae alicui singulari quam Ecclesiae attribuere. Sed hoc valde improbabile existimo. Nam a.) huiusmodi interpretatio longissime recedit a communi sententia; non enim invenio scriptorem, praeter paucissimos recentes, cui id in mentem venerit. Id ob eam causam mirum est, quod Schaef. *turpitudine imaginum*, maxime 7,8, inducitur, ut laudem hanc Sponsae *non* ut similem c. 4 Sponso divino attribuat; at eiusmodi turpitudinem esse in isto loco, incredibile videtur non sensisse veteres omnes, qui verba speciem indecori offerentia sic ut nos et legerent et intelligerent; b.) Schaef. cogitur « Amminadib » 6,11 (12) interpretari « diabolum ». Quod pauci inter antiquos proponunt, sed ita, ut reliqua *non* huius esse verba arbitrentur. Nec certe interpretatio vocabuli (vel vocabulorum; nam in hebr. separantur : ammi-nadib) defendi potest. Aut enim vertendum est « populus (meus) princeps », aut « populus (meus) principis », aut « Deus (meus) princeps ». De hoc ultimo v. nomina plurima cum עַם composita apud Fuerst-Ryssel s. v. Unde autem Schaef. suam ducat interpretationem, non assequor. — Alias rationes meas contrarias v. in comm. ad l.

Sed quoniam S. Thomae et Schaeferi dispositionem explicationemque Cantici

compararc coeperam, haec addenda esse censeo : Prima pars apud Sch. quam similis sit, hinc apparet, quod etsi de incarnatione Christi proprie agi vult, tamen v. 6 (Vulg. 5) vexationes gentilium, ut S. Thomas, significari dicit; ergo Sponsa potius populus Dei electus est, quam generatim hominum natura vel genus. Eodem spectat, quod Sch. fatetur (p. 135. 143) quaedam de Ecclesia disseri, currumque Pharaonis ipse cum eo confert, qui in Dantis « Purgatorio » symbolum est Ecclesiae; denique p. 141 eam designat « humanam naturam », quae [*Ecclesiae* corpus componat. Quae cum ita sint, haud scio an rectius illa appellatione abstinendum fuerit, praesertim cum nulla indicia ipsam incarnationem pueritiamque Servatoris, sed adulti potius personam demonstrent, nec a 2,8 personarum fiat commutatio, sed eiusdem amoris tempus novum veris imagine indicetur (cf. Sch. p. 150).

In media parte Sch. quattuor quasi gradibus tempore distinctis Christi *in hac terra commorantis* desponsationem cum Eccl. describi censet : 2,8-17 publicam Eius praedicationem, 3,1-5 Eius ultimum e Iudaea discessum et in urbem Ierusalem reditum, 3,6-11 coronationem et crucifixionem, 4,1-5,1 carmen nuptiale. S. Thomas, ut vidimus, *constitutae iam propagataeque* Ecclesiae « modernae » descriptionem intellexit. Cui sane Thomae opinioni unum et alterum argumentum non leve adversari videtur. Maximum est, quod 3,6-11 « dies desponsationis » Christi et rebus ipsis ob oculos ponitur et verbis quoque (v. 11) declaratur; iam vero Christi desponsationem cum Ecclesia perfectam esse in *cruce* constans est Ecclesiae opinio (cf. Eph. 5,25 sqq.). Ipse S. Thomas dicit « diadema » coronam spineam et diem desponsationis tempus illud, quo passus sit Christus, sed ita se expedit, ut velit « filias Sion egredi » *mentis meditatione*, et illum amore complecti, quem sciant *aliquando* sibi desponsatum. Quod autem idem pompam nuptialem non agnoscit totumque locum artificiosius sane interpretatur, displicet. Ita universa illa de Ecclesia « moderna » explicatio fit dubia. Hoc quoque opponi posse S. Thomae videtur, quod « modernam Ecclesiam » interna pulchritudine inferiorem existimat primitiva (cf. p. 357), et haec tamen isto loco *summopere* laudatur (4,1-5,1, ac similia sunt 6,3 sqq. et 7,1-7). At si 4,1 sqq. vere, ut censemus, *nuptiale* carmen est, id certe convenit praecipua quadam esse pulchritudine. — Rursum autem apud Schaef. nequaquam apparet, cur vv. 3, 1-6 ad eos potissimum dies pertineant, qui proxime mortem Christi praecesserunt. Nec illud carmen 4,1-5,1 satis apte Christo *in cruce pendenti* tribuitur. Praeterea apud Schaef. post mortem Christi subito abrumpitur pars secunda et (interposita tertia parte 5,2-8,4, quae est satis diversa) omnium saeculorum spatium transilientes in supremam mundi aetatem devenimus, cum apud S. Thomam descriptio fuerit *continua*.

Iam vero, ut utriusque interpretis reliquam quoque partem (i. e. totam tertiam Schaeferi 5,2-8,4 cum S. Thomae secunda dimidiata) comparemus, universe non magna videtur rerum discrepantia esse. Nam quaecumque Ecclesiae, eadem proportione singulis contingunt; quare ipse S. Th. (ut Bernardus aliique permulti) saepe Ecclesiae cum animae sanctae personam commutant. Certa argumenta nulla sunt, quare non hic quoque Ecclesia praecipue intelligatur, ut modo ostendimus. — In clausula autem libri nihil est, quod magnopere differat inter utrumque, nisi, quod apud Schaef. non facile est videre, cur hic Ecclesia repente in scenam reducatur.

Ergo summatim dicere licet, satis magnam eius esse cum S. Thoma consensionem atque etiam maiorem quam videri primum intuenti forsitan possit, dissensionem in tripartita potissimum persona Sponsae et in capitis septimi explicatione. Resecta est autem a Schaef. quaedam luxurians allegoria, a qua nostra aetas tantopere abhor-

ret, ut nuda ac sincera scriptoris sacri sententia appareat. Quo efficitur ut evidentius cernatur, consentaneam verbis seu litterae esse communem ac pervulgatam in Ecclesia interpretationem. Nam licet omittas, quae Sch. comparandi ac refutandi causa e recentioribus interpretibus attulit, sua sponte incurrit in oculos, *nullam esse in antiqua atque pridem usitata explicatione nimis magnam difficultatem.* Hoc ille quod simplici perspicuoque commentario suo probavit atque demonstravit, insigne est meritum; eum adeat, quisquis impeditiores veterum allegorias fastidiens totum *genus* repudiandum putat.

c) Beda Ven.

Sed quo facilius cognoscatur, hanc Schaeferi enarrationem, si rerum summam spectes, non modo cum S. Thoma, sed cum universa antiquitate congruere, breviter consideremus illum quoque commentarium, quem supra diximus tot tamque diversis auctoribus tribui quemque in *plurimorum* manibus multis saeculis fuisse merito existimes. Cuius ampliorem illam apud Bedam expolitionem sequimur.

Beda igitur sic orditur : « Cantica Canticorum, in quibus sapientissimus ille regum Salomon mysteria *Christi et Ecclesiae*[1], regis videlicet aeterni et civitatis eius *sub figura sponsi et sponsae* descripsit ». Deinde carminis initium (usque ad « Trahe me ») vult esse « Synagogae, hoc est, illius plebis, quae incarnationem Salvatoris fide devota praecessit », cetera deinceps Ecclesiae attribuit, quae non diversa persona, sed re vera eadem est illa « plebs devota » iam nacta Christum praesentem. V. 5 (Vulg.) Eccl. primitiva queritur se a Iudaeis Hierosolymis expulsam et in alias vineas (gentium) eiectam. Ad v. 7 : « Christus benigna increpatione Ecclesiam redarguit » propter diffidentiam (ut apud S. Th.). Ad 2,10 : « Habet Sponsa Christi, Ecclesia videlicet, vel anima quaeque electa, tempus quiescendi, habet item tempus *surgendi ad laborem*... ad excolendas vineas bestiasque nocentes ex his propellendas praecipit exire ».

A c. 3 quasi partem libri novam incipere Beda sic indicat « Restat post Iudaeae vocationem ac dulcissimam cum suo Redemptore collocutionem, etiam gentilitas quo ordine ad agnitionem salutis attigerit, quanto hanc inventam amore tenuerit, specialiter referre. Sequitur ergo vox dilectae de *gentibus* Ecclesiae ». Nihil huiusmodi distinxit S. Th., qui vicissim 3,7 ad « modernam » Eccl. transferri orationem censuit. Beda totum carmen in *prima* Ecclesia (fortasse a 1. ad 4. saec.) describenda continet, ita quidem, ut etiam capite octavo « sororem parvam », non ut S. Th. et Schaef., interpretetur Synagogam, sed « prima », inquit, « nascentis Ecclesiae de gentibus tempora designantur, quando parva adhuc erat numero credentium populorum et ad praedicandum Dei verbum minus idonea remanebat ». Qua in re sequitur S. *Greg. M.*, cuius ipse haec affert : « Nimirum sancta

1. Alibi dicit : Ecclesia *vel anima quaeque electa.*

Eccl., priusquam proficeret per incrementa virtutis, infimis quibusque auditoribus praebere non potuit ubera praedicationis ».

Nihilominus de Synagogae ad Ecclesiam reditu non pauca Beda quoque, dum carmen enarrat, infert. Idcirco studiose distinguit, ut modo vidimus, Ecclesiae partes Iudaicam et gentilem (a c. 3 de gentium Eccl.) ac brevi post (ad 3,4) hanc ipsam ponere videtur eius rei rationem : « Tanto instantius inventum [Christum ego Eccl. e gentibus vocata] tenui, quanto tardius, quem quaerebam, inveni. Quem me nunquam dimissuram esse profiteor, sed tantum in eius semper amore perseverare ac proficere contendo, ut etiam Synagogam, per quam auditum verbi et ministerium regenerationis accepi, ad fidem nominis eius revocare satagam. Constat enim, quia in fine saeculi Iudaea fidem, quam nunc perfida oppugnat, receptura est, quod fieri aliter nequit, quam per doctrinam et ministerium eorum videlicet, qui tunc de gentibus fideles inveniantur ». Deinde « Adiuro vos » (3,5) accommodari posse putat Iudaeis invidentibus gentium gratiae (secundum Act. Ap. 18,14 sqq., cf. 11,2 sq.), porro « Quae est ista... » iisdem admirantibus attribuit (secundum Act. Ap. 10,45). In eandem redit Synagogae mentionem 4,6 et 6,9; atque hoc quidem altero loco ad S. Thomae sententiam (cuius III. Pars 6,10 incipit) prope accedens Iudaeorum incipit ad Christum reditionem describere. Sed hoc differt inter utrumque, quod Beda per *anticipationem* quandam eam ipsam partem Iudaeorum, quae ab initio Christi complexa est doctrinam, *personam* agere vult eorum, qui aliquando ab errore suo revocabuntur. Simile est in *alia* causa, quod dicit ad 8,2 : « Ita haec loquitur Synagoga, quemadmodum Paulus ait : Nos qui vivimus, qui residui sumus... (1. Thess. 4,14) Qui *illorum* se numero iungit, qui in adventu Iudicis vivi invenientur in carne. Et hic ergo plebs antiqua Dei *ex persona* loquitur illius suae partis, quae eum in carne apparentem esset visura », i. e. figura quaedam anticipationis orationi subest. Qua explicatione prorsus opus est, si constare sibi Bedae interpretationem volumus; nam etsi in extremo carmine (ab 8,1) omnino se refert in *prima* Ecclesiae tempora, non ad ultima, ut S. Th., prospectat, ob eamque causam Ecclesiam, non, ut ille, Synagogam « parvam » dici arbitratur, tamen 6,9 sqq. manifesto de revocatione Iudaeorum agit. Quamquam est sane apud Bedam temporis quaedam perturbatio.

Breviter sic concludere licet : Bedam, quamtumvis minime omnibus, at summis in rebus congruere S. Thomae. Nam de Sponso et Sponsa nulla dissensio, atque attingitur etiam ab utroque conversio Synagogae. Quae sunt 5,2 sqq., ea secundum illius enarrationem ad *quartum* fere saeculum pertinere dixeris; sic enim Ecclesiam facit loquentem : Ego dormio, quia donante eius gratia aliquantula vitae huius tranquillitate in colendo illum perfruor. Nec tanto videlicet labori praedicationis, quantum primitiva Eccl. subiit, mancipata nec tot pulsata conflictibus perfidorum, quot primo tempore innumerae nascentis Ecclesiae pertulere catervae ». Quae proxime sequuntur, ea Beda non de culpa aliqua Ecclesiae nec caput 7 de tentatione explicat, ut in his rebus non ita valde discrepet a S. Thoma; discrepat autem et ab hoc et a Schaefero, cum 3,11 desponsationem Christi de incarnatione expli-

cat. Divisionem libri non ita perspicue propositam tamen facile est hanc discernere : I. P. de Synagoga fideli, II. P. a c. 3 de Eccl. gentium, III. P. a 6,9 de conversione Synagogae infidelis. Quam eandem fere distinctius ponit pertractatque Honorius August., qui addit a 7,11 quartam partem de antichristo et fine mundi (de quo obscure Beda). Quibus si adiunxeris S. Thomam (p. 355), habes quendam modum, quo Latini dividere carmen saltem conati sunt. Addo autem hoc loco (de quo imprimis quaerimus) de Sponsa consentire *SS. Ambros., Hieron., August., Iust. Urg., Greg. M.*, et ceteros deinceps. — Sed haec hactenus. Convertamur ad Graecos, ut quid conveniat inter veteres interpretes, quid differat, etiam clarius eluceat; utrumque enim expedit cognitum perspectumque habere, ne aut plus differre aut plus convenire, quam res demonstret, existimemus.

d) Origenes.

Origenis trium operum partes aliquae exstant (Migne P. G. 13,35 sqq. 61 sqq. 197 sqq. et 17,253-288), ac primum quidem brevium *scholiorum* paucae reliquiae (apud Procopium). In his igitur v. g. ad 6,4 dicit, quis sit Sponsus, quae Sponsa : « Ecclesia contemplatur Christi [hominis] decorem et pulchritudinem, cum tamen possit maiore progressu divinam eius intueri naturam... At ille virtute eiusmodi oculorum delectatus, sive *Ecclesiae* dixeris sive *animae* Verbo desponsatae, iubet eam pennis quibusdam intelligibilibus sublime evolare, ut ad fastigium perfectionis enitatur, ipsumque possit item evolantem, nec tantum ad eam se demittentem intuita dicere, id quod Paulus (2 Cor. 5,16) : Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus ». Ib. ad v. 7 distinctius de pluribus loquitur sponsis, quas diligat Christus : « Noli mirari Sponsum habuisse modo Sponsam pulchram, deinde alteram et tertiam et plures. Quas eius sponsas si intellexeris, quales sint, non verebere ex Cantico illud usurpare : *Sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea.* Verbum s. ratio [Λόγος] Sponsus est, rationabilis natura Sponsa, si quidem ratione intelligat anima, et Sponsus accipiat Sponsam. Sed quoniam hic Sponsus non unius utitur sponsae consuetudine, sed plurium et diversarum, una honore regio et omnino praecipuo perfecta vocatur columba. Quae autem regiae sunt, sed eaedem tamen inferiore dignitate, reginae sexaginta appellantur. Porro aliis quoque familiariter utitur, quae timore potius Dei aguntur; hae sunt concubinae. Denique etiam inferiore sunt loco aliae animae minore observantia imbutae, atque hae adolescentulae sunt innumerabiles. Sponsus igitur quia hic quoque [in terra] venustate insignes suaeque familiaritati accommodatas invenit, thalamum reliquit coelestem, ubi angelorum utitur societate et archangelorum, qui quidem sponsae sunt Verbi, itemque throni et dominationes. » — « Parvam » (8,8) Ecclesiam intelligit (non Synagogam), vel animam in hac terra nondum perfecta praeditam rerum coelestium notitia, sed in dies longius cognitione progredientem. Nec quidquam praeterea in rem praesentem e scholiis afferri potest.

Habemus praeterea longissimi commentarii Origenis libros quattuor (de 1,1-2,15) a Rufino in latinum conversos. Eum commentarium summis effert laudibus *Hier.* : « Origenes cum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit... Ita magnifice aperteque disseruit, ut inde mihi videatur in eo completum esse, quod dicitur : Introduxit me Rex in cubiculum suum ». Iam vero in Prologo sic carminis argumentum proponit : « Epithalamium libellus hic, i. e., nuptiale carmen dramatis in modum mihi videtur a Salomone conscriptus, quem cecinit instar nubentis Sponsae et erga Sponsum suum, *qui est Sermo Dei,* amore flagrantis. Adamavit enim eum, sive *anima*, quae ad imaginem eius facta est, sive *Ecclesia.* Sed et magnificus hic ipse atque perfectus Sponsus, quibus verbis usus sit ad coniunctam sibi animam vel Ecclesiam, haec ipsa scriptura nos docet. Sodales quoque Sponsae, adolescentulae cum ipsa Sponsa positae, quae dixerint, quaeque etiam amici ac sodales Sponsi, ex eodem nihilo minus libro cognoscimus ». Alibi, ut ad 1,4, Ecclesiam priore loco nominat, animam « Verbo Dei adhaerentem » altero, et ipsum libri initium primum secundum « historiae *speciem* » (i. e. litteram imaginemque poeticam) explicat, deinde quomodo « interiore intellectu » de Ecclesia, denique, qua ratione de anima sit interpretandum, docet. Praeter *speciem* translatae orationis formamque nihil usquam « historiae » reperit Origenes; quare, dum « historice » explicat verba prima (in comm.), dicit « sponsam quandam supplicare *Deo*, quod sciat *eum esse Patrem sponsi sui* ».

Ad eundem locum disserit, Ecclesiam omnibus iam sponsaliorum vel dotis titulo muneribus ornatam nunc ipsius adventum desiderare; « haec enim sunt Christi oscula, quae porrexit Ecclesiae, cum in *adventu suo* ipse Christus in *carne* positus evangelizavit ei verba fidei et caritatis et pacis ». Prorsus igitur, ut Thomas et Beda et Schaefer a primordiis novi testamenti ordiri carmen censet. Sed explicat ad 1,4 : « Haec Sponsa, quae loquitur, Ecclesiae personam tenet *ex gentibus congregatae*... Filiae vero Hierusalem sunt *civitatis terrenae*, quae videntes Ecclesiam ex gentibus... spernunt eam ». Hic igitur gentium Eccl. opponitur Iudaeis.

Sed cetera, quoniam particula tantum totius carminis exposita est, nihil fere afferunt, quod hic videatur commemorandum. Atque eiusdem modi sunt duae Origenis *homiliae*, a S. Hier. in latinum translatae, quae usque ad 2,14 pertinent (v. has etiam M. P. L. 23,1175 sqq.). Ne hic quidem quae fuerit carminis divisio et praecipuorum quorundam locorum ac posteriorum capitum explicatio, apparet. Illud maxime notabile, nihil usquam apud Origenem de reditu Synagogae significari. Nam et 6,9-12 et 8,1-8 aliter et quidem de Eccl. explicat (v. epit. Procopii M. 17,279. 285). Nec mentionem facit tentationis ad c. 7.

e) Theodoretus.

Transeamus ad Theodoreti satis copiosam Cantici interpretationem. Is in praefatione : « A vetere », inquit, « ad novam Sponsam traducti, sic

intelligamus Canticum Canticorum, ut... sanctorum Patrum vestigia secuti Sponsam unam cum uno Sponso colloquentem agnoscamus, quis autem sit Sponsus, quae Sponsa a sanctis discamus apostolis. Docet nos autem divinus ille Paulus, cum ita scribit (2 Cor. 11, 2) : Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Et Sponsam quidem ex multis dicit conflatam; despondi, inquit, *vos*, non *te*, i. e. animas pias perfectasque virtute; Sponsam enim novit Scriptura sacra *Ecclesiam*, Sponsumque Christum appellat. Et magnus ille Ioannes, qui legis finem et gratiae demonstravit principium, medius inter paedagogum ipsumque sapientiae magistrum positus, cuius quidem aetate umbram veritas excepit, is igitur, Qui Sponsam habet, inquit, Sponsus est; amicus autem Sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi (Ioann. 3,29). Quid quod ipse Dominus se Sponsum appellat? Cum enim Pharisaei sanctos apostolos, quod non ieiunarent, criminarentur, sic refellit eos : Numquid possunt filii Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis Sponsus et tunc ieiunabunt (Matth. 9,15). Ergo Sponsam Ecclesiam, Sponsum autem Christum accipiamus, adolescentulas autem Sponsam comitantes pias illas quidem animas easdemque iuveniles, sed Sponsae virtutem nondum imitatas nec perfectionem assecutas. Itaque et pedisequae sunt Sponsae nec tamen ipsae eodem nomine appellantur ». Item ad 6,7 sq. Sponsam explicat « animas omni sapientia ac virtute perfectas », reginas autem, concubinas, adolescentulas virtute minore instructas, quae fide similes inter se, sed caritate sint dissimiles. Itaque Sponsam proprie intelligit Ecclesiam macula et ruga carentem (Eph. 5,27) sive animas virtute perfectas; sed idem saepe etiam istam notionem amplificat ac simpliciter *omnes* Ecclesiae alumnos intelligit, ut v. g. ad 6,10 sq. modo dicit : « Piorum coetum sacra Scriptura Sponsam vocat », modo : « Sponsa est eorum, qui virtute *perfecti* sunt, chorus », at rursum ante (ad 5,3) dixerat quadam *pigritia* s. *tarditate* Sponsam inductam esse, ut Sponso ianuam non statim aperiret; id autem non cadit in perfectos quatenus perfecti sunt. — De Synagogae revocatione nihil Theodoretus, « parvam » 8,8 Ecclesiam dicit, nec c. 7 quidquam de tentatione. Saepe, ut illi superiores omnes, animam piam vel perfectam substituit pro Ecclesia. Est autem tanto maior eius auctoritas, quod se omnium Patrum, quorum etiam ipsa nomina ponit, niti auctoritate adversus eos disputat, qui coeperint non per allegoriam Canticum interpretari (in prooemio).

Postremo addamus Procopii commentarium ex Greg. Nyss., Cyr. Alex., Orig., Phil. Carpathio, Apollin., Euseb. Caesar. aliisque conflatum (M. 87, 1545 sqq. 1755 sqq.). In eo igitur promiscue vel anima vel Ecclesia nec quidquam aliud Sponsa intelligitur, c. 7 tentatio non infertur, nec usquam significatur, Synagogam ad bonam frugem redituram esse. Item cf. de Sponsa *Gregorium* Nyss. ad 2,10 sqq., 4,1 sqq. (etsi *saepius* de « anima » dicit) et *Philonem* Carp. prooem. extr.

Quae cum ita sint, satis iam demonstratum est, illud convenire inter Graecos Latinosque, Sponsam esse Ecclesiam, Sponsum Redemptorem,

atque ex hoc principio universi carminis derivandam esse interpretationem. Addunt illi accommodationem ad cuiuslibet *animae* cum Christo desponsationem; sed illud prius praecipuum est ac multis locis solum, ut cum « sororem parvam » vel Ecclesiam vel Synagogam explicant. Porro in singulis rebus, etiam paullo insignioribus, nulla consensio est, nec de divisione libri aut gradibus ullis tractationis constat, praesertim cum apud Graecos in hoc genere nihil definiti inveniatur; immo vero incredibilis in multis rebus discrepantia cernitur. Nominatim temporis divisio illa, quam S. Thomas ponebat, nusquam apud antiquiores *eodem modo* enuntiatur et pauci ante S. Thomam simili industria in ea re laborarunt. Tamen indicia quaedam sunt, *aliquem* ab eis profectum progressumque Ecclesiae admitti; imprimis clausula libri *aliquo* modo ad extremam mundi aetatem referri solet. Nec tamen quisquam ante S. Thomam distincte de Synagogae reditu disserit ad c. 8, et pauci omnino de Synag. nisi ad c. 1., loquuntur. Nemo antiquus c. 7 ita, ut Schaefero visum est, segregat a ceteris ac tentationem Sponsae describi censet. In c. 5 de peccato Sponsae diversae sententiae sunt. Allegoriarum lusus maxime varius est. Nihil igitur, ut generatim concludamus, veterum auctoritate efficitur, nisi hoc unum, *allegorica utendum esse ratione interpretandi ac divinum esse Sponsum;* atque id ipsum ita communiter veteres tenent, ut dissentire homini catholico non liceat. In ceteris rebus, utpote dubiis, libertas erit.

2. *De historica explicatione.*

Nihilominus Theodoretus testis est, fuisse sua aetate (5. saec.) et ante, qui de amore *naturali* Canticum explicarent. « Ceterum », inquit (in prooemio), « quia nonnulli eorum, qui Canticum Canticorum calumniantur ac spiritualem esse librum negant, fabulas quasdam ne aniculis quidem delirantibus dignas contexunt, alii, Sapientem illum Salomonem de se ipso ac Pharaonis filia scripsisse, alii autem eiusdem generis scriptores pro Pharaonis filia Abisag Sunamitidem esse hanc Sponsam finxerunt, alii denique his prudentiores regium esse hunc sermonem dicentes, Sponsam populum volunt intelligi, Sponsum autem ipsum regem : idcirco necesse esse iudicamus, antequam interpretari incipimus, istam commenticiam perniciosamque refellere opinionem ». Quam opinionem quanta severitate reprehendat, ipsa eius verba declarant (etiam βλασφημίαν vocat). Pergit autem explicare, quam indignus Spiritu Sancto sit liber amatorius; impudica enim s. licentiosa scripta (τὰ ἀκολασίας συγγράμματα) non a Spiritu divino, sed a spiritu contrario proficisci. Deinde asseverat, aliter sensisse Eusebium Palaestin., Originem Aegypt., Cyprianum Carthag. et « his etiam antiquiores apostolisque propinquiores »; item deinceps Basilium, utrumque Gregorium, « fortem illum pietatis propugnatorem » Diodorum, Ioann. Chrysostomum; denique, « ut rem paucis complexus brevitati consulam, senserunt *post illum universi* ». Nec aliter existimasse orthodoxos omnes

dicendum est. Nam illorum, quos reprehendit Theod., etiam nomina penitus interierunt, nisi quod unum *Theodorum Mopsuestiensem* (4. saec.) publico Ecclesiae iudicio condemnatum scimus in concilio Constantinopolitano II (553). In eodem numero ponendi sunt illi « ecclesiastici », quos Gregorius Nyss. queritur soli inhaerescere « litterae » et aspernari « aenigmata atque allegorias » Scripturae (in prooem.).

Iam saeculo quarto Philastrius Brixiensis episcopus in libro « de haeresibus » c. 135 (M. 12,1267) ita narrat : « Est haeresis, quae de Canticis Canticorum ambigit, ipsa itidem aestimans non Spiritu divino, sed humanarum rerum causa ac voluptatum hominibus ab eodem [Salomone] praedicata, cum coelestium rerum *veritas* humanae *similitudini* comparata genus hominum docuerit. » Quodsi temporis rationem spectes, hos quoque inter Theodori asseclas numerare possis, v. *Cornely*, Introd. II. 2 p. 188 n.

Qui haeretici neminem, quod constet, toto medio aevo sectatorem habuerunt. Primus errorem revocavit Seb. *Castellio* s. Castalio, Calvinianus (medio fere saec. 16), ob quam rem et a Calvino urbe Geneva eiectus et a Theod. Beza acriter reprehensus est (in vita Calvini). Praeter Anabaptistas nemo fere tum alius profanare Canticum ausus est. Saeculo 17 usque ad medium saec. 18 Hugo *Grotius* (qui quidem *verbo* aliquando profitetur, sibi aliquam mysticam explicationem non displicere), *Episcopius* (qui apertius agit), Ioh. *Clericus*... aliique pauci idem docuerunt. Sed a Lessingii et Herderi aetate Protestantes plerique eo declinarunt. Quae interpretatio constanti Ecclesiae traditione satis refutatur, atque adeo illa publica condemnatione in perpetuum reiecta est. Nec profecto ullo modo fieri potuit, ut carmen amatorium, quod, omnis spiritualis sententiae expers, tam ardentem amorem tam acribus depingeret coloribus, in Canonem reciperetur. Sed propria quoque argumenta sunt ex ipso Cantico petita, quibus ostendatur aliud hoc esse ac Salomonis cum aliqua amica colloquium vel idyllium pastorale vel drama amatorium. Sed quoniam media quaedam sententia est, quam a nobis diligentius refutari oportet, iisdem autem argumentis, quibus hanc falsam esse probatur, illam esse falsissimam apparet, brevitati studendum esse arbitramur.

3. *De typica explicatione.*

Sunt igitur, qui et ab illo errore condemnato abhorreant et tamen non speciem historiae, sed ipsam rerum veritatem pro fundamento esse sententiae spiritualis censeant. Quam interpretandi rationem *typicam* appellant, quod, ut quaedam veteris testamenti verae res personaeque futura significent, ita Salomonis connubium cum Pharaonis filia vel cum muliere Tyria vel cum alia qualibet femina re quidem sit verum ac profanum, sed significatione supernaturale atque sanctum. In ea sententia fuisse censetur *Ludovicus Legionensis* (1569 hispanice : Cantar de los cantares; 1580 latine : In Cantica Canticorum Salomonis explanatio); sed in altero quidem comm.

dubitandi locus est, quid potissimum spectaverit; cf. Zoeckl. p. 25, cum Grandv. apud le Hir p. 41. Deinde *Bossuet* (1693) et *Calmet*, qui saltem proxime ad id genus appropinquant, fortasse vix opinantes. E protestantibus in eo numero se ipsi ponunt Fr. *Delitzsch* (1851,1875), *Zoeckl.* (1868), *Kossowicz* (1879) aliique pauci; falso affertur I. *Lowth*, cf. de sacra poesi prael. 31.

a) Bossuet.

Bossuetium audiamus. Qui non longe ab antiquis discedens, in praef. prius, ut illi, sententiam mysticam exponit : « *Verbi Dei* seu Sapientiae divinae atque *Ecclesiae* sublimiumque quibus illa maxime constat *animarum* miram coniunctionem, miros amores Scriptura praedicat » additque de forma Cantici : « Huius autem Christi cum Ecclesia coniunctionis in *coniugali amore* sancto illo castoque ac divinitus instituto vivam expressit imaginem » comparatque Proverb. 4,5. 6. 8 et Sapient. 8,2 (ubi sapientiae studium ista imagine exprimitur), deinde Ezech. c. 16 et 23; Os. 1,2 sqq. (ubi populus Israel sponsa s. uxor Dei dicitur), denique Ioann. 3,29 et Apoc. 22,17 (ubi de Christi cum Ecclesia nuptiis agitur). Atque hanc spiritualem Cantici sententiam ita praecipuam iudicat, ut v. g. ad 5,1 et 6,8 explicata litterae imagine sic pergat ad mystica : « Iam ad *veros* sensus ». Sed etiamsi illa ipsa exempla, e Scriptura allata, poterant suadere *meram allegoriam* connubii similitudine proponi, nihilominus in Cantico veros quoque describi Salomonis amores arbitratur. « Et quidem Salomon » (inquit ibidem paullo post) se castosque suos erga *filiam Pharaonis* affectus in exemplum profert, dumque in *vera historia* ea fingit, quae flagrantissimo amori congruant, describit aptissime sub elegantissimae fabulae involucris caelestes amores Christique et Ecclesiae coniunctionem canit ». Itaque in *vera* historia *fictam* fabulam dicit agi; quod ex his quoque licet intelligi : « Ne parum congrue regio nomine in amatorios sensus ac verba defluueret, maiestate tantisper deposita, *pastorem* induit et in idem vitae genus Pharaonis traduxit filiam ac *sub ea figura* divinissimam fabulam lusit ». Comparari iubet Ps. 44 (hebr. 45).

Porro de divisione carminis ita disputat : « At postquam antiquos mores imitatus pastoralem eclogam canere aggressus est, eam in *septem dies* divisisse videtur. Neque enim diei ac noctis passim in hoc Cantico recurrentis vices temere memoratas arbitrari nos decet... An Sponsa *nullo ordine* dormitat aut vigilat?.. Aperte ergo indicat Salomon hic distinguendos dies eorumque initia ubi obscurius latent, tamen esse inquirenda ». Quater Boss. diei noctisque vicissitudinem evidenter designari putat : 2,7; 3,5; 5,2 sqq.; 8,4 (ad eosdem dies referenda sunt indicia 2,17 et init. c. 3, item 4,6). Ita quattuor dierum principia statuuntur 2,7; 3,1; 5,2; 8,4. His addit ab initio libri primum diem, atque ante 8,4 quintum et sextum interponit (6,9 et 7,11). « Cur autem », inquit, « has somni et vigiliae dieique ac noctium vices ad *septenum* numerum revocaremus, causa in prom-

ptu fuit, quippe quod antiquis Hebraeis usitatum, ut nuptias per septem dies celebrarent » (cf. Gen. 29,27; Iud. 14,12 sqq., Tob. 8,23).

Monet autem idem severe, ne quis « carnaliter » Canticum intelligat, atque ita praecipit : « Hos igitur Sponsi et Sponsae castos amores, qui ad amorem divinum, *propter quem* haec scripta sunt, referre velit, is necesse est, ut humanum amorem divinumque complexus hanc allegoriam exequatur; neque enim aliter quam ex eorum *nexu* interpretatio apta consurgat ». Addamus hoc : etsi 6,7 sq. intelligit veras Salomonis coniuges, in quibus filia Pharaonis, initio regni ducta, fuerit carissima, itemque 8,8 « sororem parvam » interpretatur puellam aliam impuberem et 8,12 vineam veram regis, tamen eius « Summa et conclusio » haec est : « Hic igitur ordo septem dierum. Perpetuum illud : *Sponsa coniuncta Christo* et aeterno amore flagrans. Hi *gradus : primo* quidem die anima formae diffidit suae eiusque vitia excusat atque iis, quae sensus magis afficiunt, pietatis illecebris ac veluti blanditiis delectatur. *Secundo :* conversa recens ad perfectioris vitae studium, in ipsis conversionis initiis, anteactae vitae tot peccatis obnoxiae commemoratione ac taedio, novaeque deliciis a Sponso invitatur ad solitudinem, reliquiasque cupiditatum exterminat. *Tertio* die incipiunt amoris exercitationes : inflammatur Sponsa fitque perfectior. [Ilos tres dies ad Eccl. accommodare aegre possis.] *Quarto* exercitatio vehementior est, graviorque cruciatus, animaeque non tantum gratia, sed etiam robur additur ac vis, qua et hostium impetus frangat et supra perfectissimas animas extollatur. *Quinto* non tantum Sponso, sed etiam ceteris omnibus miraculo est. *Sexto*, quo splendidior est, eo magis ad solitudinem properat, eoque iam ipsa Sponsum ultro invitat, ut amori liberius ac sine ulla interpellatione serviant, ac plenius ipsa doceatur. *Septimo* in Sponsum recumbens velut suavissimo Sabbato conquiescit. »

Ecce tibi nova illa *typica* interpretatio, ab allegorica ad historicam *leniter* inclinata. Cuius nulla bona auctoritas ex antiquis affertur aut afferri potest, nisi forte Honorius August., de quo infra (post explic. c. 4). Comparatio autem psalmi 44 parum idonea est, quoniam is quoque solebat antiquitus allegorice, non typice explicari. Negari sane non potest, quoniam Salomon typus est Christi, potuisse etiam connubium cum Pharaonis filia typicam continere significationem; praeterea poetica allegoria cur non possit aliquo modo ab eventu vero derivari, minime apparet, praesertim cum Bossuet plerasque partes huius « eclogae pastoralis » in vera historia « fictas » dicat, nec magna iam omnino apud eum indicia veritatis s. historiae esse videantur. Iam vero potissimum eum moverunt, ut facile intelligitur : 1. quod filiam Pharaonis insigni amore prosecutus est Salomon (3 Reg. 3,1; 7,8 sqq.) aptissimeque 6,7 sq. in eam quadrat, 2. quod nuptiarum hebdomas vicissitudine dierum noctiumque significari videtur.

Sed 1) revera nihil est, quod filiam Pharaonis certo indicet. « Nigra » dicitur 1,4 sq., nec tamen *nata*, sed *facta*, cum a fratribus in vineis laborare cogeretur; id quod feminae principi minime congruit. Comparatur equitatui s. equae in curribus *Pharaonis;* « Aegypti meminit », inquit Boss., « unde optimi equi adducerentur, alludit et ad Sponsam ex beatissima et opulentissima regione deductam ». De equis

Aegyptiis v. 3 Reg. 10,28 sq.; ista autem « allusio » ea ipsa de causa fit dubia, quod rex equis Aegyptiis egregie delectatus poterat alii cuilibet feminae comparationem illam accommodare. Illum porro locum 6,7 sq. certe licuit de qualibet uxore, in *praesenti* maxime adamata, usurpare; adamavit autem rex « ardentissimo amore » praeter filiam Pharaonis etiam « Moabitidas et Ammonitidas, Idumaeas et Sidonias et Hethaeas » (3 Reg. 11,1 sq.). Nihil igitur restat argumenti nisi quod *initio regni* maxime amatam esse Pharaonis filiam satis certum est, ille autem locus 6,7 (si numeri comparantur cum 3 Reg. 11,3) *videri* potest magis ad priorem Salomonis aetatem referendus esse. Sed cur, si « *castos* illos in filiam Pharaonis affectus », quos praedicat Boss., expressurus fuit Salomon, non potius tacuit tot alios amores, cur non speciem quandam monogamiae describere maluit[1]? In sola allegoria igitur ille locus apte explicatur, in qua tot uxores et concubinae nihil offensionis habent, non plus certe quam si dicimus omnes animas pias sponsas esse Christi; longe enim aliud hic vox ipsa valet. Nec obiici debet, numeros, quia definiti sint, ad rem veram pertinere. Nam sexaginta fortasse pro indefinito numero ponuntur, ut in parabola de semine Matth. 13,8. Christus ut fructum parvum tricesimum, mediocrem sexagesimum, plenum vocavit centesimum, sic poterat Salomon eo consilio sexaginta dicere reginas praecipuo honore dignas, octoginta concubinas, innumerabiles adolescentulas, ut gradus quosdam perfectionis et honoris in animis Deo caris designaret; unam autem dixit universam Ecclesiam; insigniter et unice caram. Et quoniam viri armati sexcenti solebant regem comitari (1 Sam. 27,2; 30,9...) atque in hoc ipso carmine 3,7 sexaginta sunt, nonne consentaneum fuit in muliebri comitatu item sexaginta vel esse vel fingi reginas? Sive igitur fuerunt sexaginta sive tot apte finxit Salomon, nihil in isto numero, si Canticum dicas *mere* allegoricum, admirandum est. Sed quia 3 Reg. 11,3 alius reginarum numerus est, istum omnino fictum existimamus. Ceterum *aliquid* in Cantico e rerum veritate assumi potuisse, (ut hunc numerum), id nemo prudens negaverit; quaeritur, num demonstrari possit, *Sponsae* personam ad similitudinem filiae Pharaonis describi. Cuius rei demonstratio, ut iam hic videmus, nulla est. Immo vero argumenta satis gravia repugnant.

Nam etsi Sponsa Cantici regium habet Sponsum (1,3 ...) et ipsa filia principis dicitur (7,1), tamen eadem et in vinearum cultu sole aduritur (1,5) et gregem pascens pastorem Sponsum quaerere iubetur (1,7). Censuit sane Bossuet personam pastoriciam fictionis esse poeticae. Sed in novos laqueos se induit; nam in huiusmodi fictione *constantia* servanda fuit, aut *rationem* reddi a Boss. oportet, quare modo filia dicatur principis, modo vineae custos, modo in gregum pastione occupata. Deinde, quod mireris, 8,12 apud Boss. Salomon personatus (habitu pastoricio) se cum vero Salomone comparat: « Habe tibi, rex Salomon, vineam tuam ac ducentos vinitores tuos..., mihi sponsa sufficit, haec una mihi possessio est », et tamen etiam verus Salomon 6,7 de reginis suis et saepe alia loquitur. Summa igitur carminis *perturbatio* apud Boss. oritur. Postremo, si maxima pars Cantici in fictione poetica versatur, cur non totum, quoniam *certa* argumenta profecto nulla obstant? Cur artificiosius in pastore s. vinitore (c. 2) *latere* Salomonem et *in hoc* Christum dicamus, id quod est *imaginem imagine* velle explicare? Quam autem etiam insolita

1. Et re quidem vera in Proverbiis, non immemor institutionis primae, *unam* constanter uxorem unius viri nominat 12,4; 18,22; 19,14; 31,10 sq. Multo igitur magis in sanctissimo Ecclesiae typo oportuit taceri plures.

aliquando imago ipsa est, ut cum filia Pharaonis fingitur noctu plateas urbis percurrere ac semel *vapulare* ut meretrix (5,7), vel cum Sponsum domum matris suae (in Aegyptumne?) deducere vult! (3,4; 8,2.) Ergo aut inepte hic designatur filia Pharaonis aut non designatur prorsus omniaque in alia fictione, omissa prorsus filia regis Aegyptiorum, versantur. Recentiores quoque ii, qui historiam cupide quaerunt, tamen filiam Pharaonis dimittunt.

Sed 2) ad illud Bossuetii argumentum veniamus, dierum noctiumque numero nuptias veras indicari. Videamus singula. Sextus dies sex versibus (!) absolvitur : 7,11-8,3; Sponsus ibi nihil dicit, Sponsa proponit, ut egrediantur in agrum, sed ecce vix id prima luce pronuntiavit, cum nox vel potius dies alter appetit. Siccine unum diem nuptiarum a Salomone poeta concelebratum dicemus? Quod est ipsum argumentum istius sexti carminis? Filia Pharaonis fingit se ruri habere domum et fructuum Salomoni servatorum copiam, eumque cupit secum in posterum agros percurrere et in aliis atque aliis pernoctare villis vel oppidis. An quidquam ex his omnibus vel mediocri poeta dignum? — Septimus dies undecim versibus describitur, res autem propositae ita sunt disparatae et singulares, ut carmen aptum nullo modo efficiatur. Sponsus surgens monet, ne quis Sponsam excitet (8,4), sed ipsa statim experrecta Sponsum sequitur (8,5ª) eique narrat, se aliquando sub vicina arbore, ubi ille natus sit, cum dormientem excitasse. Atque hoc filia personata Pharaonis de Salomone! An dicemus poetam, ut honoraret coniugem Aegyptiam, *quidlibet*, non aliquid *aliquo* modo consentaneum confinxisse? Deinde duobus versibus ardor amoris exprimitur. Sed v. 8 Sponsa sibi esse sororem impuberem dicit, de cuius futuro matrimonio iam nunc sollicita sit; Sponsus pollicetur se velle ei maritum adducere, qui sit quasi propugnaculum in muro et tabula cedrina in ostio. Sponsa sibi dicit optime provisum, ex quo apud Sponsum gratiam invenerit. Porro Sponsus (8,11) sibi Sponsam profitetur omni vinea Salomonis esse potiorem. Iubet eam, dum in hortis sit, amicis audientibus canere; illa potius Sponsum vult procul fugere, ut in solitudine cum eo agat. Quomodo potuerunt ista tam diversa tamque strictim proposita unum efficere carmen nuptiale diei septimi? Certe et quae initio dicuntur et subita mentio sororis, itemque vineae illius et amicorum demonstrant, aut nullam esse idoneam sententiarum consecutionem aut aliam esse reperiendam, praesertim cum 8,5 Sponsa e thalamo egrediens de *deserto* dicatur ascendere. — Similis est ceterorum « dierum » ratio. Ut unum secundum addam (2,7-17) : ibi Sponsa expergiscens, sed semisomna, audire sibi videtur Sponsum, immo vero etiam videre per montes collesque (!) approperantem; deinde ipse derepente adest et eam rus evocat ad vineam colendam vulpesque capiendas. « Haec igitur inter oblectamenta rustica secunda dies desinit peragratisque campis ac venatu defatigata Sponsa domum anteit, multum adhortata Sponsum [post se relictum], ut nulla mora veniat ». An hoc est congruum Salomoni et filiae Pharaonis nuptiale carmen? Quid sibi ista volunt, quid significant, quo tendunt? Plurima sunt passim huiusmodi mire ficta, velut cum 5,2 Sponsus summo mane, rore madidus, Sponsae ostium pulsat nec ab ea admittitur, vel cum 6,10 item summo mane *rure* domum festinat, *mente paene deiectus* : « Nescivi : *nihil videbam* amore turbatus ».

Omnino dierum initia non certo significantur. Nam illud « Adiuro vos, ne suscitetis » (2,7; 3,5; 8,4) et quae 3,1 sqq. et 5,2 narrantur, allegorici veteres de quiete amoris divini vel contemplationis semper intellexerunt, apte profecto, si de allegorica interpretatione generatim constat. Itaque haec *demonstrare* non possunt dierum naturalium principia, praesertim cum dierum quinti et sexti (6,9; 7,11) eiusmodi indicium *nullum* sit. Tantoque minus istam divisionem probamus, quod

necesse esset statuere, Cantici Sponsum paene totos dies nuptiales *domo abesse* et ruri laborare.

Itaque *Calmet*, qui Bossuetium vestigiis sequitur, rectius non dies, sed noctes numerat. Quod ut verisimile videatur, morem afferunt spartanum. « Apud Iudaeos », inquit Calmet, « quemadmodum et apud Lacedaemonios (Plut. Lyc. 15) receptum fuit, ut statim inito matrimonio viri ad novas nuptas modesta quadam continentia, praesertim septem nuptiarum diebus, accederent... Idem postea agebant, ut cum aequalibus interdiu degentes noctuque cubantes ad sponsas caute commearent, verecunde metuentes, ne quis eorum, qui in domo ea erant, ipsos animadverterent... idque agebant non parvo tempore, sed eo usque, ut nonnullis liberi nascerentur, priusquam interdiu suas uxores viderent. Idem pariter a Iudaeis servatum est, quod non uno Cantici, sed aliarum etiam scripturarum testimonio discimus ». At primum, quos affert locos (Prov. 8,17. 34; Sap. 6,14 sq.; Eccli. 4,13; 14,24 sq.), iis id quod vult minime probatur. Praeterea in Cantico volunt cotidie ante thalamum astare chorum, cui iam summo mane Sponsus digrediens imperet silentium (« Adiuro vos »); nihil igitur *furtim* agitur, sed potius cotidiana chori praesentia inhonesta visa esset ipsis etiam Lacedaemoniis. Contraria denique omnia illi consuetudini in Scriptura dicuntur de nuptiis, cf. maxime Tob. c. 8. Itaque tota illa septem dierum noctiumve divisio non modo dubia, sed improbabilis est. — Praeterea 3,6-5,1 evidens est describi desponsationem, eoque loco *primum et solum* « Sponsae » appellatio usurpatur. Ergo ante nondum est Sponsa; at Boss. eam ab initio inducit ut Sponsam et Coniugem, *toto carminis ordine perturbato.*

Iam vero aliae graviores difficultates sunt, quibus typica interpretatio dissuadeatur. Ut omittam exempla Scripturae, quae et Sapientiam et maxime populum Dei electum *purae* allegoriae imagine tamquam Sponsam describit (excipe Os. 1,2 sqq.) : illa altera explicandi ratio nec omnino *vere typum* demonstrat nec satis *honestum* sanctumque exhibet carmen. Typica enim significatio, ut de ea prius dicamus, aut in re tantum cernitur aut etiam in verbis. Si illud, ipse pastoricius amor, quem in se Salomon ex vero coniugis suae amore *fingit*, typus est Christi amoris erga Ecclesiam; nam « fictione in re vera » maior pars carminis, Bossuetii opinione, constat. Sed ubinam illa huius amoris *proprietas* est, qua mysterium novi testamenti indicetur? Profecto quod pastor aliquis fictus puellam unice amet, in hoc nihil proprium aut singulare est. Ergo in eo solo typus fortasse cognoscitur, quod significatur, *Salomonem* esse illum pastorem et *filiam Pharaonis* illam puellam. Atqui hoc alterum prorsus incertum est et illud in ipso carmine ita indicatur, ut ratio typi nullo modo *appareat.* Nihil enim aliud proponitur quam regem Salomonem aliquam uxorem *unico amore dilexisse*, eo quidem tempore, quo librum scripsit, quoniam, si tota vita spectatur, *multas ardentissimo* amore dilexit (3 Reg. 11,2). Immo vero ipso illo tempore 60 reginas, 80 concubinas habuisse dicitur (6,7). Exilis igitur et subdubia significatio, et quidem *rei*, quae ipsa incerta manet, quoniam in puella rustica, qualis describitur, quae tandem notae *Ecclesiae* proprie convenientes? Quae cum ita sint, in rebus ipsis typus aegre agnoscitur. Sequitur, ut in verbis multo enim minus appareat. Et sane nihil nisi amor describitur vel regis vel pastoris erga puellam rusticam, quae semel filia principis vocatur, nec in perpetuo tenore huius descriptionis quidquam nos cogit, ut *volunt ac statuunt*, omissa filia Pharaonis de alia spirituali amica cogitare. Sed si ita res est, typica explicatio Cantici sola *accommodatione non necessaria* constat colloquii amatorii ad Christi erga Eccl. caritatem, atque concedendum iam omnino est, *sola* Ecclesiae veterumque auctoritate probari, praeter amorem profanum ac naturalem alium proponi. At paene incredibile est poetam id ipsum in

carmine tam *longo* non perspicue expressisse. Quisquis autem, ut Boss., perpetuam statuit historiam amatoriam optime cohaerentem, is ipse fatetur, nihil esse in carmine, quod demonstret sententiam sublimiorem.

Quamquam sit ita; scripserit Salomon carmen vere amatorium eo consilio, ut nos id aliqua interpretatione transferremus ad Christum et Ecclesiam. Iam hoc aut in perpetua *ambiguitate* verborum versatur aut *quibusdam* tantum *locis* sententiam spiritualem continet aut nihil nisi piae *accommodationis* fundamentum praebet. Et *primum* quidem hodie nemo facile dixerit et certe ii, qui typicam explicationem amplectuntur, eam ambiguitatem non demonstrant, immo vero plerumque negant allegoricam sententiam esse perpetuam. Itaque aut in simplici accommodatione se continent aut allegoriam s. typum paene omnem, dum carmen explanant, missum faciunt. *Alterum* si admittitur (aliquot locis tantum typum exprimi), carmen iam nullo modo unum ac simplex est de Ecclesia Christi, sed vere amatorium, quod quasdam contineat ambiguas sententiae mysticae significationes. Restat igitur, ut Salomon ipse nos voluerit *accommodatione* aliqua contentos esse. Atque ad *hanc* rationem Bossuet quoque, quamquam optime ac satis copiose allegoricam sententiam exponit, ipsum commentarium disposuit. Nam prius verba enarratione perpetua explicat de amore naturali, deinde (post aliquot versus plerumque) addit generalem accommodationem, *quam non satis ostendit* veram ac perpetuam verborum atque enuntiationum esse sententiam. Etsi vult igitur praecipuam sententiam esse in allegoria, tamen orationis continuationem repetit ab historia carminis erotici; atqui hoc ipsum demonstrat, historiam *accommodari* ad mysticam significationem, nisi forte re vera (id quod non videtur) existimavit perpetuam esse verborum ambiguitatem, ut Ecclesiae omnia convenirent, quae proprie de amica humana dicta essent. Putaverunt sane olim multi, eiusmodi multiplicem sententiam saepe inesse saltem in separatis Scripturae enuntiatis; novum est, id in libro integro statuere. Nec certe recte statuitur. Si enim fieri *posse* concedamus, ut aliquis scriptor longiusculum carmen vere ambiguum conficiat, tamen id in hac causa Salomon prorsus inutili labore tentasset, quia Bossuetii opinione maxima pars Cantici nihilominus (ut allegoria) in *ficta* historia versatur, et omnino praecipuam sententiam ipsa ambiguitate magis obscurasset quam illustrasset. Et re quidem vera eo quidam defensores (protestantes) typicae interpretationis delabuntur, ut strictim tantum attingant typum totique haereant in littera. Ut *Del.* iam ad 1,5 « suum potius esse proximam sententiam declarare » professus de reliquo nihil curat mystica. Ipse iam ille, qui huius explicationis inventor dicitur, Ludovicus Legionensis (circiter a. 1570), in hispanico commentario paene semper illa amatoria, raro mystica explicasse fertur (cf. Zoeckl. p. 25). Nemo autem eorum ostendere conatus est, in perpetua verborum omnium continuatione Ecclesiam celebrari.

Deinde *sanctitas* Cantici, ut dixi, ista ratione periclitatur. Etenim tam ardentia sunt in hoc libro verba amoris, ut si ea proprie accipias, atque praeterea (pro verae historiae necessitate) ad rerum personarumque conditionem *acriter* intendas animum, negari non potest, quin turpitudo non mediocris exsistat. Quod facile est sentire comparantibus aliquem ex antiquis interpretibus cum his recentioribus, velut cum argumentum Cantici septem dicuntur noctes nuptiarum et ante thalamum praesentes finguntur filiae Ierusalem, et vel hae ipsae vel his praesentibus Sponsus (capite septimo) Sponsae corpus describit, ubi partes occultas per tenuissimas vestes volunt distingui; atque adeo verba illa 7, 8 « Ascendam in palmam » Bossuet nude interpretatur : « Irruam in amplexus » (Calmet haec saltem non ad litteram explicat) et « conversionem » v. 10 explicat ἵμερον, φιλότητα i. e. cupidinem. Atque in hunc mo-

dum toto carmine quaedam serpit lascivia, si naturalem amorem exprimi sumimus.

Dixeris forsitan, illam allegorica explicatione non tolli, quod littera maneat eadem (cf. supra p. 352). Sed allegorici interpretes minime coguntur litteram quasi exsugere et perpetuam expolitamque historiam effingere, eamque novis excogitatis adiunctis (ut facere omnes isti solent) locupletare. Exemplo utar : 2,3-7 allegoria nihil eruit nisi castissima atque honestissima : Christus, Deus idemque homo, arbori pulchrae ac fructuosae comparatur; in cuius umbra iucunde quiescit recreaturque universa Ecclesia; introducit enim Sponsam in penetralia quodammodo caritatis ea largitate, ut vix ferat vim consolationis et corpore, spiritu quasi evolante, deficiat. Denique sub divini Sponsi amplexu, tamquam sopitis sensibus, in ecstasi obdormiscit. Adiurantur autem homines feraeque, i. e. mundus universus, ut verecundo silentio contemplantem cohonestent. Nihil enim in mundo sublimius cogitare possis, quam Ecclesiam in hac magna Christi domo, qui mundus est ornatissimus (compone quae 1,16-2,7 attinguntur) amoris ecstasi abreptam totamque in Deum immersam. Quae omnia non minus sancta sunt ac sublimia, quam quae Ecclesia S. Agnetem facit loquentem : « Amo Christum, in cuius thalamum introibo, cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant; quem cum amavero, casta sum, cum tetigero, munda sum, cum accepero, virgo sum; annulo fidei suae subarrhavit me et immensis monilibus ornavit me ». Huiusmodi metaphorae, inquam, etsi possunt fortasse pusillis aut nimis delicatis molestae esse, tamen adultis ac prudentibus offensionem nullam afferunt, immo vero dulce quiddam atque grande sonant, suntque a multis viris feminisque sanctissimis frequenter usurpatae (v. g. SS. Bernardo, Gertrude, Theresia, Ioann. a S. Cruce). Nunc audiamus, quid typica ratio explicandi Bossuetium et Calmetum cogat admiscere : « *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Modeste, ut significet : facta uxor illius sum, me in patrocinium atque in thalamum excepit, indicat optatis se potitam amoribus et amplexibus. *Introduxit...* : Vini apotheca solebat esse iuxta thalamum. *Ordinavit...* : An sacris connubii vinculis vagum Sponsae amorem coercuit? [!] Hebraice : *vexillum eius super me :* Amoris bellum mihi instituit. (!) His phrasibus ingentem amoris vim significat, cui Sponsa succumbit, superatur, languet in cellis : vinum postulat, quo recreetur, et poma, quorum odore spiritum revocet. *Laeva eius...* : Sic per dulcia colloquia aliasque blanditias tandem labente die ad castos amplexus Sponsa perducitur. En primam nuptiarum noctem. *Adiuro...* : Suavissimo somno captam relinquit Sponsus. Solebant canere duplex epithalamium, alterum ad vesperam sponsis quieturis, alterum matutinum Sponsa e cubili processura, ut ad faustos cantus obdormiscere et expergisci videretur. Huius rei testes adducimus ex Theocrito (Idyll. 18) citatas virgines, Menelao et Helenae gratulantes. Ergo virgines iam astantes et brevi canituras monet Sponsus, ne dilectam excitent. »

Ita ad ipsum Theocritum deducti sumus! At ubi talia in Scriptura indicantur? Non est dubium profecto, quin typica explicatio sanctis profana, sublimibus subturpia aspergere *cogatur?* Accedit, quod ista non uno loco, sed paene perpetuo obversari necesse est legentibus, quia amatoria et ardentia sunt *omnia* nec praeter ista quidquam fere Canticum exhibet; quapropter nisi haec in mera versantur allegoria, non intelligitur, quomodo a S. Spiritu proficisci potuerint. Ceterum hic repeto, quasi uno tantum gradu Boss. ab allegorica interpretatione discessisse, et aliquando videri posse *non discessisse* nisi quod partem allegoriae dixerit ad filiam Pharaonis « alludere ».

b) Calmet.

Quoniam identidem a nobis nominatus est Calmet, eius sententiam paucis verbis hic exhibere placet. « Summo », inquit in praefatione, « quo tenebantur erga sensus mysticos abditosque huius operis obsequio, eo adacti sunt Patrum et interpretum nonnulli [intellige antiquos paene ad unum omnes usque ad saec. XVI], ut minime quaerendum sensum literalem et historicum dicerent; frustra autem referri ad carnale Salomonis cum Aegyptia vel Iudaea connubium, quae nonnisi de spirituali Iesu Christi cum Ecclesia foedere scripta sint. Fatemur quidem ultro citra temeritatis et impudentiae notam nunquam fieri posse, ut omnia ad verbum spirituali sensu excluso exponantur. Id enim praeterquam quod offendiculo esset inevitabili legentibus, tantundem haberetur ac si quis toto ex lectione eius operis fructu se ipsum privaret. Si quid tamen minus est periculi in opinione, quae omnia de Iesu Christo ad literam interpretatur, quam in ea, quae omnia ad literam de Salomone exponit, priorem tamen opinionem non idcirco certam assertamque et quovis immunem discrimine censemus. In veteri lege res omnes sub figurarum umbris latebant; Vetus Testamentum adeoque et Canticum Canticorum perpetua allegoria, inquam, *duplici* instructa sensu est. Primus offertur Iudaeis carnalibus, secundus spiritualibus ». Fatetur tamen in ipso quoque priore sensu plurima ficta esse : « Non enim ita Cant. istud habendum est, quasi *historiam* contineat... Varietatis gratia, quo uberiores essent dulciorum colloquiorum fontes, ad varia rerum adiuncta, *ficta* licet, confugere visum est [scriptori an interpretibus?] et in varias formas ipsos coniuges convertere ». Idem etiam hoc concedit : « Cant. Cant. *perpetuus est tropus*, quo Christi connubium cum Ecclesia describitur. Is enim, quem allegoricum ac mysticum appellant, *proprius est huius libri sensus* ». Pharaonis filiam esse Sponsam in sensu litt. probabilius existimat (prooem., ad 1,4 et 6,7). Carmina septem in unum conflata, ut Boss., distinguit : « Revera plura apparent carmina, cum sedulo in examen vocatur ».

c) Delitsch et Zoeckler.

Eam, de qua modo dixi, interpretationem, etsi falsam iudico, tamen tolerabilem esse nolim omnino negare, praesertim cum et Boss. et Calm. « duplicem sensum » *coniuncte* tradant, ut lectorem passim de mystica interpretatione admoneant ac satis copiose doceant, quo quidque modo ad Eccl. vel ad animam (Boss. : ad animam sublimem) transferendum sit. At longe est aliud ac multo perversius, literam de Salomone et puella quadam interpretari, mysticam autem sententiam verbo asserere, sed toto commentario vix attingere. Ita factum video a *Delitzsch*. Ad eum proxime accedens *Zoeckler* « piam accommodationem » scenis earumque historicae explicationi subiungit, quod « typica quaedam analogia » inter Salomonis amorem

et Christi « sine dubio » intercedat (p. 39). Nec tamen prorsus in mentem ei venit, ut *singula* de Domino eiusque Sponsa interpretetur. Sed horum duorum illud quoque proprium est, quod Canticum *quoddam* esse *drama* censent, non id quidem proprie scenicum, sed carmen bucolicum instar dramatis compositum; idque in quinque vel sex dividunt actus. Quae divisio plurimis locis, ut Cantici fert natura, cum superiore convenit : 1,1-2,7 (de novi diei initio hi interpretes non loquuntur), 2,8-3,5 (superior divisio — 2,17), 3,6-5,1 ; 5,2-6,9 ; 6,10-8,4 (hic illi superiores unum diem interponere cogebantur, ut numerum septenarium explerent), 8,5-14. Ita Del. ; Zoeckl. cum aliis quartam et quintam partem in unam coniungunt longissimam, quod nulla sit ratio dividendi ad 6,9. « Drama quoddam » non intelligunt ita, ut Boss. et antiquissimi quoque scriptores quandam *speciem* scenicae actionis Cantico tribuunt, sed ita, ut ad *iusti* dramatis rationem iam satis prope accedat.

Videamus, in quo hi interpretes typi rationem contineri arbitrentur. « In Cantico canticorum », inquit Del., « amor coniugalis celebratur, qui et primae institutionis sanctitatem habeat et sit tamen idem vere humanus ac naturalis. Canonicis libris annumeratur, quia Salomon Eius fuit typus, cui de se dicere licuit Πλεῖον Σαλομῶνος ὧδε (Mt. 12,42). Ad quem antitypum si referas id, quod terrestre atque humanum est, fit coeleste ac sublime : adumbratam intelligimus Christi suaeque civitatis caritatem, non id quidem allegorice, sed figurative. Nam *allegoriam* ad signi veritatem omnino conformari oportet, at *typus* aliquis rem aliam significat *subtractis subtrahendis* et suo antitypo infinitis partibus inferior est ». Moveri se eo dicit, quod ratione allegorica multa non potuerint nec unquam possint explicari, ut 6,8 (7) et 3,7 numerus sexagesimus et tota utriusque amantis descriptio copiosa ac minuta.

Sed haec nulla argumenta sunt. Peccasse multum allegoricos fatemur, nec id mirum est, quoniam allegoriarum explicatio semper fuit difficillima. At de numero quidem sexagesimo supra iam diximus (p. 372). Si enim ad regium comitatum viri sexaginta adhibentur 3,7 nec, molestum est interpretibus id quod sint decima pars sexcentorum (1 Sam. 27,2) : reginarum comitatum numero parem fingere num dissentaneum fuit? Quodsi nulla eius rei habita ratione *gradus* quidam sponsarum divini Sponsi sive animarum Deo dilectarum distinguendi erant idque pro more principum illius aetatis ac nominatim ipsius Salomonis : quem definitum numerum pro indefinito (i. e. pro eo ut diceret : multae reginae, plurimae concubinae, adolescentulae innumerabiles) ponere aptius potuit, quam ut *sexaginta* et *octoginta* diceret? Hi enim numeri ad plenitudinis numerum gradibus accedunt; quod autem *centenario* usus non est, sine dubio *abundantem* quandam plenitudinem exprimere maluit, ut S. Ioannes in describendo numero Ecclesiae triumphantis post definitum numerum adiunxit « turbam magnam quam dinumerare nemo poterat » (Apoc. 7,9). Cf. aliam explicationem optimam infra ad l. Itaque in numeris illis ne species quidem restat difficultatis.

Porro quod corporis partes et Sponsi et Sponsae singulatim enumerantur, recordari oportet v. gr. Ezechielis c. 16. Ibi qui minute explicandas et interpretandas

censet partes corporis, quarum fit mentio, et ornamenta, quae Sponsus Sponsae largitur, et utriusque actiones, is idem, per me licet, postulet in Cantico; quodsi illud *ineptum* iudicat et *ridiculum*, hoc etiam de sua in Cantico difficultate fateatur. Resecari igitur fortasse oportet incongruas accommodationes interpretum allegoricorum, non interpretandi rationem generatim repudiari.

Videntur autem illi typicae enarrationis patroni ipsi crimen ineptae accommodationis nec effugere nec *posse* effugere, ut cum ad puellae descriptionem illa transferunt : « Oculi tui sicut piscinae in Hesebon, nasus tuus sicut turris Libani, caput tuum ut Carmelus ». An quidquam potest dici absurdius, si de tenera aliqua puella agitur? Quod longe aliter se habet in explicatione allegorica. Nam in allegoria usitata semper fuit poetis ingens rerum exaggeratio idque ob eam causam, quod rerum aspectabilium imagines nunquam satis exprimere videntur cogitata sublimia, ad quae significanda asciscuntur; exaggerantur igitur et quodammodo absurde extolluntur. Orpheum canentem arbores et rupes et ferae sequuntur; id stulte diceretur in vera historia, in ficta pulcherrime. Non enim volunt nos poetae ista putare aliquando facta, sed superlatione utuntur in similitudine, ut de vera arte vatis antiqui credamus, *quantum credi possit*. Itaque huiusmodi comparationes, quas modo attulimus, in allegoria *multo longeque* facilius, quam in vera historia vel probantur vel tolerantur. Quamquam etiam propria quaedam excusatio sua sponte offertur. Canit enim Salomon Ecclesiam, quae est filia Sion « in mensura aetatis plenitudinis Christi » (Eph. 4,13), illoque etiam nomine ab apostolo nuncupatur (Hebr. 12,22). Est autem Sion pro universa et terra et natione Iudaeorum; ita fit, ut non absurde terra ipsa imagines praebeat ad filiam Sion novam describendam, ut in Apoc. coelestis Ierusalem *civitatis* imagine simul et *Sponsae* proponitur (in uno versiculo. Apoc. 21,2). Cf. comm. ad cc. 4 et 7. — Simile est, quod Sponsi crura columnis marmoreis comparantur. Quis enim id opinetur apte dici in vera historia? Sed in fictione Sponsi coelestis, in quo est robur divinum, eiusmodi comparatio consentanea est. Ipsa enim exaggeratio imaginis aliquem *homine maiorem* convenienter designat.

Nec omnino vere affirmatur comparationes descriptionesque in Cantico aptius accommodari ad puellam veram, quam ad speciem aliquam allegoricam. Nam in descriptione Sponsi et Sponsae illa turpitudo exsistit, de qua p. 375 sq. diximus, ubi primum allegoriam omiseris. Est illa tanto maior, quod ii interpretes, de quibus nunc agimus, negant in *singulis* rebus apparere ac respiciendam esse typi rationem. Quis autem ferat in vera puella praesente vel a Sponso (marito) vel a comitibus semper praesentibus describi femora, umbilicum, ventrem, ubera et amplexus desiderium *coram omnibus* enuntiari, quemadmodum legitur c. 7? Aliud prorsus est, si exclusa omni naturali veritate mens statim fertur ad solam altiorem intelligentiam atque etiam (quia in allegoria *expolita* singula non habent *propriam* significationem) vago quodammodo intuitu, non distincta cogitatione attenditur ad ista omnia. Nam, ut supra innui, allegorici quoque in huiusmodi rebus accommodandis frustra laborarunt; nec hic igitur nec illo Ezechielis loco, quem comparavi, curiosius ad singula descendendum est, id quod ex quadam ignoratione poesis allegoricae derivari solet. Non potest autem non dici decentiae maxime contrarium, *praesentibus filiis Ierusalem* tot amoris ardentissimi scenas agi, si humanum in modum intelligantur.

Alia multa sunt, quae istorum scriptorum typicam interpretationem falsam esse demonstrent. Del. itemque Zoeckl. coguntur 3,1 sqq. et 5,2 sqq. *somnia* Sponsae dicere. Priore loco Del. ipsam interpretandi necessitatem somnii putat cogitationem iniicere, quod aliter res narratae intelligi nullo modo possint. Altero loco dicit etiam verbis significari somnium, quod Sponsa « corde vigili dormiat ». Sed *illic* mirum

est somnium narrari nec id perspicue *indicari;* quomodo autem ista scena cum priore apte cohaeret, quaeve causa est, cur Sponsa *identidem* somnia potius narret, quam acta atque visa? Quod autem magis mirere, est interpretatio versus quinti. Quia, ut dicere cogitur Del., hic Sponsa domi suae versatur, ab urbe Ierusalem longissime remota, ob eamque causam *secum habere* filias Ierusalem non potest, ita statuit : *ipsam sibi* somnium narrare et *absentes* appellare puellas! Deinde concedit Del. *rem* narratam absonam esse; oportuit igitur ostendi, eam saltem *fingi* congruenter. Sed hoc ipsum male quadrat, quod Sponsa vel somnians cogitat : sibi per noctis tenebras Salomonem in urbis plateis quaerendum et inde rus educendum esse « in domum matris suae »! Quid vero est illud, quod nondum iuncta matrimonio per somnium « in lectulo suo » quaerere Sponsum fingitur? Ita Del. in priore suo commentario; reprehensus a Zoeckl. id ita correxit, ut in lectulo quiescens *mente* requirat Sponsum. Sed ut verba ultima versus et initium proximi declarat, non facile hoc modo removeri turpitudo potest; nam apparet *ideo* eam surgere et exire, quia Sponsum *secum* quaerit nec invenit, id quod in « historia » nemo non intelliget, cum verba leget. Somniantem dixeris ita cogitare; recte quidem, sed hoc somnium arbitror inepte fictum.

Ineptius autem alterum, ubi Sponsa regia in ipsa urbe *verberibus* afficitur, et recte, quandoquidem ut meretrix noctu vicos pererrat. Quod asseritur, somnium « ipsis verbis » indicari, id valde dubium est. Nam de somno quodam contemplationis, cum vigil est animus, recte illud : « cor meum vigilat », sed idem minime congruenter usurpatur de naturali somno, cum ipsa mens ac voluntas sui non sunt compotes. Deinde Sponso ianuam pulsante *excitari* Sponsam nemo non opinatur, cum praesertim respondeat atque assurgat; nullum enim in verbis *indicium* est, haec quoque per somnum fieri. Porro in se rediens, v. 8 obtestatur pedisequas, ut Sponsum, quem amissum *somniavit*, quaerant sibique indicent! Ita vult Del. Tantoque amoris aestu somnii *narratio* eam incendit, ut ex ea longissima Sponsi laus texatur 5,9 sqq., qua absoluta *illae* quoque se paratas ostendunt ad quaerendum cum, quem amissum ipsa *somniavit!* Et scire cupiunt, quo abierit ille Sponsus, quem *somniavit!* Percontanti autem, quid opus fuerit Salomonem regem *quaerere*, respondet Zoeckl., comites suspicari alium esse a Sulamitide sponsum significatum. Nimirum non modo illam, phrenesi quadam affectam, assentando consolantur, verum etiam alium iam exquirere amicum, spreto Salomone, iudicant! Ipsa autem delirare pergit, ut videtur : « Dilectus meus descendit in hortum ». Paullo post 6,10 (11) sqq. Naegelsbach aperte fatetur, eam *vigilem* quasi somniare. Frustra igitur somniis volunt eludere narrationes inexplicabiles, quia illa nec perspicue proponuntur ut somnia nec in reliquarum rerum seriem apte innectuntur nec congrue ficta sunt nec inexplicabilia omnia tollunt. Alii interpretes *pluribus* se egere somniis sentiunt; sed id nunc omittamus.

Alteram illam maximam typicae explicationis difficultatem, quod *Sponsa vineam colere dicitur et greges ducere*, sic evitare conantur Del. et Zoeckl : Sponsam statuunt esse puellam rusticam e superiore parte Galilaeae oriundam, quam Salomon nescio quomodo cognoverit et plus ceteris omnibus uxoribus adamaverit. Et sane magnus in Cantico est apparatus rerum, quae ad rusticam vitam pertinere videantur, et nomen Sulamitidis 7,1 sq. (Vulg. 6,12 sq.) explicari potest pro Sunamitide, i. e. e Sunem oppidulo oriunda, nec adeo difficile est interpretari illam « filiam principis » (7,2).

Sed primum rerum agrestium mentionem facit tam Sponsus, quam Sponsa (v. g. 2,11 sqq. 4,8. 11 sqq. 6,4 sqq.), nec id in ullo Salomonis libro mirum (« disputavit super lignis a cedro... ad hyssopum... disseruit de iumentis et volucribus et

reptilibus et piscibus » *Vulg.* 3 Reg. 4,33) et in carmine specie amatorio nihil magis appositum, quam locorum amoenitates describi et florum, fructuum, animalium similitudines adhiberi. — Deinde de nomine Sponsae si quaeritur, ex Eusebio (Onom. s. v.) et Hieronymo sane constat Sunem oppidum *postea* dictum esse etiam Sulem estque *illa* forma (Sunamitis) in plurimis LXX codicibus (ν pro λ). Sed contraria est auctoritas hebraica, cod. Alex. LXX, contrarii Theodoretus et Origines (in schol.), quorum uterque Aquilam dicit vertisse vocem « Pacificam » (item ἡ πέμπτη ἔκδοσις apud Orig. et Symmachum; Phil. Carpasius Ὀδολλαμῖτις, ubi item λ servatum est). In Vulg. quoque exstat « Sulamitis ». Itaque haec vocis forma sine dubio pro vera habenda est. Iam vero illum locum Sunem etiam « Sulem » *antiquitus* dictum esse, Eusebii auctoritas non probat; praesertim cum « Sunamitis » appelletur Abisag, et hospes Eliae prophetae (3 Reg. 1,3; 4 Reg. 4,8 sqq.). Non est igitur satis probabile Sponsam Cantici ex oppido Sunem esse ortam.

Affirmant quidem in hebr. terminationem ipsam itemque articulum vocem indicare gentiliciam, non nomen proprium, quo Salomonis amica significetur, et *rarior* sane est praeter numeros ordinales et nomina gentil. terminatio î, ît.

Nihilominus difficile fuit aliam aptiorem formam femininam ex « Salomone » fingere (cf. eadem terminatione שְׁלַמִּית Lev. 24,11 et alibi), et huiusmodi derivato addi recte poterat articulus, ut si graece dicatur ἡ Σολωμωνική. Nam « Sulamitis » erit adiectivum potius quam nomen proprium valebitque idem, quod ἡ τοῦ Σολωμῶνος. Quamobrem allegorici rectius sentiunt, cum « Sulamitidis » nomen ita fictum esse censent, ut idem fere sonet, quod « Salomon »; congruit aptissime 8,10 : « Facta sum coram eo quasi *pacem reperiens* ». Ceterum omnino arbitror, *quodammodo* gentilicium esse nomen. Nam שׁוּלַמִּית potest cum שָׁלֵם componi, ut sit *quasi* filia Salem = filia Sion (cf. « factus est in pace — hebr. Salem — locus eius et habitatio eius in Sion » Ps. 75); etsi enim non scribitur שְׁלַמִּית ob eamque causam non *proprie* civem Hierosolymitidem designat, tamen fortasse eo consilio ab eadem *radice* derivatum est, ut significaret « habitantem in pace » (vocalis ú videtur passivum notare : pacificatam s.pacis plenam, cf. שׁוּעָל, i. e. rubri colore tinctus, סוּגַר, i. e. carcer conclusus, גּוּמָּץ, i. e. effossio, fovea; dagesch est euphonicum, ut in ultimo exemplo et in זִכָּרוֹן, cuius st. const. eo caret, et saepius). Eo ipso autem atque etiam terminatione gentilicia civis quodammodo Salem designatur, praesertim cum Sponsus (Salomon coelestis) tamquam rex habitet « in Salem » (Ps. 75). Itaque *fictum* nomen puto, sed ita fictum, ut cum Salem consonaret et videretur significare urbis pacificae, cuius erat rex Salomon, incolam ac reginam. Cf. explicationem 8,10-12. Sed utcumque res est, certe non minus probabile dicemus nomen istud allegorice, quam historice interpretandum esse.

Nec rationem reddunt Del. et Zoeckl., cur haec Sponsa rustica ceteris omnibus praeferatur; decuit etiam omnino, si *typus* fuit Sponsa, eam *honestiore* prae ceteris causa adamatam esse. Iam vero filia Pharaonis, si e Scriptura fieri coniecturam licet, prima fuit Salomonis uxor, ducta eo tempore, quo prorsus erat acceptus Domino (3 Reg. 3,1 : antequam domum Domini perfecit) eique longe carissima (ib. 7,8). Sequitur ut improbabilis sit opinio, eam uxorem, quam tacet Scriptura, in Cantico celebrari tamquam typum Ecclesiae.

Porro 1,6 et alibi Sulamitis Sponsum suum *pastorem* putat. Quod, nisi hic quoque somniat, fieri non potuit. Del. non dubitat concedere eam nugas agere : Ingenuitatis est, inquit, conditione pastoricia nihil existimare pulchrius aut subli-

mius : populi pastorem censet illa pastorem « ovium ». Consentiunt autem nugis filiae Ierusalem, quae serio, ut videntur, vel illudentes, ut statuit Del., iubent eam greges sequi. Zoeckl. ipsis verbis fatetur, Sponsam illa : « Indica mihi ubi pascas... » somniantis instar anhelare comitesque ei illudere.

Uno versu ante iidem Del. et Z., quod mirere, « vineam meam » *mystice* intelligunt « personam s. corpus suum ». Deinde Salomonem eam, quae quasi *servili* fuerit conditione et sole decolorata, adamasse incredibile non existimant. Quis haec alius verisimilia dicet?

Prorsus singularis est explicatio 2,8 sqq. apud Del. et Zoeckl. Non audent, id quod *Umbr.*, *Vaih.*, *Ren.*, aliis placuit, haec quoque somnia dicere; Del. saltem id sibi non *videri* ait, Zoeckl. omnia somniorum *instar* a vigile pronuntiari putat. Apud quem? « Sola secum », inquiunt. Ubi? « Domi suae », inquit uterque. Qui factum sit, ut eo post congressum 1,8-2,7 remitteretur, definire nesciunt. Quae autem Sponsus agere fingitur, ea *imaginari* Sponsam statuit Z., *videre* Del. Ergo Salomon vel imaginanti vel cernenti et audienti venari videtur ac venando « transilire montes et exsultare per colles » (!) et derepente adesse ad fenestram amicae. Quem non commoveat tanta amoris teneritas, regis in rusticulam caritas? Sed verisimile id totum vel esse vel videri, nobis aegre persuademus. De venatione ne verbulum quidem infertur, nisi quod illis : « capite nobis vulpes » venatores a Sponsa appellari volunt interpretes. Quod quoniam permirum est, ut invitet puella regem vel ceteros venatores ad labores *suos* in vineam, Herderum secuti porro fingunt ista verba partem esse *carminis vinitorii*. Nimirum huiusmodi commentis omnes tolli videntur difficultates. At non est ita; quaeritur enim, cur poeta non aliquid *aptius* commentus sit. Nam si canere oportuit Sponsam — etsi non canere, sed tollere vocem iubetur v. 14, — cur tria canit ita male convenientia : primum nescio cuius carminis popularis particulam ad intelligendum difficillimam, si *congrua* sententia elicienda est; deinde sui amoris asseverationem; denique admonitionem, ut a se discedat (Del.) aut ut ad se vespere redeat (Z.). Quomodo ista tria cohaerent? Tota autem veris descriptio (vv. 11-13) et invitatio ardentissima (vv. 10-14), cum nihil agatur laboris et vix inter se parumper videant Sponsus et Sponsa, num dicenda est consentanea? An potius supervacanea?

Restat ut quaeramus, quomodo in *extrema parte* Cantici, in qua rursum *rustica* puella apparet, se expediant Del. et Z.; fieri enim vix potest, ut non hic quoque Salomoni rustica coniux minus conveniat. Itaque 7,11 (hebr. 12) Sponsa ruris desiderio capta Sponsum rogat, ut secum egrediatur et agros pervagetur. Annuit rex et domum eius paternam cum ea abit. Tenerum amorem, modo esset credibilis! Ascendentes igitur de deserto in oppidum Sunem veniunt; vocatur autem *desertum* vallis Iezrael (pulcherrima), quia pro cultis agris pascua (pinguia) contineat (8,5.). Deliberatur cum *fratribus* de sororis *impuberis* matrimonio (v. 8). Fratres pronuntiant se pudicae honorem, at lascivae severitatem adhibere velle (v. 9). Approbat Sponsa consilium, quod in se ipsa felicissime evaserit (v. 10). Tum addit, Salomonem certam aliquam vineam mille siclis locasse (v. 11), huic vineae suam personam comparat, cuius fructus omnis debeatur Salomoni, rogat autem, ut sua fiat merces custodibus pueritiae suae (v. 12). Salomon nihil quidem respondet, sed pro amoris indicio iubet eam aliquid canere, *sodalibus* Sponsae *pristinis*, qui accurrerunt, praesentibus. Illa canit : « Fuge dilecte mi », i. e. aut iubet solum in proximos montes excurrere aut hortatur, ut secum properet ad montes aromatum. Ita Del., nec multo aliter Z. Salomon igitur exuit se quodammodo dignitate regia et ruri apud amicam delitescit; atque in hac cogitatione carmen finitur. Cogitur ille con-

sultationi domesticae fratrum adesse, in qua honorifice sane (!) de sorore parvula tractatur. Rogatur statim Sponsus divitissimus, ne sine dono venerit. Cingitur corona rusticorum, et cantilena nescio qua evolare in montes iubetur. Quid horum satis verisimile videtur in rege eoque Salomone? Non melior aliqua libri clausula tanto poetae in promptu fuit post illam laudem sublimissimam caritatis v. 6 et 7? Profecto non est mirum, quosdam haec extrema maluisse delere, quam isto modo explicare.

Sed aliquid hoc loco de universa Cantici sententia addunt Del. et Z., quod breviter considerari oportet. « Ingenua illa puella », inquit Del., « Sapientem docet ingenuitatem, regem animi sui demissione, ut se demittat, allicit, cupidum castitate sua ad continentiam exercet. Hanc secutus ille strepitum opesque aulae agresti solitudine libenter commutat, huius brachio inhaerens montes et rura peragrat, huic consociatus casam humilem non fastidit. Ita sub amatoria carminis faciē morum latet documentum. Non est hoc carmen שִׁיר עֲגָבִים (Ez. 33,32) sensuum titillationi accommodatum, dictumque illud rabbinicum suo iure constat, quo reprehenditur, qui Canticum aut aliquem eius versum pro cantilena habeat profana. Nam celebratur hic amor naturalis ille quidem, sed idem tamen sacer. Quidquid est enim in coniugali caritate divinitus instituta illud, quo tamquam vinculo iucundissimo, beatissimo, firmissimo duorum hominum iunguntur animi, id acribus depictum coloribus quodammodo sub oculos subiicitur. Quare Herderus Canticum canticorum, inquit, in paradiso scriptum dixeris; Adami in hoc resonat omnique vocum varietate canitur hymnus ille : tu mea imago, tu mea es possessio ». Haec si vera sunt, clausula quoque libri a Z. merito sic inscribitur : « Domum redit triumphatque coniux castissima de regii coniugis libidine ». At mirum si hoc ipse in se Salomon expressit (D., Z), vel exprimere fingitur ab alio, quem librum scripsisse alii volunt : se per rusticam a libidine revocatum esse! Quam autem misere postea librum exemplo suo ipse quasi abdicavit! Nonne totus ipsi delendus fuit, si ista erat sententia propria? Ne hoc quidem verisimile est, talem amorem a Deo ad typicam significationem assumptum esse — Dei autem est typum efficere vel libro typicam dare significationem — qui amor purissimus tam non fuerit perpetuus aut diuturnus in Salomone. Nam et hoc ipso tempore, quo Sulamitidem adamavit, sexaginta ei uxores, concubinae octoginta et aliquanto post etiam multo plures fuerunt, ut *exceptio* quaedam, fortasse brevissima, in illo puriore amore cerneretur. Adde quod *commenti* simile est, quidquid de isto castiore amore Del. et Z. loquuntur. Nullum est enim in ipso libro indicium *monogamiae*. Salomon sexaginta uxores se dimissurum nullo modo vel dicit vel significat; quod autem ad tempus illam unam rus sequitur, quid probat? Certe rex ibi non est aut perpetuo aut diu mansurus; quodsi tanto rusticae vitae desiderio Sponsa tenetur, ut illi volunt, suspicio etiam est eam a Salomone brevi separatum iri. Postremo descriptio amoris minime ita sancta est in horum interpretum explicatione, ut videatur caritatis coniugalis a Deo institutae imaginem adumbrare, praesertim

cum amor ipse Salomonis, neglecta filia Pharaonis superveniens, nullam spem afferat firmitatis (cf. supra p. 351).

Sunt alia plurima in hac typica explicatione mira ac prorsus absurda (quae partim in commentario attingam), ut nisi quis semel in perpetuum se illi addixerit, saltem hoc fateri debeat, multo plures maioresque hic difficultates, quam in allegorica interpretatione occurrere. Quae autem ratio interpretandi ab allegoria primum ad typicam explicationem traducere possit, vide supra p. 348 sqq.

4. *De scenica ac profana ratione explicandi.*

Venio nunc ad illam interpretandi rationem, qua usi plerique recentiores (dico protestantes) Canticum magis etiam omni sublimi significatione spoliant. Non explicabo hoc loco, quantam sanctitatis iacturam apud istos Canticum faciat; id ex iis, quae contra superiores disputavi, sua sponte colligitur. Sed quaerendum videtur, meliusne et verba singula et universam sententiam et sententiarum continuationem interpretentur, an multo etiam deterius. Duos hic quoque scriptores compono, S. I. Kaempf (1884) et Gust. Stickel (1888). Hos tot difficultates, quot sunt in explicatione Delitzschii et Zoeckleri simulque studium *iusti dramatis* efficiendi, quod agi in scena omnino posset, commovit, ut *duos* fingerent Sponsos: Salomonem et pastorem nescio quem, aut etiam (Stick.) *duas* Sponsas: Sulamitidem et aliam puellam rusticam. Hanc multiplicitatem amoris ante hos statuerant Iacobi, Stäudlin, Umbreit, Ewald, alii. Qui non Salomonem turpiter cupidum, sed rusticum potius amicum diligi a Sponsa (Sulamitide) volunt. Qua ipsa opinione excluditur (etsi id v. g. Kaempf non necesse esse iudicat) omnis typica significatio actionis, et dramatica constructione carminis longissime ab antiquis (et a veritate) receditur.

Sed *nec ceterae difficultates levantur et novae creantur.*

Ac primum quidem de principio tertii et quinti capitum videamus. Kaempf somniis se difficultatibus expedire studet: 3,1 Sponsa somniat non de Salomone, sed de pastore, ante v. 5 visum ipsum (fallax omnino) derepente abrumpitur; illa autem comites, quibus id narrat, monet, « ne oleum camino addant », i. e. ne se nimis iam amore perturbatam vehementius excitent! Ergo vix iam sui compos videtur, praesertim cum nec hic nec alibi filiae Ierusalem quidquam tale *conentur*, cf. ante 2,7; 5,8; 8,4 apud ipsum K. Idem concedit hoc prius somnium quasi « in nebulam dissipari »; alterum autem 5,2 sqq. quasi firmum manere nec effectu carere suo. Qui est hic effectus? Ut audacior fiat ad quaerendum illum pastorem, i. e. amicum rusticum. Num igitur ad id efficiendum somnio opus fuit nec multo fuit prudentius vigili deliberatione eodem pervenire? Sed Sponsa obtestans comites, ut secum quaerant eum, quem in somnis non esse retentum dolet, profecto delirat; magis autem illae ipsae, cum in hortum pastoris excurrere audent (id enim fieri vult K.). Illud quoque mirandum summopere, quod Sulamitis dicit: « Si inveneritis, nuntiate » v. 8) et tamen pro certo scit, illum in suo esse horto (6,1, hebr. 6,2); quid igitur

opus est ei suis comitibus? An sicut adhuc imprudenter eis omnia sua indicavit, ne Sponsi quidem praesentia iis absentibus frui vult? Quid horum verisimile?

Stickel recte dicit somniorum nulla esse indicia. Quid igitur? Pulcherrimam censet *hanc* enarrationem capitis tertii : Sulamitis suum rusticum amicum ad se, i. e. domum Salomonis, invitaverat et vespere eum in suo cubiculo, vel potius cubili (domus regiae!), quaerit. Quem non inveniens evolat in plateam ibique reperit. Tantum puellae fortissimae licuit nullo prohibente! Cur non paullo plus, ut cum eo aufugeret? Id postea (!) intelligemus : moenia enim a custodibus servantur. Amicus igitur quomodo intravit aut egredietur? Nemo autem legens 3,4 non existimat, Sulamitidem nunc tenere Sponsum nec velle dimittere. Postremo quare istiusmodi res narrat comitibus? Respondet St., honeste facta honestum esse narrari; etiamne prudenter narrantur? Quid autem obtestatur comites? Ne in se excitare amorem *Salomonis* velint. Hoc vero timendum fuit, ne tali conatu exstingueretur is amor, de quo modo audivimus! — Nec 5,2 sqq. somnium St. exponi censet : Sulamitis in domo regia semisomna in lecto cubat; repente audit ad ianuam amicum illum. Qui fieri potuit, ut eo accederet? «Id nos », inquit St., « qui domum Regis non noverimus, ignoramus »! Quare puella non aperit ei, quem ante per noctem quaesivit? « Ob id solum », inquit St., « quod pedes lotos maculare non vult ». Qua re maculasset? « Aula arenosa videtur inter cubiculum et ianuam fuisse ». At pulsantem audivit. « Sane; *parvum* enim erat intervallum ». Manum Sponsi animadvertit protensam. « Utique, stellata enim nox fuit ». Paullo post puella « aestuantibus visceribus » prorumpit ad quaerendum illum, dire vapulat, haec omnia properat narrare. « Nihil horum mirum est », inquit St.; « si enim somniare ista licet et somniata narrare, non est, cur ita *agere* ignominiosum sit ». Hoc quidem recte.

Audiamus utriusque interpretis enarrationem 2,8 sqq. Kaempf : Sulamitis in *horto regis* ambulans cum comitibus audit vocem amici pastoris per montes collesque accurrentis (!) statimque illas admonet; deinde longiorem eius sermonem, quoniam illae non audiunt, iis repetit, postea amico indicit, ut vespere ad se redeat. Num id melius est illa venatione, in qua apud Del. Salomon suam invisit amicam? — Stickel eadem fere dicit; sed Sulamitidem per foramen conferre cum amico et audita alta voce comitibus repetere, ei displicet. Non igitur vult eam ab amico conspici, sed in loco edito absconditam observare eum accurrentem atque *canentem*, et *canendo* respondere; nec necesse esse puellas adesse, cum possit illa *sola secum* cantata recantare et suo carmine aliquo (v. 15. 16) atque admonitione (v. 17) respondere. Bellum sane! Num melius, alii iudicent. Recte autem negat, hic quoque (id quod nonnullis placuit) somnia narrari.

Perdifficile esse vidimus historicae interpretationi carminis initium (propter 1,7 et 8, *Vulg.* 6 et 7) et clausulam, ubi Salomon rus emigrat, ut versetur cum amica rustica. Haec moverunt et alios et Kaempf atque Stickel, ut *novum* fingerent *Sponsum*. Quaeritur quid isto artificio proficiant. Ergo apud K. ante 1,8 Sponsa *nihil de rege* dicit, nisi quod queritur : « Introduxit me rex [raptor!] in cubicula sua » (v. 4); omnia ad pastorem nescio quem spectant. Is fingitur ad murum horti adesse. Sed *nemo* verba sola Cantici legens id intelligere potest, commentator de suo affinxit. Concludi id vult ex vv. 7 et 8, quia rex (v. 4 et 9 sqq.) non *possit* intelligi pastor. Hoc quidem recte, si carmen historice, non allegorice interpretandum est, atque hac una difficultate satis refutatur Del. Sed eandem K. nondum solvit. Necesse enim fuit ab ipso scriptore aliquo modo praesentiam pastoris rerumque omnem conditionem indicari. Unde enim sciemus illud « Fragrant unguenta optima » non a puella neque a rege, qui brevi post nominatur, sed a pastore nescio quo pronuntiari. Cogebatur

autem K. ea huic attribuere, quia Salomonem abesse vult, nec tamen puellae de sponso *rustico* illa dicere licuit. — Unde cognoscemus illud « Introduxit me rex » ad absentem regem spectare, et maxime, ea quae sequuntur, non ad eundem, sed ad pastorem pertinere? Sic enim statuit K.: Sul. cum maerore queritur, se a rege detineri, deinde laetitia gestiens « Nos, nos », inquit, « exsultabimus in te (pastore) ». Quod indicium est, vv. 9-11 a rege pronuntiari, si modo rusticus locutus est; ne ex v. 12 quidem id potest satis cognosci. Rursus v. 16 Sulam. alloqui censetur pastorem; ullumne indicium est? 2,1 eadem regem alloquitur eoque praesente, ut modo, de amico rustico grandia praedicat. Manifestum est haec omnia nemini in mentem venire posse, qui non plura a commentatore quam a poeta didicerit. Atque ita per totum carmen (ut id semel dicam), quis quid in hoc « dramate » loquatur, incertum est; universa autem sententia, si audias K., hac una re nititur, ut recte *apponas* personarum nomina notasque scenicas plurimas, v. g. ab initio prope astare idque ad hortum regium, in quo conclusa est puella, eius amicum, et v. 16 puellam a rege praesente vultum avertere et alium appellare. Statuendum est igitur et nomina et notulas a scriptore additas amissa esse cum eisque Cantici sententiam universam vel intercidisse vel omnino perturbatam esse. Nihil non verisimile censent, ut evitare allegoricam interpretationem possint! Itaque etiam v. 3 suffixum masc. in שַׁבָּנִיךְ pro femin. accipitur, etsi id licere non probatur, sed « vulgare » esse dicitur suffixa commutare; et tamen 4,9 sqq. ab eodem pastore optime distinguuntur, immo vero statim 1,8. Sed *necessitas cogit;* qua eadem cogente K. 1,6 « vineam meam » allegoria insolita ad corpus cutemque puellae refert (v. supra Del. p. 382) item K. 2,4 « vinum » ut allegorici ad amorem accommodat. — 2,6 suspirium tacitum esse statuit; tantus autem est amor, ut vix pedibus sponsa consistat (2,5) et roget puellas, ne se inflamment ardentius (2,7).

Ad libri clausulam accedamus. Post 6,2 Sulam. cum puellis aulicis ex horto regis aufugit ad hortum amici. Quis credat? Illum inveniunt; pastor suum amorem effundit insigni sponsae laude. Una ex puellis eam frustra monet (7,1, Vulg. 6,12), ut domum revertatur; denique omnes cum ea eiusque amico abeunt domum paternam Sulamitidis! Ubi puellae postea manserint, K. non dicit; ancillas, opinor, se novorum coniugum rusticorum locaverunt, cum nihil aliud videatur potuisse fieri. Quid autem Salomon? Eius erit *liberalitatis*, non iterum separare, quos amor iunxit; scilicet iam c. 1 et 2 se passus est aperte postponi rustico nec c. 4 aegre tulit, sibi ne responsum quidem dari; idem igitur fugam libenter condonabit! Atque haec omnia putantur satis probabilia! Certe ne clausula quidem libri fit melior inducta persona pastoris conflictaque iusti dramatis ratione. Multo saltem simpliciora, quae apud Del. et Z.

Itaque Stickel *aliam* viam ingressus extrema tentat: *tres* iubet esse sponsos, *duas* sponsas. Inducit enim alterum pastorem alterius rusticae amicum; his ea tribuit, quae speciem habent pastoralem ante 5,2, post quem versum non amplius apparent! Nec horum amor ulla societate reliquae actioni adiungitur, nisi quod quaedam intervalla actionis explet et ad comparandam felicitatem simplicium rusticorum cum infelicitate Salomonis invitat! Est igitur embolium, quod in re prorsus aliena versetur, cuius argumentum inutilius arcessi non potuerit, praesertim cum Sulamitis suum iam habeat amicum rusticum cum eoque in extremo carmine consocietur. Multo certe aptius Kaempf universam fabulam construxerat. Sed vidit St. plurima ab illo incongrue afficta esse studetque ipse ad *verborum* actionumque proprietatem suam divisionem omnino accommodare, idque laudabile est. Ergo ab initio omni illo apparatu, quo K. scenam instruxit (1,1 sqq. 2,16 sqq.), abstinet; nullus ad horti

sepem pastor accedit, nullum colloquium cum eo ante 8,5, sed omnia Sulamitis vel sola vel apud Salomonem loquitur. St. non dubitat 1,3 (*Vulg.* 2) « unguenta fragrantia » ad rusticum referre ; v. 6 « vineam » allegorice explicare cogitur. Deinde ex duobus (!) versibus (1,7 et 8) scenam intercalarem efficit, ut par alterum amantium prodeat. Regi Sulam. fatetur, sibi iam esse amicum. V. 16 sqq. intellexit St. inepte regi assignari, cuius amorem Sulam. tam aperte recusavit; itaque rursum intercalari utitur scena : 1,15-2,4; his septem (!) versibus alterius paris *crescit* amor. Nec vero illud negligendum, *nullum* hic et ne 1,7 quidem indicium esse scenae mutatae; nam quod hoc priore loco puella pastorem compellat, id allegorici facile explicant, et ipse K. satis solvit, cum in propinquo astet pastor, Sulamitidis amicus. Porro 2,5 sq. misere haeret St., qui novam ex tribus (!) versiculis scenam construit, in eaque vult Sulamitidem amore amici rustici aegram obtestari muliebrem comitatum, ne in se velint regis amorem excitare. Ita 1,1-2,7 divisum videmus in scenas quinque, quarum nulla plus septem versibus constet. Cui id credibile videri potest, praesertim cum postea longiusculae sint, v. g. actus quarti prima sit versuum 18, secunda 27. Quae cum ita sint, nihilo melior apud St. explicatio carminis, quam apud K., et tamen ille totum drama in duo disparata discerpsit. Laudandum in extrema parte, quod St. illam *fugam* Sulamitidis cum suis puellis expunxit; at quid invenit melius? Statuit 7,10^{b} (*Vulg.* 9^{b}) Sulamitidem ingentes regis blanditias subito abrumpentem de suo rustico non tam loqui quam delirare; delirantis enim sunt profecto, si Salomone praesente 7,12-8,4 pronuntiat. Ipse quoque St. censet, post huiusmodi insaniam amoris eam a Salomone *dimissam* esse; deinde domi cum amico suo ea agit, quae apud K. Aliud quoque hic commentus est St. : a 6,10 describi et quasi repraesentari vult, quomodo Sulamitis aliquando rapta sit a rege; aliter enim non quadraret « descendi in hortum nucum »; at num verisimile est, eam, quae « saevo vultu » (ita St. ad 6,4) terreat Salomonem, et paullo post sui amici desiderio insanit, hic illam narrationem ipsam inducere?

Atque ex his, quae dicta sunt hactenus, satis intelligitur, frustra ascisci sponsum novum aut etiam duos novos novamque sponsam, frustra item dramatis adhiberi rationem, ut personarum ascriptione et notis scenariis ea addantur, quae in libro non sunt, denique frustra haereri in sensu litterali, subiuncta fortasse mystica accommodatione; plurima enim nihilominus manent non modo obscura, verum etiam inexplicabilia atque incredibilia. Iam vero in allegorica interpretatione suas esse difficultates etsi nemo negat, eae tamen nec maiores sunt, id quod in Schaeferi commentario facile est videre, et possunt fortasse magis magisque removeri. Accedit quod haec nihil habet indecori, nihil non sancti, nihil quod a communi Ecclesiae sensu et consuetudine sit alienum. Quae cum ita sint, magna ratio est, cur veterum vestigiis insistentes totum Canticum allegorice enarrare conemur. Sed quoniam tam multa ab allegoricis vel dubia vel inutilia vel subridicula proposita sunt, ut appareat parum certam fuisse ipsius allegoriae *normam ac regulam :* Prius inquirendum arbitramur, quibus legibus allegorica poesis dirigatur, et quibus tamquam propriis hoc Salomonis Canticum sit iudicandum. Quae res quoniam summi momenti est, paullo copiosius de ea disseremus.

IV. — DE ALLEGORIA CANTICI.

Allegoria, id quod vox ipsa sonat, vocibus coloribusque utitur a re proposita *alienis;* quod quidem genus loquendi in *metaphora* inchoatum videmus; nihil enim est aliud allegoria nisi metaphora continuata ac perpetua. Perpetuam dico, quia harum rerum periti vetant interrumpi seriem translationum et proprias voces figuratis admisceri. Et recte quidem; nam etsi *singulas* translationes propriis vocabulis excipi omnino licet, tamen continuatae translationis s. allegoriae omnis perit iucunditas, si repente intermittitur, ut brevi post resumatur. Haec igitur PRIMA lex allegoriae est, ut tota oratio induatur specie aliena, i. e. alia dici videantur, alia dicantur.

Exemplo sit Matth. 22,2-14 (parabola enim species quaedam allegoriae est). Ibi v. 2 prosaica quaedam inductio parabolae est, ut quomodo interpretanda sit, facilius teneatur : « Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo », i. e. sic vocantur homines ad regnum Christi s. Ecclesiam, tamquam ad regias nuptias. Iam tota parabola in nuptiarum similitudine versatur, nec quidquam infertur, quod non aliquo modo cadat in communes principum nuptias, usquedum v. 14 (ambigua tamen locutione) redeatur in sermonem proprium. Atque hic versus declarat, quo potissimum referenda sit parabola, qualis sit illa similitudo nuptiarum Christi et filii illius regis, quae significata est ab initio : utrimque vocantur multi, pauci digni inveniuntur. Licet autem amplius quaerere, aliudne etiam sit, quod non modo possit comparari, sed ab ipso Christo sit comparatum. Diversa enim sunt haec duo; nihil aliud Christus ipse comparavit, nisi quod orationis ipsius conformatione ac modo satis perspicue expressit.

Atque in hac distinctione ALTERA lex allegoriae cernitur. Nihil ex ea erui ad comparandum debet, nisi quod e verbis certo intelligatur; quarundam rerum nulla prorsus facienda est accommodatio. V. g. apparet non sine causa divites a pauperibus aliquo modo distingui a Christo, et indicari dupliciter posse peccare hominem ad Eccl. vocatum, si aut non veniat omnino aut sic veniat, ut placere Deo nequaquam possit. Sequitur 1) *saepe* divites, quia amore rerum terrestrium detinentur, prohiberi aditu regni coelorum, deinde 2) et *infideles* et *malos Christianos* « mitti in tenebras exteriores ». Longius progredi non cogimur, quamquam aliunde novimus vestem sordidam unius convivae intelligi *mortale peccatum* et poenam carceris *aeternos gehennae cruciatus;* ex ipsis verbis *generatim* tantum eruitur hominis indignitas et poenae severitas. His autem plura non facile adhibenda

sunt ad comparandum, quia aut non necessariam aut etiam plus minusve ineptam habent accommodationem.

Ut unum afferam, utilis forsitan ac pia meditatio sit, at non necessaria verborum explanatio, si ad v. 13 ita dicas : Mali convivae ligatur corpus et cruciatur animus (« fletus et stridor dentium » sunt animi doloris *signa*); ita « anima et corpus perditur in gehennam » Mt. 10,28. Non necessariam voco explanationem, quia satisfit omnino parabolae, si explicatio se continet in communi severissimae poenae notione; potest enim, quidquid exprimitur v. 13, ad *poeticam* potius huius notionis *expolitionem* pertinere, essetque optime dictum, etiamsi corpus mali hominis *non* una cum animo poenae aeternae addiceretur. — Multo minutior atque curiosior sit haec enarratio : Damnati « ligantur », i. e. libertate privantur, « manibus », ut nullius boni acquirendi sit potestas, « pedibus », ut nullum malum possint effugere; « tenebris » obruuntur, ut ne intelligendo quidem quidquam recreationis capiant; atque in « fletu » sunt, i. e. perpetua tristitia, et « strident dentibus », i. e. signa desperationis edunt. Curiosius, inquam, haec exquiruntur, quia etsi utilia sunt ad meditandum, tamen verbis ipsis non satis significantur. Immo vero recte negaveris, si ita minute verborum mystica significatio attendenda sit, posse consistere ipsam *poeticam* in parabola *delectationem;* genus autem poeticae dictionis parabola est. Praeterea in homine vinculis addicto, nemo ita subtiliter ista distinguere *solet;* ad *communem* autem sensum, nisi propria ratio obstet, omnia interpretanda sunt.

Sed utilia haec fortasse sunt, nec certe falsa. Valde autem dubia sit haec accommodatio : Unum, non plures rex invenit indignos; ergo ex iis, qui sunt in Ecclesia, *paucissimi ac rarissimi condemnantur.* At illud « pauci electi » v. 14 videtur aliquo saltem modo etiam ad secundam partem parabolae spectare, ut non liceat ex uno illo exemplo *tantum* concludere; manifesto autem obstat, quod v. 10 dicuntur « mali et boni » vocari. Licet addere, quod in uno describatur, id non in illo solo factum affirmari; magis autem poeticum illud esse, quam generatim multorum poenam ostendi. — Porro ad v. 5 possit quispiam ita disserere : Qui in « villam » abeunt, *gentiles* sunt, quia longius aberrant a civitate Dei, i. e. Ecclesia; ceteri, qui ad « negotiationem » se convertunt, *Iudaei* sunt negotiosi, qui propius absunt et volunt se haberi populum Dei vel aliquam saltem eius partem. Fuit autem certe satis aptum eos, qui ad Christi nuptias vocantur, in Iudaeos et gentiles distingui. Nihilominus nemo non sentit, longius istud arcessitum esse. Quid ita? Quia si id voluisset Christus significare, probabile est, eum non uno verbulo id indicaturum fuisse. Obstat etiam v. 6, ubi « reliqui » *tertium* genus hominum indicant. Sequitur, ut rectius, id quod sua sponte occurrit, hic quoque *expoliri* tantum dicamus notionem infidelitatis in hunc modum : alii alio modo invitantem Christum repudiant, quidam eum etiam novis iniuriis afficiunt. — Possit alicui in mentem venire, ut amicos regis pristinos, qui priores invitantur, Iudaeos esse putet, alienos autem postea vocatos gentiles. At id hoc loco non satis quadrat; an Iudaei *omnes* Christum repudiarunt et *soli* servos eius interfecerunt, et gentiles *idcirco* tantum vocati sunt, quia Iudaeis non venientibus locus vacuus fuit? Quodsi haec tamen suo modo explicari posse dixeris, oppono v. 14, unde apparet non tam Iudaeos gentilibus, sed dignos indignis, sive

Iudaei sint sive gentiles, comparari. Longe aliter enim ea parabola, quae proxime praecedit, concluditur 21,43, eamque longe aliter accipiunt Pharisaei, cf. 21,45 sq. cum 22,15 sq. — Simile erit responsum, si prius vocatos potentiores et ditiores, ceteros humiliores et egentiores esse et utrosque a Christo *omnino distingui ac separari* statueris, quasi *nemo* dives sibi vocanti obtemperet. Potius causam aliquam *valde communem* neglectae salutis imagine illustrat. Prorsus ineptum sit « tauros et altilia et omnia » (v. 4), « exercitus, civitatem » (v. 7) separatim velle accommodare.

Itaque satis apparet, quanta moderatione quantaque cautione in enarranda allegoria opus sit, ne omnia explicando vel ipsa vis poetica orationis propositae extenuetur vel inutilia ineptaque, immo vero, id quod facile fit, etiam dubia ac falsa non eruantur e verbis, sed iis *affingantur*. Tantus autem olim fuit allegoricae explicationis studium, ut saepe incongrua optimis, futilia utilibus adiungerentur. Ceterum nemo non videt, quam sit *natura* sua impedita atque spinosa allegoriae enarratio, praesertim si non, ut in superiore parabola, aliqua addatur a scriptore ipso interpretatio. Quamobrem non est mirandum, quod ab allegoricis saepe *diversa* ad eundem locum disputentur; ubi primum enim specie quadam probabilitatis invitatus plura, quam oporteat, tentaveris, periculum erit, ne alia diversa opponatur aeque probabilis explicatio. Sequitur, ut, *quantum in re difficili licet,* certa ab incertis, et vera enarratio verborum a pia accommodatione seiungenda sint.

Aliam parabolam videamus, Mt. 25,1 sqq., cuius argumentum non minus prope ad Canticum Canticorum accedit, quam illa, de qua diximus. In hac quoque de Christi nuptiis agitur. Atque ut ex v. 13 et ex c. 24 extremo cognoscitur, eo spectat, ut vigiles exspectemus Iudicis adventum; dicuntur autem decem *virgines* exspectare *Sponsum*. In qua parabola primum ea observare licet, quae in superiore; v. g., inutile esse quaerere, quid « vasa » significent, in quibus oleum servatur (v. 4), quid « vendentes » (v. 9), quid deliberatio inter prudentes et fatuas (v. 8 sq.). Haec enim apte transferri ad sententiam mysticam aegre possunt. Quo eodem pertinere dixerim, quod fatuae in loco nuptiarum, e quo postea excluduntur, ante fuerunt; namque haec omnia ad apparatum poeticum spectant, non ad veram sententiam. Unde apparet, quam constanter hic quoque parabola veste utatur *aliena,* cum aliqua ne possint quidem transferri.

Sed aliud est, quod in isto exemplo observari velim. Sponsam Christi *unam* esse Io. 3,29, Apoc. 19,7; 21,2; 22,17 etc. manifestum est; quid igitur hic *decem* virgines sponsae designant? Eandem, ut evidens est, Ecclesiam; nam Christus fideles omnes iubet vigilare (v. 13) et « regnum coelorum » dicit a se decem virginibus comparari (v. 1). Qui

id fieri potest? Respondeo : licet omnes Christi fideles quasi multae sint diversae sponsae, posse tamen eorum universitatem simul comprehendi et unius personae imagine *poetice* proponi. Itaque hoc loco etsi *graeca* verba mentionem nullam faciunt unius Sponsae, tamen et illis locis una dicitur Sponsa Ecclesia, et hoc loco Vulg. addit, sine ulla sententiae diversitate, decem virginibus unam Sponsam praecipuam (v. 1). Cf. 2 Cor. 11,2 : « Despondi *vos* uni viro *virginem* castam exhibere Christo ». Deinde autem inter Sponsam illam unicam et sponsas decem aliqua statui potest *differentia*. Virgines enim quinque nuptiarum participes non fiunt; Sponsa autem unica Christi excludi nequaquam potest. Licet igitur certe discernere eam Ecclesiam, quae maculam aut rugam non habeat sitque proprie unica Christi Sponsa (Eph. 5,27), ab illa, quae in ista parabola « regnum » Christi dicitur et virginibus partim prudentibus, partim fatuis comparatur. Nota distinctio est, sed eadem ad Cantici explicationem momenti non levis.

Porro quod fideles omnes *virginibus* comparantur, attendi oportet ad convenientiam quandam poeticam, quae vel permittit vel exigit, ut hic chorus Christo obvius femineus potius fingatur, quam ex pueris puellisque mixtus. Contra, si quando Sponso comites addantur, oportet eos esse masculos (Iud. 14,11; 1 Mach. 9,39). Isto evangelii loco patet taceri Sponsi comitatum; quod ea de causa factum est, quia Christus cum singulis fidelibus nuptias init mysticas, illos igitur oportuit *omnes* virginum personas induere. Sed « filii Sponsi » dicuntur apostoli Mt. 9,15, « amicus Sponsi » Ioannes Bapt. Io. 3,29.

Denique numerus denarius, qui quodammodo pro pleno ac perfecto usurpatus est et ob hanc significationem electus, *allegoricam* habet notionem, ut solent omnes in allegoria numeri, nec necesse est quaeri, fueritne in nuptiis Iudaeorum aetate Christi hic numerus usitatus.

Est igitur TERTIA lex allegoriae, ut *fictione* utatur paŭllo audaciore : in *persona Ecclesiae*, in *femineo* sexu, in *numerorum* inventione.

Aliud insuper iuvat afferre allegoriae exemplum, in quo etsi non Christi et Eccl. desponsatio describitur, sed Dei et populi Israelitici, tamen id tempore propius ad Canticum accedit demonstratque, qui fuerit iam in Vetere Testamento usus simillimae allegoriae. Apud Ezechielem capite 16 allegoria urbis Ierusalem pertexitur. Unde QUARTA lex figuratae orationis intelligitur : personam fictam, ut Ierusalem s. terram Iuda (pro hac enim ponitur), posse omnino ad communem et *humanam* similitudinem depingi. Nascitur enim apud prophetam Ierusalem, curatur ut infans, adolescit ut puella, fit matura virgo, desponsatur; corpus eius, vestis, ornatus minutatim describitur; deinde

fornicatur, et flagitia eius locique, in quibus committuntur, et adulteri, quibuscum agit, enarrantur; denique ut adultera lapidatur, rursum autem in Sponsi gratiam recipitur. Eadem matrem habet, quae proiecit virum suum et filios suos, et sorores habet, quae proiecerunt viros suos et filios suos, ipsa filios immolavit idolis. Haec omnia, inquam, quae verae historiae speciem efficiunt, in mera allegoria poni mirari non debemus. Quodsi de explicatione quaeritur, *summa capita* ab imagine ad veritatem transferri oportet, non omnia singula accommodari. De qua re cf. P. *Cornely,* Introd. II. 2 p. 193 cum n. 16, praeclare admonentem. Et sane illo uno vitio curiosioris accommodationis ingentem sibi invidiam allegorici crearunt.

Porro illa quaestio occurrit, quatenus HISTORIAE veritas inesse possit in allegoria. In iis evangelii parabolis, quas supra vidimus, non ad ea, quae semel facta sunt, sed ad ea, quae saepe vel fiunt vel fieri possunt, narratio conformata est. Itaque prorsus inutile est amplius quidquam inquirere, praesertim cum *numquam necesse sit* parabolam ad historiae fidem componi. Satis est enim omnino eam ad sententiam apposite confictam esse; cuiusmodi in omnium gentium litteris plurima exempla sunt; et nominatim evangelii parabolas quis dixerit omnes certis rerum eventibus congruisse? *Possunt* autem quaedam esse vel non fictae vel ex parte tantummodo fictae; velut illam de homine divite et Lazaro (Luc. 16,19 sqq.) testes sunt non pauci ad rerum veritatem esse narratam, aut ex parte tantum esse fictam (nam v. 24 « digiti » et « lingua » corpoream significationem a poetica fictione habent). Nihil est igitur evidentius quam in allegoriis *nec requiri* historiae fidem *nec excludi.*

Sed ex hoc ipso efficitur, ut non sit ita facile verum a ficto discernere, cum non rerum eventorumque, sed sententiarum ac significationum veritas allegoriae proprie conveniat. Multa enim ficta possunt esse *historiae similia.* Velut in Ezechielis illa narratione, cum Ierusalem filia dicitur Amorrhaei et Cethaeae (16,3. 45), id historiae specie quadam, non re vera congruit, quia haec nomina propria impropria significatione usurpantur. Ipsius Ierusalem et Samariae et Sodomorum nomina verae quidem sunt urbium appellationes, sed a propheta significatione paullum immutata pro gentibus ponuntur; c. 23 in loco simillimo pro illis ficta substituuntur : Oolla, Ooliba. Nomen Lazari, si vera illa narratio est, eius hominis fuit, cui illa contigerunt; sin ficta est, ipsum quoque ad aliquid significandum inventum est (Lazarus = Eleazar = « Deus adiutor », ut intelligatur ille ab hominibus desertus Deum nactus esse adiutorem).

Ut fit in nominibus, item in rebus; v. g. *poterat* illud divitis cum

Abraham colloquium (Luc. 16,23 sqq.), etsi *speciem* veritatis habet, rei verae affingi, ut historici etiam orationes ad aliquam verisimilitudinem componere solent. Eadem est ratio *numerorum*. Fictos videmus in parabola de semine (Mt. 13,3 sqq.), ut quidam gradus fertilitatis designentur; cf. Gen. 18,28 sqq., ubi comparativi potius, quam definitivi putandi sunt. In parabola de decem virginibus *fortasse* ex aliqua eius temporis consuetudine electus est numerus definitus, etsi satis probabile est, definitum pro indefinito inventum esse (Iud. 14,11 Samsoni *triginta* adduntur sodales).

Sed ut certius cognoscatur historiae ratio et allegoriae, quaerendum est, possitne eadem narratio tota esse et historica et allegorica, ut DUPLEX sit a primo ad extremum interpretatio diversa. Quod quidem nondum censendum est contingere in illa narratione de Lazaro, ubi primum eam veram esse constiterit. Tum enim historica erit simpliciter, non allegorica, ut unam semper habeat, non duas interpretationes. Quae duas habet, ea vere *ambigua* est. Iam vero sententias *separatas*, quae in duas partes explicari possint, non raro sane usurpari scimus; at longiores narrationes ambiguae, si usquam usurpatae sunt, certe lusus quidam habitae sunt, non seria oratio. Nec enim duplicem sequi sententiarum continuationem nisi summa mentis contentione possumus. Itaque statuendum est, si proprie loqui volumus, non esse huiusmodi ambiguas narrationes nec « sensum duplicem ». Illa autem multorum veterum opinio defendentium sensum Scripturae esse multiplicem vel prudenter interpretanda est vel repudianda. Una est omnis scripturae vera et propria sententia, e qua *derivare*, cui *adiungere* aliam non falsam sententiam sane licet. V. g. cum apostolorum navis fluctibus iactatur (Marc. 4,37 sqq.), nihil praeter historiam proprie intelligimus; historiam enim se scribere evangelista satis perspicue indicat. Licet autem sane *pie meditari* similem esse fortunam Ecclesiae, quae sit navicula Christi ac saepe periclitetur huius mundi fluctibus, Christum autem semper habeat praesentem ab eoque servetur, ne intereat. At haec *accommodatio* historiae est ad rem similem, non nova evangelii interpretatio. Fortasse quidem evangelista et ipse Spiritus Sanctus huius accommodationis causa potissimum illum eventum narratum voluerunt; at nihilominus a consuetudine omnium populorum alienum est, narrationem vere *ambiguam* conscribi; sententia igitur una est ac simplex, sed res ipsa narrata talis, quae ad illam accommodationem invitet. Nullam igitur licet *demonstrationem* alterius veritatis ex huiusmodi narratione petere, *illustrationem* certe licet; cuius rei causa est, quod historica veritas, non alia in ipso illo eventu inest; illa autem non spectat ad Ecclesiam, sed ad id, quod verbis exprimitur.

Quoniam autem quaedam in Vetere Testamento facta scimus ita, ut res ipsae, Deo ordinante, alias Novi Testamenti figurarent, utque *typi* essent futurorum : si eodem modo divinitus patefactum nobis esset, Deum *voluisse* illo eventu Ecclesiae adumbrare fortunam, tum sane liceret ex una re ad alteram certo concludere. Sed primum quidem id nullo infallibili testimonio comprobatur, deinde hoc unum sequeretur, ut *res* ipsa (et si qua verba *rem* breviter enuntiant, cf. Gal. 4,30 ; Matth. 2,15), non narratio rei tota, quae *scriptoris* est, esset figura a Deo instituta. Liceret autem, si de typica significatione eventus constaret, ea, quae de Ecclesia adumbrarentur, *quodam modo* etiam *demonstrando* transferre ad animas quoque Christo fideles, quia v. g. *amare* Christus Ecclesiam universam non potest, nisi amet homines, e quibus ipsa constat. Atque hunc *sensum consequentem* appellant, i. e. verae et propriae sententiae *necessario adiunctum*. Quae cum ita sint, numquam tentandum est, ut librum aliquem aut longiorem narrationem Scripturae ad duplicem sententiam proprie interpretemur; altera enim interpretatio potius ad sensum *accommodatum* vel *consequentem* reducitur. Sunt autem plurimi, qui haec parum cognita habentes in explicanda Scriptura errent.

Atque hoc loco concludere licet, si qua narratio proposita sit interpretanda, illud ab initio constare debere, eam *aut* historicam esse *aut* allegoricam; nihil est tertium ex utroque mixtum; qui historicam sectatur sententiam, is omittat allegoricam ac vicissim. *Specie* tenus tantummodo potest esse sententia *duplex;* nam historia fortasse apta est, quae ad subtiliorem sententiam *accommodetur*, allegoria vicissim in *imagine* versatur rerum inferiorum eademque facile admittit etiam *sensum consequentem*. Iam vero ut demonstretur, aliquam narrationem esse vel historice vel allegorice explicandam, quoniam duas esse interpretationes negamus, satis est alterutram probari; eo ipso enim altera excluditur. Porro autem quaeritur, quonam modo id fieri debeat.

Externa sunt *testimonia* et rerum ipsarum *indicia*. Illa spernenda non sunt; *potest* enim fieri, ut allegoria, quae sua natura quandam habeat vel obscuritatem vel ambiguitatem non possit sine testimonio auctoris recte intelligi. Id de quibusdam suis carminibus (brevioribus) fatetur Dantes (Conv. 1,2 extr.); item v. g. Eccl. 9,14 sqq. ipsa verba per se parabolam aut historiam non satis demonstrant; v. supra in comm. ad Eccl. p. 286 sq. Rerum indicia haec sunt : 1. ipsa narrationis perpetuitas, qua in longiore potissimum carmine probabile est alterutram explicationem excludi; ergo nisi totius carminis apta sententia, sententiarum consecutio, compositio ostenditur, accipienda non est ea interpretatio, quae proponitur; 2. possunt esse in singulis vocibus

versibusque res eiusmodi, quae aut historicam aut allegoricam explicationem non patiantur. Quamquam nec allegoriam continuo probat quaelibet rerum *exaggeratio* ac superlatio, nec historiam tales allegoriae *expolitiones*, quales frequenter adhibere poetae solent.

Occurrit alia quaestio de optimo genere INTERPRETANDAE allegoriae. Quoniam allegoria imagine velat sententiam, haec ex illa eruenda est, nisi de ea aliunde constat. Sed posse testimonio summatim constare, modo diximus; deinde si forte ad reperiendam veram sententiam opus fuit laboriosa imaginis disquisitione, tamen non continuo sequitur, ut eadem via, qua inventa sit, etiam proponi aliis ab interprete debeat. Itaque quaeritur, si (ut in Cant.) summatim notum sit, quo tendat oratio allegorica, expediatne imaginem prius *separatim* considerari, an *simul* vera sententia et imago interpretanda sit. Fortasse respondebit aliquis, in huiusmodi parabola, cuiusmodi est de nuptiis regiis Mt. 22,2 sqq., evidens esse, prius parabolam ipsam totam enarrandam, deinde redeundum esse ad principium, ut vera sententia historiae addatur. Ita fieri scimus a contionatoribus. Et rationem afferre possis, quod *ante* notitiam translatae significationis necesse sit primam atque communem vim verborum teneri. Nihilominus isto quidem in loco Christus Dominus summam interpretationis praemisit: « Simile factum est *regnum coelorum* homini regi, qui fecit nuptias filio suo ». Utile est igitur in omni imaginis explicatione quasi facem aliquam adhibere generalem illam interpretationem. Immo vero saepe necessarium, quod quidem sic probo (cf. supr. p. 349 sq.).

Ut aliquam enuntiationem allegoricam recte intelligas, sane requiri concedo, ut vim verborum communem scias; quamobrem certe aliquando singula prius accurate ad *grammaticae* rationem *linguaeque* consuetudinem, antequam longius progrediare, enarranda sunt. Sed unius verbi maxime variae possunt esse *translationes;* v. g. caput de toto homine (« duo millia capitum »), de duce aliquo, de auctore alicuius rei, de vita (« capitis periculum »), de urbe praecipua, de particula libri, de summa pecuniae, de fonte fluminis, de omni principio usurpatur. Ita fit ut in allegoria *plerumque* vera cuiuspiam vocabuli aut enuntiati significatio, i. e. ea, ad quam *hoc loco* attendendum sit, ignoretur, nisi prius, quo universa allegoria spectet, constiterit. V. g. de « filio regis » Matth. 22,2 nemo divinare potest, nisi quo tendat oratio sciat. Minime verum est igitur, *allegoricam* orationem melius explicari omissa a principio ea sententia, cuius exprimendae gratia imago poetica adhibetur. Immo vero inutilis est labor; lumen enim afferet potius verbis sententia, quam huic illa. Illo Matthaei loco si noveris agi de *regno coelorum*, tum demum recte et definite intelligas, quid

hoc loco sibi velint nuptiae, rex, invitatio... Cur igitur (si quidem aliter agere licet) frustra sudem in expiscanda notione singularum rerum, si veras notiones definire tamen non possim? Nam saepissime vera (translata) notio *longissime* abest ab usitata; annon haec verba : « Prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt » diversissimam ab usitata notionem habent?

Potest etiam fieri, ut eam *speciem* verae historiae prae se ferat allegoria, ut tibi persuadeas, eam speciem omnino *persequendam perficiendamque* esse; ergo addere et affingere multa conabere, ne quid ad perfectam absolutamque historiam videatur deesse. Sed luce carens verae sententiae fortasse longe a vero aberrabis. Nam in omni comparatione multa solent occurrere *dissimilia*, quae si similibus admiscueris, omnia perturbabis; atque in longioribus allegoriis evenit *plerumque*, ut non possint *simul* et vera sententia et imago assumpta omnino perpetuitatem servare, et quoniam illa ex scriptoris consilio primarium locum obtinet, haec i. e. imago s. historia non erit semper continua, sed aliquando interrupta. Quas lacunas si expleveris, aliena ac diversa scriptori affinxeris. Cuius rei exempla paullo infra omnino singularia afferemus. Quae cum ita sint, ille potius ordo sequendus est interpretando, quem scriptor secutus est cogitando, ut vera sententia semper obversetur animo, dum verba singula considerantur.

Nunc ad Canticum ipsum veniamus.

Principio inquirendum est, historica sit narratio an figurata; prorsus enim diversae utriusque sunt leges, neque id hic, ut in parabola de Lazaro, parvi refert. In Cantico enim ubi primum dixeris Sponsam intelligi Ecclesiam, « sexaginta reginae » nihil habebunt commune cum gynaeceo regis Salomonis, « Sulamitis » non erit ex Sunem oppido oriunda, Salomon erit Christus, non raptor alicuius puellae, nec Sponsa alium poterit insuper desiderare amicum; denique prorsus abstinendum erit a *litterali* verborum significatione. Quamobrem ante variis exemplis demonstravimus, non de naturali agi amore, sed de supernaturali (p. 384 sqq.). Ne iungi quidem posse utrumque ostendimus, cum de typica interpretatione diceremus (p. 369 sqq.); nec omnino duplicem esse interpretationem, ipsius artis poeticae leges sinunt opinari, quia nullius libri sententiam proprie duplicem agnosci fas est (p. 393 sq.). Atque aliam esse Sponsam praeter Christi Ecclesiam communi veterum auctoritate reiicitur, de *sola* autem agi amica humana Concilii universalis decreto damnatum est (v. supra p. 368 sq.). Quo decreto non comprehenduntur quidem typicae interpretationis defensores; sed iidem aegerrime liberare se ab hoc crimine poterunt, quod

piam *accommodationem* historiae pro *sententia* carminis mystica haberi velint (p. 375). Amplius dico : *maioris constantiae* est, si semel historiam amplexus sis, allegoriam omnem missam facere.

Iam vero, quoniam in his rationibus, quas attigi, tantum est momenti, ut ad allegoriam puram ac meram redire necesse sit, explicari oportet, quomodo ei accommodari leges modo expositae debeant. Et primum quidem orationem figuratam interrumpi non licet. Quamobrem et *nomina* et *numeri* et si qua sunt alia, quae videantur esse historiae, ea allegorice accipenda sunt; haec saltem *primaria* explicatio est (si forte *etiam* historica adhiberi potest). V. g. « Salomon » non est proprie illius regis nomen, sed vere symbolicum; significat Eum, cui potissimum Pacifici appellatio (1 Par. 22,9) congruit, qui est « pax nostra » (Eph. 2,14; Hebr. 1,5). Nec ea translatio notionis singularis est; nam cum typus Messiae sit Salomon eiusque regnum pacificum (Ps. 71), ea ratione Christus recte Salomon vocatur (cf. « David » pro Messia Ez. 34,23; 37,24 et « Elias » pro Ioanne Bapt., Mt. 11,14). Est hic tropus apud omnes gentes usitatus, ut, qui alterius aliquam demonstret proprietatem insignem, eius nomine possit appellari. Ob similem rationem Cant. 1,8 (9) « currus Pharaonis » explicari et potest et debet : currus magnificentia *Pharaonica*, vel, quia Pharao generatim pro rege ponitur, *regia;* ita David improprie usurpatur Os. 3,5 pro eo, qui dignitate eius potiatur, et Ierusalem filiam Amorrhaei vocari vidimus (Ez. 16,3) propter morum similitudinem, sororem autem non modo Samariae, verum etiam Sodomorum (ib. v. 46); haec enim est metaphora pervulgata. « Soror » illa « parva » Cant. 8,8 nihil est cur non ad eandem normam intelligi *possit :* pars et quasi natio hominum, fide moribusque ab Ecclesia aliena, sed ei aliqua cognatione coniuncta, v. g. Synagoga aut infideles; dico posse intelligi, non *debere*, v. ad l. « Ierusalem » s. « Sion » ipsa Ecclesia est, ut Ps. 86 ac saepius. Item symbolice licebit 4,8 explicare « Libanon » ceterosque montes. De « Sulamitide » dictum est p. 381, de « Amminadib » in comm. ad 6,11 dicemus.

Nec *numeri* aliter accipiendi sunt. Qui sunt aut omnino ficti aut, si quando e rerum veritate assumpti sunt, habent tamen significationem *proprie* symbolicam. « Sexaginta » illi fortes (3,7), si sexcenti usitatus fuit stipatorum numerus regibus Israeliticis, ex hac ipsa similitudine *fortasse* derivati sunt, ut Sponso *regius* comitatus adderetur; probabilius est indefinitam *multitudinem* significari. Sed in allegoria non est necesse in istum morem regium multum inquirere, prorsus ut in denarium virginum numerum (p. 391). « Sexaginta » autem « reginas » tum, cum Salomon scriberet, fuisse quoniam vix verisimile

est, ad historiam eas nullo modo pertinere dicemus; allegorici quidem, si *vellent* ipsi quoque eum numerum aliquomodo ad rei veritatem referre, deberent quandam huius numeri *constantiam* in regum vel saltem Salomonis gynaeceo demonstrare, quia nisi a constanti numero symbolum transferri non potuit. Sed quae sexagesimi numeri significatio esset, sive ad rem veram spectavit sive non spectavit, supra disseruimus (p. 378). In extremo Cantico ipsi illi, qui interpretationem historicam sequuntur, solent « mille » et « ducentos » (8,12) allegorice explicare, quemadmodum « vineam meam » ipsam Sponsam audacius quam allegorici interpretari coguntur. Omittant igitur illis obiicere « sexaginta reginas ». Huiusmodi numeri secundum aliquam sane convenientiam, libere tamen et ob rationes *diversas* finguntur, ut « sex et septimum » (Prov. 6,16), « tria et quattuor » (ib. c. 30), « septem et octo » (Eccles. 11,2), deinde qui ponuntur Gen. 18, 24-32, porro, « quingenti et quinquaginta » (Luc. 7,41), « septies, septuagies septies, decem millia talenta, centum denarii » (Mt. 18,22. 24. 28), et alia similia.

Porro minime licet aut ius illud allegoriae, *expoliendi* imagines assumptas, negare aut huiusmodi additamenta *omnia* velle ad Eccl. interpretando transferre. Peccarunt igitur et recentiores, si quando affirmarunt allegoricis omnia etiam singula spiritualiter esse explicanda, et veteres, si quando inutiliter istam explicationem consectati sunt; haud scio, ab utra parte maior fuerit error. Exemplum pono : Horatius quod Od. 1,14 navis imagine (ut paene omnes semper censuerunt) rempublicam periclitantem descripsit, num idcirco singula additamenta poetica nos interpretari oportet? Ubi « latus nudum remigio », ubi « malus saucius Africo », ubi « antennae gementes », ubi « funes » amissi, ubi « lintea », ubi in romana republica « Pontica pinus », ubi « nitentes Cyclades »? Cf. navis imaginem de Tyro Ez. 27; num ib. 16 omnia ac singula aliquid mystice significant? Minime vero. Itaque ignorantium genus allegoricum est, istud velle exigere. Similis est autem error id praestare serio conantium et poeticam pulchritudinem hoc modo prorsus exstinguentium. Ergo in Sponsae et Sponsi descriptione (4,1 sqq. 5,10 sqq. 6,4 sqq. 7,1 sqq.) aliisque eiusmodi rebus id unum negotium est allegoricae interpretationis : universam generatim imaginem ad Eccl. vel Christum transferre. Longius procedere licebit aliquando, sed nec necesse est et caute fieri debet, ut supra in parabola de regiis nuptiis ostendimus (p. 389).

Sed ne quis dicat, « expolitionis poeticae » loco poni a me, quidquid allegorice interpretari non possim : illam circumscribi ac definiri necesse est. Ergo requiritur, ut *vere* sit tantum expolitio vel dilatatio

alicuius notionis, quae ad Ecclesiam describendam pertineat. V. g. *ornatus* Ecclesiae explicandus sit : licebit poetae, quoniam semel Sponsae personam proposuit, muliebria ornamenta enumerare, quae etsi singula propria significatione careant, tamen universa poeticam expolitionem contineant huius sententiae : Christus Sponsam suam ornavit insignibus muneribus. Nego igitur torques, inaures, armillas, calceamenta distincte esse interpretanda, quia una « ornatus » notione comprehendi possunt. Non interrumpitur autem huiusmodi amplificatione unius rei ordo seriesque cogitationum, nec quidquam alienum assumitur, sed id solum perficitur, ut cogitatio non aspectabilis *signis aspectabilibus* sub oculos subiiciatur ; id quod est boni poetae. Nec vero hic pro allegorica interpretatione illam *accommodationem* substituo ; haec continuationem ordinemque rerum a sola imagine repetit, ad quam prius et maxime attendit animus ; sed id quod explico, eo spectat, ut vera et mystica sententia, quae est omnino perpetua continuatione proposita, exigere vel admittere dicatur uberiorem aliquam *copiam symbolorum* ad *unum* significandum aptorum.

Vidimus in *personarum effictione* audacius versari poetas allegoricos. Itaque in Ecclesiae persona ad puellae similitudinem propositae nihil est offensionis ; quaeri tantum potest, illane Ecclesia intelligatur, quae sine ulla macula est, an ea, quae et fatuos et prudentes complectatur (supr. p. 391). Fortasse autem, quia haec illam in se continet, non est cur subtilius distinguamus, et quoniam 5,3 non facile omnes consensuros putamus, Sponsam *omni* culpa vacare, statui non inepte potest, Ecclesiam *simpliciter* describi, non proprie eatenus, quatenus sit sine ulla macula. Nihilominus alteram sententiam multo probabiliorem existimamus, sed id infra accuratius explicare malumus.

Sponsa *vineae et gregis* curam habet, 1,5. 7 ; 2,12 sqq. ; id quod in Eccl. sua sponte explicatur ; item quod *nigra* dicitur eademque mire pulchra (1,4 ; 4,1 sqq.) ; v. comment.

Atque haec de Sponsa. Cuius *comites*, ut sint virgines, quaedam decentia poetica exigit, etsi Ecclesia utroque sexu constat. Illa accedit ratio, quod comites quoque quaedam sunt Christi sponsae ; ergo femineas oportuit esse personas. Et re quidem vera singulorum fidelium animae ipsam componunt Ecclesiam desponsandam, quae et una et multiplex recte dici potest. Cf. p. 391. Vocantur autem comites « filiae Ierusalem » vel « Sion », a quibus vix distingui censeo etiam 6,7 « sexaginta reginas et octoginta concubinas et adolescentulas », v. comment. Sponsa enim ipsa regina Ierusalem, unice cara Salomoni, intelligitur ; « Ierusalem » autem vel « Sion » vel « Israel » (3,7) civitatem populumque Dei designant (Hebr. 12,22 ; Rom. 9,6) : totum Ec-

clesiae ambitum atque corpus, cuius omnes illae et « sexaginta fortes » (6,7) partes membraque quaedam sunt; v. comment. — « Filiae Ier. » non videntur a latere Sponsae discedere (1, 4. 7; 2,7; 3,5. 11; 5,8. 17; 8,4).

Sponsus autem est *rex pacificus* regni Messianici, similis Salomonis, sed idem « plus quam Salomon » (Mt. 12,42). Idem pastoris personam sustinet ac vinitoris (1,6; 2,12 sqq.; 8,11). Ei assistunt « sexaginta viri ex fortissimis Israel » et « amici » comitantur. Assidue id fieri non perspicue apparet; semel illi, hi bis (3,7; 5,1; 8,13, cf. 1,6 sq.) commemorantur nec nisi pauca eis verba *possunt* attribui (cf. comm. ad 3,6; 6,9; 8,5. 8). Quod mirere, si eos ita Sponsi comites velis esse, ut filias Ierusalem Sponsae, ac sane id parum verisimile est, praesertim cum etiam 6,8 sq. feminae tantum ponantur. Ergo non videntur esse *humanae* et aspectabiles personae nec eodem modo paranymphi, ut illae paranymphae. Cuius rei ratio est quam paullo ante dixi — Sponsus enim *omnium* fidelium animas *sponsas* sibi facit — congruitque Christi parabola Mt. c. 25, ubi Sponsi sodales omnino tacentur. Licet « amicos » 5,1 et 8,13 *angelos* dicere, ac similiter « fortes » 3,7 interpretabimur. Sponsus enim comitantibus angelis descendit *de coelo* obviam Sponsae (cf. 2,8), ut eam in extremo carmine secum ad angelorum sedem abducat. Non dico prorsus certa haec esse, sed probabilia; saltem hoc statuendum est : si Sponsus comites habeat humanos, cf. supr. p. 391, noluisse poetam eos *eodem ordine*, quo filias Ierusalem, distincte proponere. Personae igitur non loquentur (ut certo discernantur) praeter Sponsum et Sponsam et filias Ierusalem (v. g. 5,9). Praeterea v. ad 8,5 sqq. Quodsi qui alias addunt, *dramatis* potissimum construendi causa, earum nulla certa indicia esse arbitramur.

Actionem Cantici *humanae* similem esse oportet. In Apocalypsi Ierusalem « parata sicut sponsa ornata viro suo » (21,2), vestita « byssino splendenti et candido » procedit (19,8), apud Ez. c. 16 ornatus exquisitissimi partes singulae enumerantur, item corporis membra describuntur. Sponsi descriptionem non dissimilem lege Apoc. 19,11-16, ubi etiam equo vehitur. Coenam nuptialem vide Apoc. 19,9. Itaque in Cantico eadem fere usurpantur : coena ponitur 5,1 et vini identidem fit mentio, Sponsus 1,8 currus habet Pharaonicos, corporis partes et ornatus describuntur, atque ita porro.

Nec vero oportet *omnia ac singula* mystice interpretari. Etsi enim Apoc. 19,8 Sponsae vestis generatim explicatur « iustificationes sanctorum », tamen ib. 11 « equum » quis interpretabitur? Ignem quoque oculorum, gladium oris, virgam ferream, calcationem torcularis distincte definiri quid opus est? Satis est ac magis poeticum, imagines

non destrui, sed aliqua obscura communique intelligentia ad *Dei-hominis maiestatem regiam* referri. In longiore allegoria Ez. 16 manifestum est ita agendum esse, ne inutili ac ridiculo labore minuta consectemur.

Ubi sisti oporteat expolitae allegoriae interpretationem, id quidem non certa regula praefiniri potest; iudicii hoc est et prudentiae; generatim hoc teneamus : *dissolvi* omnino imagines poeticae non debent, quia scriptor, cum poetice loqueretur, poetice voluit intelligi; deinde, ubi indicia quaedam sunt, unde *facile* deprehendas latentem sententiam mysticam, ibi probabile est, ea indicia consulto subministrari a poeta; nihil autem *nimis longe* requirendum est, praesertim cum ita facile in difficultates te ipse induas (supr. p. 389).

Quamquam aliquando dubium esse potest, quid scriptor voluerit; velut in eo exemplo, quod modo ponebam, Ap. 19,12 sqq., si Dei-hominis maiestatem cupias distinctius designare, fortasse non videtur ineptum in Christo, qui revera solo oculorum intuitu, vel uno verbo, vel uno ictu pedibus suis subiicit inimicos, ita interpretari : *terror potentiae* totus in oculis est tamquam flamma ignis, totus in ore tamquam gladius acutus, totus in dextra tamquam virga ferrea, totus in pedibus, tamquam si uvas calcet. Haec etiam simul cum imagine poetica comprehendere facile possumus, iucundumque est, ea separatim concipere, quae ad inimicos delendos separatim sufficiunt. Sed in oculis dubium est, utrum de terrore potentiae, an de sola divina *maiestate* agatur, cf. v. 12, item utrum virga proprie ad manus potentiam tamquam *telum* aliquod pertineat, an generatim regiae maiestatis sit insigne; tota etiam descriptio sic concluditur, v. 16, ut *rex* fortasse potius quam hostium victor designetur.

Multo minus expedit in hunc modum imaginem poeticam explicatione longius petita dissolvere : oculi sunt intellectus, qui in Christo lucet ut flamma ignis — ignis enim subtilitas subtilitatem cogitandi significat —, gladius in *ore* est doctrina Christi, quae, et ad errores confutandos et ad veritatem tradendam apta, idcirco gladius ab utraque parte acutus dicitur; virga est regendi potestas; quae dicitur ferrea, quia gentibus durum videtur Christi imperium; torcularis calcatio dolorum perpessionem designat, quare vestis quoque v. 13 dicitur aspersa sanguine, cf. Is. 63,2 sq. Haec omnia per se quidem vere dicuntur, sed partim eorum a loco explicato et scriptoris consilio sine dubio aliena sunt. Semper igitur totius loci *primaria* sententia exquirenda est, ne evagetur ad res alienas interpretatio; deinde non omnia ad philosophorum ac theologorum subtilitatem accommodanda, ne poetae iniuriam facias. Ex quo efficitur, ut isto loco satius sit Dei-hominis maiestatem regiam intelligere et ad hanc solam, non separatim ad alia, signa illa accommodare; tantoque acrior fit maiestatis descriptio tot insignibus illustrata, quanto minus ad plura avocantur animi legentium. Sed satis multa de his, dixissemque pauciora, nisi ad universam Cantici interpretationem tanti referret, qua eam *ratione* susciperes.

Postremo hic recurrit dubitatio illa, sitne in Cantico imago poetica

prius explicanda, deinde mystica sententia, an utrumque communiter. Illud natura sua aptius dixeris, eamque secuti sunt rationem complures interpretes, v. g. ipse iam partim Origenes, ut prius « historiae speciem » enarrarent, deinde imaginem ad veritatem transferrent. Typicae interpretationis defensores cur idem faciant, evidens est; a quibus longissime recesseris, ubi primum alteram rationem secutus sis, quia tum nullo modo videri potest duplex esse verborum sententia. Nihilominus Bern. Schaefer prius « litteralem », deinde « allegoricam » interpretationem, cautissime quidem illam et parcissime, proponit. Quod commodius videri potest, quia littera allegoriam quasi sustentet, et ex illa haec intelligenda sit. Sed recte videmur dissentire. Etenim ut in omni oratione sententia verbis congruis vestitur, non verbis sententia accommodatur, ita in allegoria scriptor prius sententiam veram ac propriam concipit, quam eam alienis, i. e. translatis imaginibus induat. Illud autem non satis recte affirmatur, e littera allegoriam intelligi debere. Supra (p. 395 sq.) vidimus fieri posse, ut e littera non intelligatur omnino vera sententia, quippe penitus velata et quasi personata. Quod etiamsi forte usu non venit, tamen non sequitur ut in *omnibus* locis aut pluribus littera sententiam veram manifestet. Itaque antequam singula interpretere, constare oportet orationem allegoricam, non propriam esse, et haec deinde notitia non omittenda, sed ad verba et sententias recte concipiendas adhibenda est diligenter. V. g. in parabolis quibusdam evangelii atque etiam Ez. 16, nisi scriptor praemisisset aliquid, non illico sciremus, quo narratio spectaret. Sed hac quasi face illustranda sunt omnia. Quae cum ita sint, in singulis locis non tam e littera sola eruenda est vera sententia, quam coniuncte spectanda et littera et id quod aliunde cognitum est : allegoria de Christo et Ecclesia, *generatim* iam tibi perspecta. Vera igitur explicatio *tota allegorica est a principio.*

Accedit, quod littera sola « occidit », si usquam alibi, certe in Cantico, at « spiritus vivificat ». Ut id exemplo illustrem, 2,6 et 7, si littera inde a 1,8 sola separatim explicatur, omnino inducimur in cogitationem, puellam aliquam humanam post insolita blandimenta sui sponsi in « lectulo florido » graminis eum totum brachiis amplecti in eoque amplexu obdormiscere, idque « filiis Ierusalem » praesentibus! Quod quidem a sanctitate carminis magnopere abhorret. Sin ab initio allegoricam Sponsam Ecclesiam et Deum vel Christum Sponsum ob oculos habeas, nullus patet aditus turpi cogitationi. Aliud enim iam ipsa verba sonare videntur ac mens a naturali amore longissime abducitur.

Praeterea actionis quae sit natura, sua sponte apparet; neque enim

iam *drama*, ut *potest* in humano amore usurpari, certo loco accommodatum unoque tenore decurrens exspectatur, sed *lyrica colloquia* et solum *adumbratio quaedam actionum*. Denique multa tum in rebus, tum in loquendi modo sunt, quae in litterali interpretatione inexplicabilia sunt, non item, si statim allegoria menti legentis obversatur.

Neque enim vere asseritur, nisi optime se habeat litterae notio propria et consecutio, non posse optimam enasci sententiam allegoricam. Ita loquuntur, qui tacite sumunt, id quod falsum est, ad litteram *accedere* allegoriam; hic autem error illam duplicem vel ambiguam interpretationem peperit. Immo simul prorsus nascitur littera et mystica sententia, vel si quid sit distinguendum, haec prior est illa. Sed ut exemplis ostendam litteram per se saepe inexplicabilem esse : 7,4. 5 (hebr. 5. 6) fatendum est in puella intelligi non posse; non enim haec decens superlatio esset, sed ingens absurditas; allegoria autem et aliam fortasse offert sententiam et saltem quaedam ad litteram inexplicabilia patitur, ut cum Orpheus cantu trahit arbores (v. p. 379). Item 2,8 saliens in montibus et transiliens colles Salomon (vel quilibet sponsus humanus) risum movet; Christum e coelo adventantem sic describi consentaneum est. Allegoria enim si est de re grandi ac sublimi, eas saepe imagines actionumque specimina exhibet, quae rebus naturalibus minime congruant; cf. vineae descriptionem Ps. 79, quae si littera sola spectatur, admodum ridicula est.

Quapropter non censeo litteram prius explicandam eique mysticam interpretationem subiungendam esse, sed utrumque simul tentandum. *Accommodationes* autem, quae verborum interpretationes dici non possunt, separatim addemus. Medium quoque illum « *sensum consequentem* » (p. 346) cum propria sententia non confundemus ; postremo probabilia a certis, *quoad licet in re difficili*, accurate discernemus. Postremo, quoniam satis difficile est, in tanta interpretationum diversitate, *notiones* ipsas, in quibus vertitur explicatio huius amplissimae allegoriae, clare percipere (non enim semper eodem modo usurpantur) et ita sequi interpretem, ut saltem, *quid velit*, omnino recte intelligatur arceanturque, quantum licet, opiniones a re alienae : haec etiam breviter praemonere placet :

Sponsam dico Novi Testamenti Ecclesiam, non Veteris Testamenti Synagogam. Quae duae, ut manifestum est, adaequate non distinguuntur, nisi ratione *temporis;* nam Synagogae pars aliqua transfusa est in Christi Ecclesiam, atque haec vocari solet Ecclesia *ex Iudaeis*, cui deinde adiuncta est multitudo gentium (cf. Is. 60,3 sqq.) tamquam « vestimentum sponsae » (ib. 49,18). Non interiit igitur illa Synagoga vetus, sed ut « radix sancta » mansit, cui etsi pereunt aliqui

rami (i. e. omnes Iudaei perfidi, Christum non agnoscentes), relicta tamen vis est, qua nutriat « oleastrum insertum » (Rom. 11,16 sq.). Hanc igitur partem Synagogae veteris, quae in Ecclesiam Christi mutata est et recte retinuit etiam nomen pristinum « Ierusalem », quae « per repromissionem » genuit « multos filios » (Gal. 4,23. 26. 27), hanc dico Sponsam esse Cantici. Quam appellare soleo simpliciter Christi Ecclesiam, quia illa quaestio, utrum Ecclesia ex Iudaeis an ex gentibus intelligenda sit, non est tanti momenti; sed variae sunt opiniones putantium Veteris Testamenti Synagogam, *nondum* transfusam in Christi Ecclesiam, aliquam personam sustinere in Cantico : per totum carmen hanc esse personam Iudaei post Christum necessario dicunt, per maximam carminis partem putavit Nic. de Lyra, per priora duo capita Tiefenthal, qui deinde c. 5-8 reditum Synagogae *infidelis* ad Christum (Rom. 11,25 sq.) describi censet, alii plerique catholici partem aliquam primi capitis tribuunt Synagogae antiquae Christum desideranti adiunguntque eorum aliqui vel capite 6 vel 8 reditum illum Synagogae, qui futurus est extrema mundi aetate. A quibus interpretibus sic differo, ut nullo loco arbitrer loqui Synagogam *non christianam,* sed semper Ecclesiam Christi, vel, si ita placet appellare, Ecclesiam ex Iudaeis, vel eam Synagogam quae mutata in Christi Ecclesiam sibi adiungat plenitudinem gentium; de antiqui foederis Synagoga aut de infideli Synagoga resipiscente agi non existimo.

Argumenta aliqua praecipua meae sententiae breviter significabo, ut iis lector dirigatur; alia suis locis ponentur.

a.) Quod ab initio carminis omnes fere interpretes catholici (sed excipe v. g. S. Thomam) Synagogam antiquam, quasi in transitu positam ad regnum Christi, desiderare volunt Redemptoris adventum et *statim* (i. e. in ipso v. 1 vel saltem in v. 3) *audiri* a Deo et potiri votis : id quidem cur *magnopere* impugnem, non est, quia minimi momenti haec dissensio videtur, sed inutile nec satis probabile puto. Nam nec ulla necessaria ratio ita existimandi affertur, et complures sunt (leviores quidem) rationes contrariae, quas vide sis ad c. 1. Nemo autem affirmabit, in huiusmodi re non licere homini catholico a communi sententia discedere.

b.) In primis capitibus alloqui Synagogam Salvatorem absentem necdum natum, deinde (c. 3) aspectabilem adesse Christum prorsus incredibile videtur, quia advenire censendus est 1,8 iterumque 2,8, nec est vel levissimum indicium, cur 3,4. 11 adventus omnino diversus intelligatur.

c.) Multo minus licet etiam longius Christi adventum differre, si is omnino in hoc carmine describitur. Nam si in quattuor vel sex capiti-

bus *mente* solum Christus adesse fingitur, nihil est prorsus, cur non reliqua in eandem sententiam interpretemur. Eodem enim omnino modo locis omnibus se Sponsus Sponsae oculis offert; *necesse* autem fuisset mirabilem Christi Incarnationem perspicue significari, si in Cantici actionem media intercideret, quod argumentum facit etiam pro nobis negantibus in aliquo ex primis Cantici versibus intervenire Christum corpore aspectabilem.

d.) Quodsi cui videtur actio Cantici non spectare omnino ad Ecclesiam, nisi indirecte ac typice, directe autem ac proprie ad Synagogam Veteris Testamenti : oppono *primum* consensum interpretum catholicorum, qui paene ad unum omnes ad Novi Testamenti tempora pertinere descriptionem Sponsi ac Sponsae putaverunt, vel toto carmine (ut longe plurimi) vel saltem aliqua parte praecipua, atque hic est consensus non de re leviore, sed de rerum summa; a quo nimium discrepes, etiamsi indirecte ac typice (i. e. typica allegoria) omnia ad Ecclesiam N. T spectare dixeris. *Deinde* nisi messianica desponsatio, i. e. Christi cum sua Ecclesia, describitur, sequitur, ut Synagogae antiquae desponsatio intelligenda sit; iam vero Sponsus Synagogae (Iahve) non potuit « Salomon » appellari, ut fit 3,7. 9. 11, item 8,11. 12 (in hebr.), cf. 1,4. 8 et nomen « Sulamitidis » 6,12 sq. Nam et difficile sit ad probandum, aut omnino *Iahve* potuisse dici *Salomonem*, aut secundam personam divinam proprie desponsatam fuisse Synagogae antiquae, ac certe *ante* Salomonem, qui typus fuit Christi, typica haec Redemptoris futuri appellatio non potest intelligi. Sequeretur igitur, ut desponsatio in Cantico (c. 3 et 4 maxime) proposita incidisset in Salomonis tempora aut post, non autem ante. At si statuitur foedus aliquod nuptiale Dei cum antiqua Synagoga, necesse est foedus intelligere Legis in Sinai datae; an auditum est alio tempore (v. g. in dedicatione templi Salomonici) Deum foedus nuptiale cum populo electo inisse? Immo cf. Ier. 2,2, ubi in deserto iam desponsata dicitur Ierusalem. *Denique* quomodo explicabitur ille progressus Sponsae a vinea non custodita (1,5) ad vineam fructibus abundantem (8,12)?

e.) Finitima sententia occurrit haec : Sponsam Cantici, *omissa* temporis ratione omni, *generatim* Dei regnum inter homines, theocratiam esse, quae *utramque aetatem*, i. e. antiquam et messianicam, communiter amplectatur. Et sane haec consuetudo, ut *uno* etiam *nomine* (non modo una descriptione) comprehendantur antiqua theocratia et nova (quae est Ecclesia Christi), haec, inquam, communis est utriusque Testamenti. Itaque nomine Ierusalem et Sionis Is. 49,14-26, item 54,1-17 (cf. P. Knabenbauer comment.), Ez. 16,60 sqq., Ps. 86 et alibi designatur Ecclesia Christi idque ita, ut eadem sit poetica persona atque

illa Ierusalem et Sion, de qua vel alibi dicitur vel etiam iisdem locis dictum est. In Novo Testamento cf. Gal. 4, Rom. 4, Gal. 3,29, quibus locis coniuncte tractantur populus electus ille antiquus et Christi fideles, ita quidem ut ex illo tamquam radice efflorescat excrescatque Ecclesia. Quae cum ita sint, multum abest, ut fundamentum opinionis oppositae velim evertere; immo vero paullo supra significavimus ad intelligendum nostrum commentarium multum interesse, illud ipsum esse firmiter stabilitum. Etenim nos ipsi Ecclesiam *ex Iudaeis,* quam magis proprie « Sion » messianicam dicere licet, perpetuo facimus loquentem in Cantico. Hoc *unum* differt in nostra sententia, quod *temporis* distinctionem servandam putamus, i. e. non *communiter* de Veteris et Novi Foederis Sponsa dici, sed omitti prorsus, si *tempus* attendas, veterem. Ergo *Ecclesia Christi,* nato iam Servatore, prodit in scenam ac sola cum Christo, Verbo Incarnato, colloquitur; etsi *nomina* ponuntur antiqua : « Salomon », (Sulamitis), « filiae Ierusalem », alia geographica c. 4 et 7, totus denique *color* poeticus memoriam renovat rerum antiquarum. Sed in his omnibus vis illa est symbolica vel allegorica, quae in nuncupatione Ierusalem vel Sionis apud prophetas et S. Paulum invenitur, cum de Ecclesia Christi usurpatur.

Iam argumentum, cur *omitti* prorsus tempus Christo nato antiquius arbitremur, praecipuum hoc est, quod sub d.) secundo loco posuimus. *Salomon* cum *Sulamitide* (cuius nomen Pacificatam sonat, cf. 8,10, ut « Salomon » Pacificum, cf. Vulg. 8,11 sq.) desponsationem celebrat 3,6-5,1, id quod intelligi prudenter non potest, nisi de aetate messianica; nec potest, ut supra probavimus (sub b.), c. 3 a prioribus ita seiungi, ut non ante c. 3 coeperit aetas messianica. Ergo non *omissa* temporis differentia, sed *solo* notato messianico amor Sponsorum describitur. Elucet etiam ex 1,5 et 8,12 progressio a vinea adhuc, i. e. ante actionem cantici, non custodita ad vineam fecunditate perfecta insignem. Iam vero infecunditas regni Dei s. vineae imprimis cadit in posteriora tempora Foederis antiqui. Nam prophetae perpetuo *conditionem abiectam et ruinam quandam* populi electi (regni Dei) statuunt antecedere adventum Eius, qui erecturus et in perpetuum confirmaturus sit regnum Dei in terris. Pauper enim et derelicta et sterilis et repudiata iam Sponsa locupletabitur a Deo et assumetur et fecundabitur et denuo desponsabitur, cf. Is. toto c. 54 et 49,14-23, Os. 2,19 (ubi fecunditas terrae additur desponsationi, qua imagine fecunditas Ecclesiae solet describi, v. ib. 14,6 sqq., Is. 35,1 sqq...). E quibus locis hoc quoque intelligas velim, *alteram* desponsationem eamque messianicam, qualem Cant. 3,6 sqq. describi dixi, distincte promitti ac praemonstrari,

nimirum ob id ipsum, quia prior fuit *sterilis* (quam vocem non aliter accipi volo atque ab Isaia est usurpata ll. cc.).

Dices ita explicari a me 1,5, ut sterilitas Veteris Synagogae intelligatur, at negasse me, agi de illa in Cantico. Distinguo : *respectantem* facio Ecclesiam tempora pristina, sed actio ipsa huius carminis est aetatis messianicae; fatetur enim Ecclesia ex Iudaeis, se ante Christum sterilem fuisse, sed huiusmodi recordatione et confessione non efficitur, ut in Cantico agere ac loqui censenda sit antiqua Synagoga, nisi eatenus, quatenus Ecclesia prima est ipsa « radix » illa « sancta » perseverans in N. T.

Occurres ita : Cant. 1,5 Sponsam a se removere *culpam* sterilitatis, at in V. T. acriter reprehendi Sponsae vitia. Respondeo nihil repugnare, quominus et vituperetur et laudetur Sponsa, si *duplicem* ferat personam. Regnum coelorum, i. e. Ecclesia Christi, in evangelio dicitur sagena bonos pisces et malos continens (Matth. 13,47 sqq.) et tamen etiam sine « macula aut ruga » (Eph. 5,27), ac porro, si ob malos Iudaeos Sponsa antiqua reprehenditur, cur non posset ob malos Christianos Sponsa nova reprehendi? Quodsi Ecclesia, *ut* est sanguine Christi sanctificata, sine « macula » dicitur, cur non possit Synagoga antiqua, *ut* fuit Dei opus et institutum, dici culpa carere? Ergo Synagoga *fidelis*, quae fit Christi gratiae particeps, quam toto carmine loquentem facio, quidni immunem se a culpa, sed sterilem tamen vitio « filiorum matris suae » fateatur? Licet igitur bifariam accipere et Ecclesiam et Synagogam : adaequate, i. e. ita ut eo nomine homines etiam (hominumque vitia) complectamur, et inadaequate, ut sola attendatur Dei institutio et ea sanctitas, quam *aliquot aut multi* homines ei conferre nunquam desinunt. Atque hic noto, contra plerosque interpretes defendi a me Sponsae immaculatam virtutem et 1,7 et 5,3, ut minime a me discrepem explicando 1,5. — De reliquo in hac opinione, sicut in ceteris consulenda est etiam perpetua enarratio Cantici in commentario, cuius momentum multo est singulis rationibus gravius.

f.) Dixi a nonnullis vel 6,9 (10) vel 8,8 actionem Cantici quasi totam transferri ad Synagogam infidelem, quae in agnitionem Christi inducatur visa fecunditate Ecclesiae. Quam opinionem non probo, quia nulla *necessitate* ac nimis *subito* profertur Synagoga illa infidelis. Sed v. totam illorum locorum explicationem in comm.

Itaque actio carminis meo iudicio maxime simplex est et persona Sponsae (et Sponsi et filiarum Ierusalem) semper eadem. Ecclesia N. T. Christo desponsatur et eos vineae fructus facit, quos Isaiae aetate frustra Deus exspectabat (Is. 5,4), quos non sperabat nisi post iteratam

decimationem, cui tantum particula aliqua superstes esset, « semen sanctum » (ib. 6,13).

Sed de *progressu* quoque actionis ac divisione Cantici quaedam possunt generatim dubitationes occurrere; quas praecidere huius esse loci arbitror. Alia est temporis, alia ipsius actionis progressio; illam eatenus admitto, quatenus « vineae » cultura omne illud tempus implet, quod inter primam et extremam Ecclesiae Christi aetatem intercedit. Sed potior est *rerum* consecutio; *ordine* enim quodam ad desponsationem, quam factam in morte Christi apte dixeris, primum paratur amica Verbi, deinde rite ei copulatur (3,6-5,1), denique eius labores fructusque describuntur, usquedum (8,5 sqq.) in coelum assumitur.

Dixit aliquis amatoria colloquia ante diem desponsationis, qui idem fuerit nuptiarum, abhorruisse a consuetudine Hebraeorum; vix enim inter se notos sponsos coniunctos esse ab utriusque parentibus. Sed haec omnia incerta sunt. Samson quidem visa puella eam amare incipit, deinde suos rogat parentes, porro descendit et loquitur mulieri, quae placuit oculis eius, denique post aliquot dies cum patre descendit uxoremque accipit. Prorsus igitur ut hodie negotium peragitur (Iud. 14,1-3. 7-10). An illa collocutio cum muliere non est sermo amatorius? Deinde si in propinquo fuisset mulier, nonne censendum est, pluries amicum ad amicam aditurum fuisse inter illos « aliquot dies »? Qui dies fortasse omnino *sponsali tempori*, quod nos dicimus, respondent; quare Samson suorum parentum accepto consensu, cum deinde adiret ad mulierem, non simul rogaret acciperetque eius et parentum consensionem? Ferunt autem antiquitus unius anni aut decem mensium id tempus sponsale fuisse. Sed quidquid est, haec Sponsa Cantici certe ab ipso Sponso eligitur et ipsa Sponso se tradit, et ea est natura huius desponsationis, ut aut necessaria fuerit aut maxime consentanea praeparatio quaedam; annon Ez. 16 Deus sibi Sponsam educit paratque ante ipsam desponsationem? Ergo parvulam Ecclesiam dico crescere et erudiri a Sponso usque ad 3,4. Nihil hoc convenientius, quam ut inter vitam Christi mortalem paullatim eductam educatamque Ecclesiam dicamus, antequam morienti sit omnino desponsata. In Vetere Test. quam diu Deus posteros Abrahae instruxit informavitque ante foedus Sinaiticum?

Sed etiam *necesse* est in Cantico huiusmodi sponsale tempus statuere. Nam ipsa copulatio perficitur certe 3,5-5,1, quem locum nunc paene omnes de nuptiarum pompa explicant. Disputatio esse posse non videtur nisi de nomine, quo eam copulationem vocemus. Hebraice ponitur nomen diei festi חֲתֻנָּה, quo die Sponsus a matre coronatus cum magnifica pompa (in qua lectus quoque defertur) procedit, comitan-

tibus armatis et occurrentibus « filiabus Sion »; Sponsa appellatur כַּלָּה. Iam vero nihil refert, utrum nuptiarum diem, pro nostra consuetudine, appelles, an desponsationis. Certe eiusmodi desponsatio, qualis apud nos promissione tantum *ante* ipsum diem nuptiarum agi solet, intellecta est, quantum scio, a nullo *hoc loco*. Qui explicant vertuntque c. 3, omnes voce utuntur Sponsorum, sed simpliciter designant eos, inter quos illo die foedus ineatur nuptiale. Apte igitur haec duo capita (3,5-5,1) dicemus partem esse unam Cantici a ceteris sua natura distinctam. Id voluisse omnino poetam, haec demonstrant : a) vv. 3,5 et 5,2 ita comparati sunt, ut initium novae scenae indicetur, et ea quae media sunt omnino cohaerent; b) deinde a 4,8 usque ad 5,1 inter decem versus *sexies* ponitur nomen Sponsae (כַּלָּה) et 3,11 de Salomone (Christo) vox desponsationis (חֲתֻנָּתוֹ); iam vero neutrum fit aut ante aut post, etsi eadem identidem causa esset, nisi poeta solam scenam mediam voluisset pertinere ad sollemne foedus nuptiarum; c.) ideo « *diem* » hunc nominatim distinguit ornatque *insigni* et apparatu pompae et ardore orationis. Alias eius rei rationes v. in comment.

Dixeris, si ita se res habeat, ante 3,5 abstinendum videri a voce Sponsae, quae ad solam mediam partem carminis spectet, ut abstinuerit poeta. Abstinuit sane et constanter amicae et dilecti appellatione et diligendi verbo simpliciter usus est. Sed invaluit consuetudo apud omnes, ut toto Cantico Sponsi et Sponsae nominibus utantur, quae et ardentissimum ante nuptias et post nuptias castissimum (virgineum) amorem significant. Quam consuetudinem servandam mihi esse statui; haberet enim nescio quam admirationem, si usque ad 3,5 semper appellarem amicam et amicum, maiorem etiam, si post 5,1 vocarem coniuges, etsi ipse S. Ioannes ponit « uxorem Agni » (Apoc. 21,9). Quamobrem etsi soleo ab initio pro amica Sponsam et pro dilecto Sponsum dicere, hae voces ita ut dixi accipiendae sunt.

Manet igitur : tres sunt praecipuae Cantici partes, quibus per gradus Ecclesiae cum Christo coniunctio caritatisque necessitudo *imagine amoris sponsalis* describitur. Quamquam illas tres in plures particulas dividi nihil prohibet.

P. Tiefenthal prima duo capita spectare censet ad Synagogam antiquam (cf. supra p. 404 b.); porro 5,2 et 3 novum prorsus argumentum inducit : Synagogae a Christo defectionem; deinde reliquis omnibus eiusdem ad meliorem frugem reditio describitur (hoc alterum, omisso priore, alii, ut supra dixi, c. 6 vel 8 proponunt). Haec mihi persuadere non possum. Nam a.) quia ea Sponsa, quam c. 3 et c. 4 Christo copulari videmus, i. e. Ecclesia numquam deficit a fide, idcirco evidens est, a

P. Tiefenthal *novam* iam induci Sponsam; id quod et perpetuitatem (unitatem) carminis personaeque praecipuae tollit nec ullis indiciis certis probatur. Vocem « ego » 5,2 nemo potest intelligere ad quam novam personam referri oporteat, si ea excluditur, quae adhuc semper locuta est. Respondebit, opinor, Synagogam Christo copulari et Synagogam a Christo deficere, utrumque verum esse, ut non videatur mutari persona Sponsae. Sed ambiguitas est in vocabulo; nam verum non est *eandem* Synagogam et credere in Christum et a fide deficere; ergo a 5,1 ad 5,2 fit mutatio personae, saltem re, si non nomine. Deinde b.) defectionem a Christi fide describi isto loco nemo dixit ac vix credibile est. Ea sane sunt verba, ut aliquam Sponsae culpam plerique hoc loco agnoverint; mihi ne tantum quidem persuadetur, certe autem defectionem populi electi a Christo tam breviter, leniter, obscure descripturum fuisse Salomonem, cui probabitur? c.) non minus et inopinato et obscure deinde animi mutatio a perfidia ad ardentissimum amorem (cf. 5,10 sqq.) infertur; d.) quia ab initio carminis vult Sponsam intelligi antiquam Synagogam *universam*, rursum haec Sponsa alia est atque ea, quae vel adhaeret Christo cc. 3 et 4, vel ab eo deficit c. 5. Quid porro fiet « filiis Ierusalem »?

Quae Schaefero placuerit Cantici divisio, v. supra p. 360.

Forsitan etiam rogaverit hoc loco quispiam, quid ipsi Salomonis animo obversatum ostentumve esse putem, cum Canticum scriberet, *recensne manifestatio veri ignoti* ei contigerit, an ipse nota tantum, Spiritu Sancto motus, poetice sit exsecutus. Et est sane interpretis quam accuratissime definire, quid scriptoris sacri consilio directe enuntiatum sit verbis, non tam quid ipso inscio divinus auctor Scripturae et futurum prospexerit et fortasse obscuris indiciis ita significaverit, ut nunc possit christianae fidei luce discerni. Hoc enim alterum ob eam ipsam causam, quod non est verbis perspicue expressum, non tam proprie ad certam Cantici interpretationem, sed magis ad probabilem illustrationem atque amplificationem pertinet. Qua quidem cautissime utendum est ei, a quo vera et certa (quoad licet) verborum sententiarumque enarratio exigitur. Exemplo sit 5,1, ubi convivii nuptialis descriptio proponitur. Qua specie pulcherrime adumbratur epulum eucharisticum, prudenterque affirmaveris, id revera esse a Spiritu S. aliquo modo designatum; non est enim aliud Ecclesiae nuptiale convivium illo verius aut praestantius. Sed tamen si *Salomon* vel coenam Domini ultimam vel omnino Corporis Sanguinisque Domini communionem animo intuitus esset, dubitari vix potest, quin magis *proprie*, quam sublime ac singulare hoc esset genus convivii, significaturus fuerit.

Illa igitur designatio, quam divino ac principali Scripturae auctori prudenter attribueris, sic est intelligenda, ut non sit definita enuntiatio veri futuri, sed *potius* mente concepta provisio, quam verbis expressa notatio. Dico « potius »; si enim nulla prorsus vestigia essent, nulla vocanda esset designatio. Quodsi haec est aliqua, sequi videtur, ut sit ab interprete etiam demonstranda. Nec sane excludi omnino debet illa ratio enarrandi, qua veteres uti saepissime videmus, ut adhibita N. T. luce copiosior e Scriptura sententia, quam verba sonent, eliciatur, v. g. cum « osculetur me osculo oris sui » interpretantur : « Pater me Filii sui Spiritu osculetur ». Nihilominus huiusmodi enarratione nimis obrui non debet *necessaria* verborum interpretatio. Ad hanc autem pertinent aut *nulla* aut *paucissima* sine dubio, quae non ipse viderit etiam scriptor humanus; sunt autem illa sublimiora *per difficilia* ad persuadendum, atque adeo tota haec ratio enarrandi multis obiecta *errandi periculis,* ut plurima demonstrant interpretum exempla. Cf. de mystica Cantici sententia in extremo commentario.

Arcentur autem quidam errores, si, quantum licet, initio ab interprete statuitur, quam Ecclesiae speciem Salomon, cum Canticum scriberet, intuitus sit, quid sibi proprie describendum quoque consilio sumpserit. Itaque

1. ex ipsis Cantici verbis certo argumento demonstrari non potest, *res novas* scriptori esse divinitus patefactas. Esset eiusmodi *fortasse* Synagogae infidelis reditus ad Christum, quem expressum 8,8 sqq., vel iam 6,10 sqq. non pauci existimarunt; sed eius opinionis firma non est demonstratio ac vix ratio omnino probabilis. Immo omnia tam incertis atque communibus picta sunt coloribus, ut sine ulla nova manifestatione divina ita potuerint adumbrari. Itaque v. g. c. 3 non videtur inferenda esse mentio de Christo passo et mortuo pro sua Sponsa Eccl. (Eph. 5,25),

2. Semina Cantici in antiquiore revelatione Salomon invenit et haec quidem potissimum : speciem quandam pulcherrimam *pacis messianicae* et *amplitudinis Ecclesiae,* tempora omnia et gentes complexae, et insignis cuiusdam Christi cum ea *desponsationis.* Regnum *pacis* fore regnum messianicum ei notum esse oportuit, qui ipse typus erat regis divini pacifici : 1 Par. 22,9 sq. (coll. Hebr. 1,5), Ps. 71. Itaque Sponso Cantici nomen est Salomon, qui etsi militia non caret regia (3,7 sq.), tamen imprimis pace largienda beatam efficit Sponsam (8, 10), atque haec ipsa Pacificatae nomen habet supr. p. 381). — Porro theocratiae ad omnes gentes atque tempora omnia *propagationem* Salomon ex psalmis patris sui aliisque vaticiniis facile cognoscebat; cf. Ps. 2, item Ps. 109 (qui est Davidis : Matth. 22,43 sq.); Ps. 21;

Ps. 17 (coll. Rom. 15,9)... Iam vero haec propagatio Eccl. in Cantico describitur, uti ostendemus, ultimis capitibus (7,11-13; 8,11 sq.; hoc quidem extremo loco ipse finis temporis mundani designatur). — Denique Ps. 44 *desponsationis* speciem praeclaram exhibebat; quodsi eum posterioris aetatis esse omnino volueris, ipse Moyses communionem cum daemonibus *fornicationem* vocat Ex. 34,15 sq.; Lev. 20,5 sq. et aliis locis, quae prorsus eadem est amoris matrimoniique metaphora. Iam vero consentaneum, atque adeo necessarium erat, non dissolvi eiusmodi caritatis coniunctionem tempore messianico. Quid porro, si haec *non* ita se haberent, prohiberet Salomonem Dei caritatem poetica illa imagine illustrare; an alii, qui Sapientiam sibi eligit Sponsam (Sap. 8,2), opus fuit aliena auctoritate? Nonne Ididae (2 Reg. 12, 25) id omnino fuit ingenium, ut teneritudo amoris tenerrimaque eius descriptio ei congruere maxime videatur? Iam Cantici hanc esse imprimis notam ac proprietatem, ut divinae caritatis suavissima dulcedo depingatur, manifestum est. Atque ita vere affirmasse videmur tribus illis rebus et maxime distingui hoc carmen, quod explicamus, et satis instructum imbutumque ad id scribendum sine nova revelatione fuisse Salomonem.

3. Ipsa actionum descriptio tam *non* est ad proprietatem Novi Testamenti perspicue accommodata, ut color ipse orationis satis demonstret, nihil huiusmodi distincta Dei manifestatione patefactum esse Scriptori.

4. Quae reliquam efficiunt exornationem potius quam compositionem et naturam carminis, ingenii poetici erat invenire; neque hic Salomon magistrum requirebat. Est in his quoque rebus color omnino Veteris Testamenti v. g. 3,7-4,4; 4,8. 14 sq.; 6,3-7; 7,4 sq...

5. Multo est difficilius dicere, quae occasio moverit poetam, ut hoc carmen componeret. De qua re ita mihi (ratione probabili) persuadeo : eodem fere tempore, quo « Ecclesiasten » (v. supr. p. 341 sq.), Canticum consolandi populi sui causa a Salomone conscriptum esse. De hoc tempore dixi p. 49 sq. Consolatione autem filiae Sion tum opus erat maxima. Visum est porro nobis « Ecclesiaste » tractari de Providentia, sed ita, ut diffidentia potissimum prohiberetur; iam Canticum eo spectabat, ut fiducia Dei commendaretur. Ergo Salomon recogitans « sine poenitentia esse dona et vocationem Dei » (Rom. 11,29) reprehensioni diffidentiae ac desperationis addit admonitionem fiduciae atque confidentiae. Semel, inquit, Sponsam sibi Deus filiam Sion elegit; « non repulit plebem suam, quam praescivit » (ib v. 2), sed salutem spe maiorem largietur. Atque haec omnia erui ex pristina revelatione poterant, quantum satis fuit. Pacem igitur perfectam Messias afferet; tum florebit vinea filiae Sion fructusque feret Sponso dulcissimos, usquedum

mundi aetas transierit et perpetuae quietis tempus advenerit. Ipsum igitur regnum Salomonicum, quod modo hominum culpa destruitur, felici cum incremento gratiae atque gloriae restituetur. Atque ita secum deliberans, misericordiae divinae consideratione incensus, novam filiae Sion desponsationem et miram postea fecunditatem faustissimumque rerum exitum supremum canit. Inflammat autem inspiratio divina hunc animi motum, divina pietate dignissimum, illustrat scribentis intellectum, impellit voluntatem. Quodsi Salomon in extremo « Ecclesiaste » (12,12), ut opinari licet, nihil amplius sibi scribendum existimavit, decuit tamen in hac *nova* materia mutare propositum et supremam operam consecrare carmini omnium sublimissimo, « Cantico Canticorum ».

Cuius quae fuerit dispositio, hic etiam breviter indicabimus, ita tamen, ne *nunc* sententiae nostrae rationes exigantur; argumenta autem « scenarum » distinctius proposita v. suis locis, ubi cuiusque enarratio incipit.

I. *scena* 1,1-2,7 : Sponsus Sponsae (vel rectius : Amicus Amicae) desiderio obsequens eam invisit suavissimisque blandimentis *consolatur*.

II. *scena* 2,8-17 : Iterum eam invisens ad *laborem* instruit.

III. *scena* 3,1-5 : Et *probat* eam et consolatur. — *Hic quasi prior pars libri concluditur*.

IV. *scena* 3,6-5,1 : Ita paratam sibi magnifice *despondet*. — *Haec media pars est carminis*.

V. *scena* 5,2-6,8 : Sponsa (vel quasi Coniux) ad *patiendum* pro Christo vocata amore ardentiore incenditur Sponsique *insignem favorem nanciscitur*.

VI. *scena* 6,9-8,4 : Ecclesiam *fructibus laborum suorum iam abundantem* Sponsus inusitato apparatu invisens summis effert laudibus intimaque familiaritate exhilarat.

VII. *scena* 8,5-14 : Ecclesia in *coelestem* Sponsi thalamum traducitur. — *Tertia pars Cantici*.

Restat, ut ad ipsum Canticum inducendum, eius *exemplar* proximum, vel *imaginem* simillimam Ps. 44 (hebr. 45), breviter consideremus. De quo etsi aliter multi opinantur recentiores, tamen nostro iure egerimus, si eum meram allegoriam et quidem Cantici simillimam dixerimus. Nam primum non esse nudum carmen eroticum, sed vere propheticum et messianicum testis est S. Paulus Hebr. 1,8 et quicunque אֱלֹהִים (v. 7) pro vocativo accipiunt (LXX, Chald., Syr.; id quod linguae ratio postulat, cf. Reinke, atque etiam Olshausen ad l.), et censent Patres universi psalmum esse de Christo. Atque eadem illa appellatio « Dei » vetat *simul* intelligi humanum regem (Salomonem,

Achab, Iosaphat); alia enim ratio est huiusmodi locorum Ps. 81,1. 6; Ex. 21,6; 22,7 sq., ubi homines, *dum Dei officio funguntur,* dii vocantur; hic autem in sponso regio similis exaggeratio aegre admittitur. Patres etiam illud LXX (in inscript.) ὑπὲρ ἀλλοιωθησομένων de eorum, qui in Christum credunt, commutatione intellexerunt, nec licet aliter; nam si dixeris *desponsationem plurium* designari, id veterum consuetudini contrarium est, qui non simul plures uxores cum apparatu publico sibi iungebant. Sed omnino, ut p. 394 edisserui, eiusmodi typica *oratio* non est admittenda (non magis quam illa quae est Num. 21, 8. 9 de serpente aeneo; hic *ipse* quidem typus est, at non haec *narratio :* Locutus est Dominus ad Moysen : Fac serp. aen...). Si enim Canticum verbis ipsis hominem celebrat, aut mystica interpretatio nuda *accommodatio,* aut tota orationis sententia vere *ambigua* est; prius illud non affert *typicam* significationem, alterum repugnat cum more poetarum, quos serio scribere ambigua carmina paullo longiora ubi auditum est? Accedit, quod, si pro certo sumitur, psalmum de Salomonis aliusve regis nuptiis esse, et si testimonium antiquitatis negligitur, nihil iam est, quo mysticam sententiam probes; erit igitur necesse, ad *solum* naturalem amorem delabi, ut multi sunt delapsi.

Iam vero si Ps. 44 explicandus est allegorice, plurima sunt in eo similia Cantici Salomonis. Primum quidem *Sponsus* est Christus, i. e. Deus-homo (v. 7 et 8). Permulti etiam putant eum ad Salomonis similitudinem describi. Licet sane opponere speciem regis tam esse militarem (4-6), ut Pacifico minus congruat; sed in ipso Christo, pacis principe, non intelligitur nisi spiritualiter ille militaris apparatus. Deinde *Sponsa* Ecclesia est, quam unice dilectam aliae virgines comitantur; harum autem paullo diligentior fit mentio, cum Sponsi « consortes » strictim nominentur, prorsus ut Cant. 5,1 et 8,13. *Descriptio* Sponsae, i. e. allegoricae personae, tamen prorsus humana est (10-15. 17); in Sponsi descriptione sunt, quae distincte ad mysticam sententiam interpretari non possis, ut « myrrham, guttam, cassiam, domus eburneas » (v. 9). Denique simili omnino gravitate psalmus v. 2 *inducitur,* atque est illa in inscriptione « Cantici Canticorum »; significatur utriusque carminis inusitatam quandam esse dignitatem, quam quidem in Cantico iamiam licebit admirari, si prius subsidiorum et commentariorum varietatem sub uno aspectu posuerimus.

V. — DE CANTICI INTERPRETIBUS.

1. *Antiquitas.*

a) Vulgata.

De S. Hieronymi interpretatione eadem fere, quae supra in « Eccl. » (p. 50 sqq.) generatim dicenda sunt. Exempla igitur e Cantico deprompta addidisse satis erit. A LXX non raro discedit, ut hebr. verba accuratius exprimat, in vitiis potissimum illorum, ut 1,3 (trahe); 2,4. 7..., deinde cum addunt aliqua, ut 3,1; 5,8; 6,5..., sed etiam aliis locis, ut 3,6; 4,8; 8,5... — Porro elegantiae causa levibus in rebus ab hebr. saepe discrepat, atque etiam quasdam difficultates liberius vertendo evitat, ut 1,2; 7,9; 8,6, alia reddit magis perspicua, ut 8,11. 12 (« Pacificus » pro Salomone). Et licet plerumque vertat optime, aliquando tamen omnino deserendus est, ut 1,7; 8,5... Quaedam ab ipso profecta non videntur, etsi nunc in Vulg. leguntur, ut 3,6 (« virgula » pro *virgulta*); 5,6 (« pessulum », *sine* praepositione, separatum a v. 5), 6,8 (« matri » pro *matris*); 8,7 (« potuerunt » et « despiciet » pro *poterunt* et *despicient*); 8,12 (« tui pacifici » pro *tibi pacifice*). De reliquo Vulgata multo est praeferenda graecae interpretationi; est enim et rectior et politior.

b) LXX.

Generatim nimis scrupulose hebr. verba sequuntur, ut 2,11; 4,6 (πορεύεσθαι ἑαυτῷ) et 3,11; 6,10. 12 (ὁρᾶν ἔν τινι); similia 3,4. 8; 4,9; 7,4; 8,8. 11... Exemplum libri secuti sunt satis mendosum, cf. 1,4; 2,4; 7,9; 8,10. 13..., repetuntque satis multa ex aliis Cantici locis deprompta, quae ne Hier. quidem in suo exemplo hebr. invenit, ut 3,1; 5,8; 6,5. 10... Quaedam non vertunt ut θαλπιώθ, (κε) φάζ, θαρσίς (4,4; 5,11. 14). Raro occurrit, ubi ab hebr. sic differant, ut sequendi videantur, et licet paene superstitiose quaedam exprimant (cf. 5,14 ἐπὶ λίθου, ubi בְּעַל פַּת legisse videntur; item 8,6 φλόγες αὐτῆς, vide comm.), tamen et alias inaccurate vertunt (ut 4,1. 2 ἀγέλαι, 8,4 ἐάν, 8,8 ἡμῶν) et tota eorum interpretatio talis est, ut illi viam valde dubiam ingrediantur, qui ob eorum auctoritatem hebr. verba facile mutent.

c) Graeci enarratores.

Origenes (3. saec.), qui in Cantico explicando diligentissime versatus est, sed cuius scripta exstant pauca apud Procopium, Rufinum, S. Hieron.; cf. p. 365. Quoties simpliciter Or. notabimus, *commentarium* eius intellige.

S. *Gregorius Nyssenus* (4. saec.), cuius homiliae quindecim usque ad 6,8 pertinent (Migne 44,755 sqq.).

Philo Carpathius s. Carpasius (M. 40,27 sqq.), suppar Gregorii aetati. Item : *Macarius* Maior (Ed. Pritius, Lips. 1699).

Theodoretus (5. saec.) commentarium copiosum eumque utilissimum scripsit, cum antiquorum optima quaeque pernosset (M. 81,27 sqq.); cf. supr. p. 366 sq.

Procopius Gazaeus 6. saec. De eius *Catena* cf. supr. p. 367.

Catena ex S. Nilo, Greg. Nyss., *S. Maximo* Conf. (auctar. bibl. Patr. 2, 681 sqq.; facta a Psello, 11. saec., qui poeticum commentarium adiunxit).

Eusebii quaedam et Polychronium et Psellum coniunctos edidit Meursius (1617, Lugd. Bat.).

Praeterea exstat Ps.-*Athanasii* Syn. M. 28,349 sqq.

Interciderunt S. Hippolyti, S. Athanasii, Diodori Tars., S. Epiphanii, aliorum libri (cf. Euseb. H. E. 6,22; Theodoret. initio comm.; Photii bibl. cod. 139, M. 103, 420; S. Hier. de vir. ill. 61; Cassiod. de inst. div. lit. c. 5, M. 70,1117). Separatis autem locis e cantico uti Patribus semper fuit usitatissimum.

d) Latini.

Ex S. *Ambrosii* (4. saec.) operibus Guilelmus S. Theodorici abbas (saec. 12) commentarium conflavit (M. P. L. 15,1851 sqq.). « S. Ambr. apis instar, mellitissima oratione passim hunc librum depascit » (Boss.).

Item ex S. *Gregorio* M. (c. 600) fluxerunt tres commentarii : 1) Claudii, ut videtur, quem simpliciter Gregorii nomine appellabimus (M. 79, 471 sqq.); 2) S. Paterii, admodum exiguus (ib. 905); 3) eiusdem Guilelmi, quem modo diximus (M. 180,441 sqq.). In S. Greg. eadem cadunt illa verba Bossuetii.

S. *Iustus Urgellitanus* (6 saec.; M. 67,963 sqq.). Eius aequalis, ut videtur (cf. Bedam ad Cant. 5,11) :

Aponius, qui duodecim libros in Canticum scripsit perdiligenter (Bibl. Patr. 1. 14, ed. Lugd.; novam eamque completam editionem curarunt Hier. Bottino et Ios. Martini, Romae 1843).

Ven. *Beda* (8. saec.; M. 91,1065 sqq.), e cuius praeclara expositione commentariolos excerpserunt *Alcuinus* (c. 800; M. 100,639 sqq.), *Angelomanus* (9. saec.; M. 115,551 sqq.; ab 1,8 cum superiore fere congruit, prima pars ad Claudium proxime accedit), W. *Strabo* (9. saec.) in « Glossa » (M. 113, 1125 sqq.). Praeterea ex Beda ductus est commentarius, Alcuiniani similis, qui Cassiodorio (M. 70,1055), aut Haymoni Halberst. (M. 117,295), aut S. Thomae, aut aliis tribuitur. Cuius compendium quoddam inter *S. Isidori* opera editur (M. 83,1119 sqq.; cf. 81,427 sqq.). Cf. supra p. 354 sq.

Ex plurimis illis interpretibus, qui horum aetati successerunt ab 11 ad 16 saec., hos placet afferre :

Honorius Augustodunensis (12 saec.; M. 172,347) studiosissime enucleare Canticum ad historicam, allegoricam, tropologicam, anagogicam sententiam instituit; sed in dividendo carmine mire infelix (infr. post explicatio-

nem c. 4), ab initio etiam « historiam » ita tractavit, ut typicam interpretationem adumbrare videatur (v. post explicationem 1,1-2,7).

S. *Bernardus* (M. 183,779 sqq.) 86 sermonibus suavissime moralem ac mysticam doctrinam *duorum* capitum explanavit; quibus sermonibus alios 48 adiunxit *Gilbertus* de Hoylandia (M. 184,11 sqq.); his complectitur 3, 1-5,10. *Guilelmus* autem *S. Theod. abbas*, de quo supra, et S. Bernardum in angustum volumen coegit (M. 184,407 sqq.) et ipse de integro enarrare Canticum aggressus pervenit usque ad 3,3.

Wolbero abbas (M. 195,1017 sqq.) et *Gilbertus Foliot* (M. 202,1147 sqq.) totum Canticum bene et copiose exsequuntur, etiam uberius *Thomas Cisterciensis* (206,21 sqq.).

De S. *Thoma* cf. supr. p. 354 sqq.

Atque hi omnes interpretes ante saec. 16 (plures v. *Cornely* Introd. II. 2 n. 220) de Christo et Ecclesia Canticum exponendum esse censuerunt. Quamquam aliqua id circumscriptione determinandum est. Primum enim fuerunt, qui ad *solam* Virginem Dei matrem omnia accommodarent. Sed id sic intelligendum est, ut sensum consequentem (p. 346) proponere voluerint. Itaque v. g. *Honorius August.*, cum longo commentario communem sententiam explicasset, rogatus a discipulis, « cur Cantica Canticorum de sancta Maria legantur, cum nihil penitus ad eam pertinere videatur », scripsit « Sigillum B. Mariae », et qua ratione id nitatur, sic indicat : « Gloriosa virgo Maria typum Ecclesiae gerit [i. e. sola totius Ecclesiae quasi adumbrat imaginem]; quae [Eccl.] virgo et mater praedicatur; mater praedicatur, quia Spiritu sancto fecundata per eam quotidie filii in baptismate generantur; virgo autem dicitur, quia integritatem fidei servans inviolabiliter, ab haeretica pravitate non corrumpitur. Ita Maria mater fuit Christum gignendo, virgo post partum clausa permanendo. Ideo cuncta, quae de Eccl. scribuntur, de ipsa etiam satis congrue leguntur ». Item *Ioannes Algrinus* Card.addidit Thomae Cisterciensis commentario brevem expositionem de « beatae Virginis et Domini N. I. C. applausu iucundo et mutuo » (nisi forte alius, non ipse hanc Thomae operi adiunxit). *Abanus de Insulis* (M. 210, 51 sqq. saec. 13) ita scribit : « Cum epithalamium Salomonis specialiter et spiritualiter ad Eccl. referatur, tamen *specialissime et spiritualissime* ad gloriosam Virginem reducitur ». Quae ultima verba de *subtilissima*, non de propria interpretatione intellige; id quod demonstrant etiam ea verba, quae proxime praemiserat : « Ex omni creatura significante laus eiusdem [B. M.] elicitur et in omni Scriptura Matris dignitas praedicatur ». *Philippus de Harveng* (12. saec.), qui copiosissime idem argumentum exsecutus est (M. 203,181-490), idem tamen scripsit etiam « Moralitates » in Cant. (ib. 490 sqq.), ibique ad 1,1 ita ait : « Tale est osculum Sponsi et Sponsae, Christi et Ecclesiae, i. e. coniunctio divinae et humanae naturae... In ista sententia invenies septem Sacramenta : Iacob et Rachelis [quam paullo ante « sanctae Ecclesiae figuram » dicit], Dei et generis humani, Christi et sanctae Ecclesiae, Filii Dei et B. Mariae, Christi et fidelis animae ».

Etenim ut hic, ita alibi magna varietas proponitur accommodatae interpretationis. Nam simili amore, quo Ecclesiam, in Vetere Testamento Deus dilexit *Synagogam* (Rachelem); deinde Filius Dei, ut *Ecclesiam* conderet *humanam carnem* assumpsit; Ecclesiae autem flos est pulcherrimus B. *Maria*, quae proprio quodam modo fit sponsa Christi; denique eadem gratia suo modo communicatur cum qualibet *anima fideli*. Nihil igitur mirum, si ex hac accommodationis multiplicitate rursus novi

« sensus » derivantur, quos plerique veteres arbitratu suo iungunt inter se ac miscent. Nec vero propterea existimandum est, eos aut parum recte sensisse aut diversa incongrue composuisse; sed haec genera interpretandi, quidquid de Ecclesia vel Ierusalem in Scriptura dicitur, usitatissima fuerunt in Ecclesia omnibusque notissima.

Quare iam inde ab Origine paene omnes et Ecclesiae et animae cum Verbo nuptias in Cantico describi volunt et pauci quidem ea (ut ille) disiungunt, plurimi commiscent. Alii, qui morum documenta potissimum quaerunt, non ita multa de Eccl. dicunt, ut iam Nyssenus, qui tamen nonnumquam, quasi oblitus propositi, versum aliquem simpliciter de sola Eccl. explicat, v. g. 4,1 sqq. : « Possunt sane in communi Ecclesiae corpore labra, dentes, lingua, ubera, venter, collum reperiri ». Nimirum huiusmodi res in anima distinguere recte dubitavit. Item Theod. in simili loco ad 1,9 : « Ex multis enim viris et mulieribus constans Eccl. quosdam habet in se, qui genarum, quosdam qui oculorum... nomen obtinent »; ac totum principium Cantici de Eccl. potius explicat. S. Ambrosius etsi plura ad Eccl. et animam *virginis* potissimum, alia tamen ad *naturam humanam* et *Virginem Mariam* accommodat. Ad B. Mariae laudem separatas sententias vertunt etiam antiquissimi Patres, velut illud « Hortus conclusus, fons signatus » (4,12) SS. Gregorius Nyss., Epiphanius, Ambrosius, Ildefonsus, Iust. Urgell. Perpetua interpretatione de Dei matre nemo usus est ante 12. saec[1].

Paullo post coeperunt Canticum in hanc *triplicem* sententiam interpretari 1) de Eccl. 2) de anima pia 3) de B. Virgine. « Communiter fertur », inquit *Dionysius Carthus.* (15. saec.), quod triplex sit sponsa Christi : videlicet tota universalis Eccl. militans, quae vocatur sponsa D. N. I. Christi *generalis*, et quaelibet anima fidelis et amorosa, quae dicitur Christi sponsa *particularis*, itemque beatissima Virgo Maria Christifera, quae Christi sponsa *singularis* censetur », atque haec tria et in ipsa inscriptione libri sui enuntiat et constanter ex capitum ordine separatim tractat. Cuiusmodi separatio sine dubio optima est, ne propria sententia nimis obscuretur.

Diversas Sponsae aetates distinguere vel omnino vel aliquatenus conati sunt *Beda, Anselmus Laudunensis, Honorius August., S. Thomas* (supra p. 355), *Nic. Lyranus* (qui Sponsae nomine etiam Israeliticum populum complectitur, id quod falso tribuitur Aponio).

e) **Iudaei.**

Allegorica interpretatio apud Iudaeos, quantum iudicare nobis licet, perpetuo viguit. Expositores enim omnes (auctor *targumi, Raschi, Kimchi, Aben Ezra, Moses Maim...*) illam solam sequuntur. « Absit, absit », inquit Ab. Ezr. (12. saec.), ut Cant. Cant. de voluptate carnali agat; omnia potius figurate dicuntur. Nisi enim maxima eius dignitas, inter libros Scr. sacrae relatum non esset; *neque ulla de eo est controversia* ». Atque adeo 2. saec. Akiba (in tract. talmud. « Iadaim » 3,5) Cant. Cant. appellat « omnium hagiographorum sacratissimum » negatque de hoc libro fuisse, ut fuerit de Ecclesiaste,

---

1. E Graecis totum fere Canticum (ab 1,7) de B. V. explicavit *Matth. Cantacuzenus* (14 saec., M. 152,997 sqq.), etsi hic a desiderio *antiquae Ecclesiae* orsus prophetiam *Incarnationis* enarrare proprie conatur.

controversiam. Quid quod dubitari vix potest, quin in eo libro, qui quartus Esdrae dicitur, « lilium unum, civitas una, columba una Sion » (5,24-26) ex Cantico (2,1; 6,8) deprompta sint? Itaque post Christum Iudaei, etsi Ecclesiae mentionem non faciunt, tamen ratione allegorica Christianis consentiunt.

f) Scripturae V. et N. Testamenti.

Adiungo hic, etiam Scripturae utriusque Testamenti testimonium eiusdem rei valde probabile afferri. Nam *post* Salomonem *ita frequenter* atque *ita similiter* illa Sponsae imago vel alia huic rei coniuncta ad populum Dei accommodantur, ut ex Cant. tamquam fonte uberrimo rivuli quidam per omnes aetates fluxisse videantur. Sane quemadmodum Ecclesiae et Christianorum omnium consuetudine dulcissima amoris divini verba promi solent ex Cantico, ita ipsi iam scriptores inspiratos atque adeo Christum Dominum singulari quodam studio se ad illud idem applicasse iure existimaveris. Plurimi sunt id genus loci, quos partim attulimus partim afferemus.

Itaque interpretis est, et diligenter expendere pondus auctoritatis, quod est in communi (quantum licet aestimari) Ecclesiae et Synagogae consensione, et ita Sponsorum amorem concipere, ut tot Scripturae locis expressum videmus.

2. *Aetas recentior.*

A saec. 16 Canticum coeptum est magis ad *litteram* explicari, studio optimo, quatenus allegoriae luxuria resecanda fuit, errore pernicioso, quatenus a sanctitate antiquae interpretationis interdum recessum est. In nonnullis interpretibus *catholicis* saepe vix discernas, qua laude, qua reprehensione digni sint; quidam autem vix animadvertere videntur, ubi a veteribus ita dissentiant, ut nulla possit esse conciliatio. Nam et qui typicam (vel quasi typicam) interpretationem sequuntur, sine dubio ea dicunt, quae illi approbaturi numquam fuerint, et qui litteram diligentius exprimere atque exhaurire et narrationem perpetuam (ficti) amoris conficere conantur, vel inviti a sanctiore ac veriore sententia evagantur. De qua re diximus p. 348 sqq. et dicemus post explicationem 1,1-2,7. Hic nomina quaedam illius aetatis (16.-18. saec.) insigniora ponimus.

Franc. Titelmannus O. Cap. (1547); *Gilb. Genebrardus* (trium rabbinorum... comment. in Cant. latine versa cum notis, 1570); *Lud. Sotomaior* S. I. (1599, Notae posteriores 1611); *Mich. Ghislerius* Ord. Cler. Reg. (1609), *Del Rio* S. I. (1611), *Sanctius* S. I. (1616), *Corn. a Lap.* (1638), *Bossuet* (notae in libros sapientiales, 1693), *Calmet*...

Ex his *Ghisl.* singulos versus « secundum sonum literae exponit », deinde de Ec-

clesia, anima, B. V.; atque haec omnia distincte ac separatim tractat additque quasi catenam Patrum. Diligentia non absimili excellunt Sotomaior et Del Rio. *Corn. a Lapide* desponsationem Christi ita describit : « Quasi duplex in incarnatione iniit connubium : primum physicum cum *humanitate sua*... secundum ethicum cum *Ecclesia* totaque *natura humana*... Porro quia singuli fideles et maxime iusti sunt membra Christi et Ecclesiae, hinc de iis singulis Canticum accipi potest in sensu non tam mystico quam litterali, sed inadaequato et partiali!... Rursum hoc Canticum apte congruit Christo et B. Virgini, tum quia ipsa inter iustos eminet sicut luna inter stellas, tum quia Verbi incarnatio, et per consequens desponsatio Ecclesiae, in ipsa et per ipsam perfecta est; tum quia caro Christi assumpta a Verbo fuit caro B. Virginis; quare cum carnem sibi despondit, quasi B. Virginem sibi despondit ».

Ex eodem numero interpretum *Boss.* et *Calm.* (supr. p. 370 sqq.) et *Sotomai.* proxime accedunt ad typicam explicationem. Sotom. in praef. ad Cant. « Salomonem prorsus alludere censet ad aliquam historiam seu rem gestam et ad aliquos veros corporum amores, et quidem primos atque praecipuos, vel praesentes vel praeteritos, vel filiae Pharaonis regis propter eximiam eius excellentiam vel certe alicuius alterius reginae prae ceteris amabilis atque dilectae » (Smits O. Fr. Min., comment. 1746 p. XIV; qui ipse contrariam sententiam longe probabiliorem existimat). Sed tamen qui veram, ex parte quidem, historiam admitterent, *pauci* fuerunt. Si enim addideris *Iansenium Gandavensem* (1574), vix est, quem satis certo in eo genere ponas (cf. Grandv. apud le Hir p. 37-43), atque ipsos illos longe abesse ab illa typica interpretatione, quam quidam protestantes amplexi sunt, facile est videre (supr. p. 377 sqq.). Plures ita loquuntur interdum aut ita quaedam ad litteram interpretantur, ut aegre se, si omnino constare sibi vellent, defendere ab illorum societate posse videantur; sed tamen ipsi sine dubio se ab allegoricis avelli non paterentur. Itaque cavendum puto, ne inter typicos numeretur *Pineda* S. I., qui minime absurde etiam Honorium August. (supr. 416 sq.) ab hac opinandi singularitate liberare conatur; nescio an idem dicendum sit de *Mariana* S. I. et aliis; immo vero fortasse etiam de illo, quem typicae rationis inventorem ferunt, *Lud. Legionense*. Nam hic in latino quidem comm. « verborum sonum » diligenter explicans « historiae » appellatione consulto abstinet, etsi eam ab antiquis usurpatam non ignorat, et negat « ipsa scripta veram sententiam ostentare » et allegoriam « perpetuae metaphorae » admittit. — Neque *omnes* horum aequales similem rationem ac novam amplexi sunt; antiquam v. g. *Vatablus* et *Genebrardus*; alii hoc unum concesserunt, Salomonis nuptias fortasse *occasionem* attulisse Cantici scribendi, ut Estius et Corn. a Lapide.

Veniamus ad hanc nostram aetatem. Ut omittam I. L. *Hug*, qui Sponsam arbitratus est decem tribus Israel cupientes cum Ezechia rege Iuda (qui Sponsi personam sustineret) rursum copulari, « fratribus » (i. e. Iudaeis multis) adversantibus, et I. H. *Kistemaker*, qui generatim de Cantico nec inutiliter disseruit, allegoriae biblicae naturam illustrans (« Canticum illustratum ex hieroglyphia orientalium »), et A. *Schuler*, qui non iniucunde librum in germ. vertit ac poetice explicavit : recentiores melioresque nomino B. *Schaefer* (supr. p. 359 sqq.), *Le Hir* (Le Cantique des Cantiques avec traduction spéciale sur l'hébreu et commentaires 1883); P. Fr. Sal. *Tiefenthal* O. S. B., Das Hohe Lied 1889 (cf. supr. p. 409); I. *Langer* (Das Hohelied nach seiner mystischen Erklaerung, 1889. Atque hi quattuor tam pie, quam erudite allegoriam explanant. Adde P. *Brevet* (Le Cantique des Cantiques,

1890). Libro Le Hir praemittitur utilis commentatio, quam scripsit *Grandvaux* de catholica potissimum Traditione).

Petr. *Schegg* (Das hohe Lied Salomo's 1885) duabus rebus longissime a communi catholicorum interpretatione dissentit. Nam et amorem humanum, cuius quidem speciem fictam potius quam veram arbitratur, pro fundamento habet sententiae allegoricae et omne Canticum in iusti absolutique dramatis formam disponit. « Salomon, inquit, fortasse norat puellam conditione pastorali, quae inter naturae amoenitates tum corpore tum animo ad vegetam vividamque pulchritudinem efflоruisset. Qui ea aetate cum adolescentes perfectissima quaeque admirantur et amant... societatis huiusmodi [i. e. cum illa vel simili rustica puella] beatam cogitationem animo toto complexus divino ardore exsecutus est ». Sed cum rex potentissimus, cui ad omnem voluptatem aditus pateret, virgineum amorem ita valde celebraret, essetque ipse atque ipsius regnum adumbratio futurorum, consequens erat, ut Cant. ad futurorum significationem referretur. Itaque Schegg omnia de naturali amore proprie explicat, sed eum figuram dicit Dei cum Synagoga, Christi cum Eccl. vel anima ipsi omnino consecrata familiaritatis. Fatetur autem ad 6,8 nusquam certo indicio illum verum Salomonem indicari et gynaeceum cogitatione fictum, non ad veritatem descriptum esse.

Atque hi huius saeculi sunt catholici interpretes praecipui (quorum ego ultimis uti vix potui). Interea summa protestantium industria potius ad Cant. depravandum (si maiorem eorum numerum spectes), quam ad explanandum valuit; qui in nulla Scripturae parte infelicius quam in hac saeculum iam integrum versati sunt. Genera interpretandi tentata et clarissima nomina breviter indicabimus (cf. *Rosenmueller,* Schol. in V. T; *Zoeckl.* in comm.; de recentioribus egregie *Niedermaier*, Liter. Rundschau, 1888 n. 7-10).

Pauci nuper allegoriam retinuerunt : *Keil* (Introd. in V. T., 1853), *Hengstenberg* (Das Hohelied Salomonis, 1853), *Hoelemann* (Die Krone des Hohenliedes [i. e. c. 8], 1856); *Clarke* (Song of Songs with an introduction by *Bonar,* 1881; cf. etiam *Gessner* (Das Hohelied, 1881).

Plerique a pristina etiam suorum theologorum interpretatione deficientes in diversissimas partes abierunt. Propius absunt, qui typicam explicationem amplectuntur; sed hi tamen toti mersi sunt historica et erotica enarratione litterae : *Delitzsch*, *Zoeckler* (supr. p. 377 sqq.), *Kossowicz* (cf. p. 468 sq.) aliique pauci. E multis particulis conflatum esse Canticum nuper rursum defendere conati sunt Reuss (Le Cantique 1879) et Bergmann (Eine Kette von Liedern, bisher das Hohelied betitelt, 1883). Qualis *dramatica* sit interpretatio iam maxime usitata, v. in Kaempf et Stickel supr. p. 384 sqq. (In eandem sententiam scripsit Renan, Le Cantique des Cantiques 1884). Graetz (1885) *epicam* statuit narrationem, in qua multa sint et lyrica et quasi (*non* vere) dramatica. Frustra autem hi interpretes (typicos includo) laborant, ut eam dignitatem Cantico vindicent, quae in libro canonico requiratur; ne honestatem quidem humanam satis tuentur, praesertim si quorundam locorum enarrationem attendas.

PARS I.

SPONSAE PRAEPARATIO 1,1-3,5.

I. scena 1,1-2,7.

Principio exhibere placet *Vulgatae et LXX interpretum varietatem*, quatenus alicuius videtur esse momenti; numeros versuum sequor Vulgatae (in qua, inscriptione praetermissa, v. 1 respondet hebr. 2).

I. 1. ubera, μαστοί (pro *amores*) 2. fragrantia (ubera) unguentis optimis; καὶ ὀσμὴ μύρων σου ὑπὲρ πάντα τὰ ἀρώματα 3. εἵλκυσάν σε, et additur εἰς ὀσμὴν μύρων σου, Vulg. in odorem unguentorum tuorum 4. memores uberum, ἀγαπήσομεν μαστούς; recti (pro *merito*), εὐθύτης ἠγάπησε 5. decoloravit me sol, παρέβλεψέ με ὁ ἥλιος 6. ne vagari incipiam, μὴ ποτε γένωμαι ὡς περιβαλλομένη 7. si ignoras te, ἐὰν μὴ γνῷς σεαυτήν; hoedos, τὰς ἐρίφους 8. equitatui, τῇ ἵππῳ 9. pulchrae sunt genae tuae sicut turturis... sicut, τί ὡραιώθησαν σιαγόνες σου ὡς τρυγόνος... ὡς 12. ἀδελφιδός (= fratruelis, intimus, dilectus), atque item infra saepius 14. ἡ πλησίον (= vicina, propinqua, amica); ib. columbarum, περιστεραί (similiter 16. LXX relinquunt hebr. *cedri, cypressi* pro adiectivis Vulgatae) 15. πρὸς κλίνῃ ἡμῶν σύσκιος; lege πρὸς κλίνη (*nom*)., i. e. etiam (πρός = אַף) lectus n. umbrosus.

II. 1. campi, τοῦ πεδίου 3. quem desideraveram, sedi; ἐπεθύμησα καὶ ἐκάθισα 4. εἰσαγάγετέ με... τάξατε; introduxit... ordinavit 5. fulcite me floribus, stipate; στηρίσατέ με ἐν μύροις, στοιβάσατε 7. cervos (pro *cervas*)... dilectam (pro *caritatem*); ἐν δυνάμεσι καὶ ἐν ἰσχύσεσι τοῦ ἀγροῦ... τὴν ἀγάπην.

Arg. — Sponsa s. Ecclesia ardenter efflagitat Sponsi divini adventum, idque nomine suo et comitum s. filiarum Ierusalem 1-3; his mirantibus explicat, cur ita liceat precari, et unde sit aliqua sibi deformitas 4-5; rursum ad Sponsum conversa quaerit, ubinam moretur; illae, cum sint paullo rudiores, aliquid in commune tantum respondent 6-7. Repente Sponsus divinus adest, et quo loco illam habeat atque habiturus sit, exponit; reddit illa amorem ac laudem 1,8-2,3ª; Sponsa quasi deliquescens caritate pergit gaudium et languorem quendam sanctissimum tam copiose, quam ab initio desiderium, eloqui cupitque quieta frui Sponsi praesentia 2,3ᵇ-7.

De inscriptione libri (hebr. v. 1). « Canticum Canticorum » ex loquendi consuetudine Hebraeorum tale carmen designat, quod in suo genere sit insigne. Cf. *rex regum* (Ez. 26,7 de Nabuchod., item Dan. 2,37), *rex regum et dominus dominantium* (Apoc. 19,16 de Christo), *coelum coeli* (= summum coelum, Deut. 10,14), *servus servorum* (= infimus inter servos) *erit Chanaan fratribus suis* (Gen. 9,25), *vanitas vanitatum* (= summa van., nihil nisi mera van., Eccl. 1,2). Simili formula aliae quoque gentes aliquando utuntur, ut cum S. Scripturam librum librorum omnes appellamus. Recte veteres, etiam Iudaei (*Midr., Abn Ezr.*), multique recentiores hoc canticum ob *praestantiam* suam omnium primum et praecipuum vocari censuerunt. Ps.-Athanasius : « Quemadmodum Ioannes Agnum Dei ostendit, et usque ad Ioannem lex et prophetae sunt : ita quae in Cantico Canticorum significantur, *finis* sunt omnium eorum, quae tota Scriptura designantur; quid enim post Christi praesentiam aliud praeter iudicium et retributionem exspectari oportet?... Itaque Cant. Cant. propterea est, quod aliud nullum post hoc exspectandum fuit. Et sicut in lege Sancta erant et post ea Sancta Sanctorum, post haec autem nullus locus interior : ita post Cantica sunt Cantica Canticorum, post haec autem interiorem et recentiorem manifestationem sperari non oportet ». Rectissime quidem, quia hic Verbum ipsum a prophetis praedictum, ab omnibusque desideratum quasi *praesens et agens sistitur,* omnium ostenditur eventus felicissimus vaticiniorum ac desideriorum, perfectio atque absolutio operum divinorum demonstratur. Beatam igitur temporum plenitudinem et antiqui Iudaei, cum hunc librum legerent, ob oculos positam intuebantur et nos apertius videmus. « Lex enim dicitur per *angelos* ministrata in manu mediatoris; illa ergo omnia, quae per illos annuntiabantur, cantica erant per *amicos* Sponsi procedentia. Istud vero unum canticum est, quod *ipsi* iam Sponso Sponsam suam suscepturo epithalamii specie erat canendum, in quo Sponsa non adhuc per amicos Sponsi cantari sibi vult, sed ipsius iam Sponsi praesentis audire verba desiderat » (*Orig.* prol.). Itaque cum multae sint prophetiae de Christo et regno messianico, tamen haec, ut postea Isaiae, ceteris plenior est et absolutior, et quodam modo etiam cum Isaia comparata et perfectior et grandior, quia *intimam familiaritatem* Dei incarnati cum *Sponsa* Ecclesia *vitaeque sponsalis omnem varietatem atque etiam fecunditatem* adumbrat, in *penetralia* domus Christi et Ecclesiae introducit, *arcana colloquentium verba* aperit. Quae verba in caritatis mutuae significatione potissimum versantur, iucundissima sunt ac dulcissima, ut nihil simile in V. T. invenias. Ita hoc carmen proprie lyricum est, quo intimi animi sensa exprimantur, quod ad cantandum natum

factumque sit. Dicitur igitur aptissime « Canticum », hebr. autem שִׁיר, quae vox (ut verbum שׁוּר) canendi laetandique notionem habet; cf. Gen. 31,27 : « prosequi cum gaudio et canticis (בְּשִׁרִים) et tympanis et citharis »; Eccl. 12,4 : « filiae carminis » (בְּנוֹת הַשִּׁיר), ib. 2,8; 2 S. 19,36; Am. 6,5; Eccl. 7,5 (V. 6). Congruit optime cum argumenti suavitate dictio ipsa poetica, ut una omnium dulcissima amoris modulatio (שִׁיר הַשִּׁירִים) exsistat (Ps.-Dion. Eccl. Hier. 3 : « dulcia carmina divinorum amorum »), quae quidem recte vocetur Regis regum « epithalamium », cui adesse praeter Sponsos sanctissimos perfectissimam quamque animam ipsosque angelos (« amicos » 8,13, fortasse etiam « sodales » 5,1) videmus. Quae cum ita sint, libri inscriptio, similiter atque psalmi 44 primi versus, sublime carminis argumentum elatumque dicendi modum luculente demonstrat, nec fieri potuit, ut, nisi canticum esset toto genere ceteris excelsius, appellaretur שִׁיר הַשִּׁירִים. Sua sponte igitur, qui ita praefari videt poetam, in poesi potissimum sacra, in allegoricam huius amatorii carminis intelligentiam inducitur, immo vero, ut in illo psalmo, satis iam *argumentum*, quod ad Messiam proxime pertineat, quo non est ullum grandius, significatur.

Quodsi in proximis vocibus hebr. אֲשֶׁר לִשְׁלֹמֹה inveniat quis *aliud* quoddam veri, i. e. mystici argumenti indicium, non sit mirandum. Nam habemus in poesi christiana praeclarum Dantis Alighierii exemplum, quo probetur, magis quam ceteros poetas, allegoricos aenigmata et subobscuras significationes velatae in symbolis sententiae consectari. Licet sane in לִשְׁלֹמֹה nudum *scriptoris* nomen agnoscere, ut fit in psalmis; atque ita plerique de Cantici inscriptione non sine causa opinati sunt. Sed non est ineptum explicare : « in Salomonem » s. « de Sal. ». Quod grammatice licet; cf. Ps. 44 (45) 2 « opera mea Regi » (dicata); Is. 5,1 : « vineae suae » (i. e. de vinea); Ier. 23,9 : « ad prophetas » (de pr.). LXX ita Ps. 71 inscriptum voluerunt : εἰς Σαλωμών. Cuius rei magna ratio fuit; nam si Salomon illius psalmi *scriptor* putabatur, valde mirum est, post hunc ipsum, *non post* 70, positam esse hanc notam : « Defecerunt laudes *David* ». Itaque antiqui satis communiter et partim recentiores Davidis esse psalmum *de Salomone* scriptum putaverunt. Quodsi nihilominus Salomonis est, ipsa per se tamen ambigua inscriptio apte poterat etiam ad divinum Salomonem, cui dicatum esse carmen veteres universi censebant, accommodari. Obstat quidem, quod לְ in ceteris psalmis ipsum scriptorem designare omnes interpretantur. Sed ea similitudo ad Cant. Cant. non ita perspicue pertinet propter relat. אֲשֶׁר praeter consuetudinem additum. Accedit, quod haec inscriptio, ut in Proverbiis, non videtur ab ipso carmine segreganda esse, sed persona velata *eius, qui locuturus est*, inscriptione manifestari. Nimis enim obscurum esset Cantici initium, nisi saltem aliquo modo significaretur, quis esset, quem Sponsa appellat. Quae cum ita sint, non absurde existimes, ut in שִׁיר הַשִּׁירִים, ita in אֲשֶׁר לִשְׁלֹמֹה aliquod latere indicium sententiae mysticae, cuius rei ratio non contemnenda est in relativo contra om-

nem consuetudinem addito et in similitudine psalmi 71, saltem si hic Davidis est. In hebr. praeter haec ipsa verba, quae pro v. 1 numerantur et carmini reliquo adiunguntur, *alia* est brevior inscriptio sine nomine שִׁיר הַשִּׁירִים, unde manifestum est, illa superiora non pro *mera* inscriptione habita esse. Necesse certe est ad Cantici explicationem a principio *eius* Salomonis meminisse, quem Ps. 71 et Ps 44 celebrari censendum est. Nec sine causa veteres disputarunt, cur diverse Prov. et Eccles. et Cant. inscripta essent. Si enim sumitur, id quod cur dubitemus nihil occurrit, ipsum Salomonem ita sua inscripsisse opera, simplicissima inscriptio, qualem exspectaveris, in Prov. est; in Eccl. et Ierusalem positam videmus pro Israel idque sine dubio ob urbis magnificentiam, quae aliquo modo pertinet ad libri argumentum (cf. 1,12), et statim nomen fictum Koheleth usurpatur, quo certe de libri argumento aliquid significatur; iam vero in Cant. nihil amplius additur nomini Salomonis, id quod facillime intelligitur, si designandus fuit (ambigue) Salomon ille, qui non erat rex terrestris. Ergo illud לְ primum scriptorem libri, deinde obscura significatione fortasse ad Sponsi personam designandam pertinet; quodsi opposueris, iam fieri *ambiguum* notam dativi, respondeo id non continuo sequi, deinde in una voce vel particula id minime repugnare. Quae his contraria alii opinati sint v. p. 344 sqq.

Ad ipsa Sponsae verba interpretanda ut eo animo, quo veteres interpretes, accedamus, aliqua praefari necesse est, vel etiam supra iam dicta iterare. Ergo eam, quae loquitur, tanto consensu ab antiquis Ecclesiam intelligi videmus, ut ab ea sententia discedere non oporteat hominem catholicum, praesertim cum Patres ac theologi *dogmatice* loqui et contrariam opinionem ipsis verbis *improbare* atque *condemnare* soleant. Praeter ea, quae supra p. 337 sqq. disputata sunt, ob summam huius rei gravitatem haec alia iuvat afferre testimonia.

Orig. (prol.) negat inscriptionem libri ullam continere « carnalis nominis » significationem, « ne quis putet Sponsam corporeum aliquid amaro aut in carne positum, et macula aliqua amori eius credatur induci ». *Nyss.* (hom. 1) dicit, ut in picta tabula color discernendus sit a forma imaginis, sic in Cant. non intuendam esse « materiem colorum, quae in verbis sit, sed formam quandam regiam ». « Verba enim », inquit, « si proxima attenditur notio, velut os, osculum, unguentum, vinum, membrorum nomina, lectulus, adolescentulae aliaque id genus similia sunt atque albus color aut fulvus aut niger, aut ruber, aut caeruleus aut aliquis denique. Quae vero ex his imago efficitur, beata vita est et doloris expers et cum Deo coniungens et a malo avertens et ad veram pulchritudinem bonitatemque conformans ». Idem satis cōpiose contra aliquos adversarios allegoricam enarrandi rationem tuetur. (Ps.) *Athan.* (syn.) : « Totus liber a principio usque ad finem scriptus est mystice et cum allegoria aenigmatica. Non enim aperta est, sed abscondita latet horum effatorum sententia; reperitur autem ab inquirentibus; itaque prudentes oportet allegorice in hoc toto libro versari, ne propter ignorantiam imperitorum contemnant ea quae dicta sunt ». S. *Ambr.* (prol.) : « Non hic foeditatis incentiva, sed castitatis celebrantur mysteria; ubi spiritualiter agitur et affectuali quadam contemplatione de nuptiis et coniunctione Christi et Ecclesiae, increati spiritus et creati, carnis et spiritus. Circumcidamus ergo cor nostrum, nihil vile, nihil corporeum quaeramus; vile autem omne terrenum... coelestium mysteriorum immaculata et pudica sinceritas spi-

ritali interpretatione resplendeat ». *Greg.* : « Hoc autem nobis sollerter intuendum est, ne cum verba exterioris amoris audimus, ad exteriora sentienda remaneamus, et machina, quae ponitur ut levet, ipsa magis opprimat, ne levemur. Debemus ergo in verbis istis corporeis, in verbis exterioribus, quidquid interius est, quaerere, et loquentes de corpore quasi extra corpus fieri debemus ». Est autem hoc quoque animadvertendum, si huiusmodi testimonia accurate considerentur, aegerrime posse *vel typicam* interpretationem cum antiquitatis doctrina conciliari.

Accedunt ceterae rationes, quibus omnem historicam explicationem supr. p. 368 sqq. refutavimus. Nec ipsa appellatio « Cantici canticorum » (quae si non sit inspirata, saltem est maximae auctoritatis) satis defenditur, nisi saltem ad allegoriam proxime accedat historia; nam ut hanc *Del., Z.*, alii proponunt, carmen ipsum per se de terreno amore est nec ea accommodatione, qua isti typicam sententiam efficiunt, carminis natura sic mutatur, ut dici possit שִׁיר הַשִּׁירִים.

Ex ipso principio libri haec adde argumenta saltem probabilia : Puella Sponsum prior alloquitur, cum potius ab illo sit alloquenda, ut ferebat constans etiam Hebraeorum consuetudo, cf. hic 8,8; Iud. 14,7... Deinde et hic et per *totum carmen* Sponsae desideria ardentiora sunt, si verba ipsa spectantur, et multo magis haec illum, quem ille hanc requirere videtur. Quod in allegoria verum est, quatenus Eccl. maxime *indiget* Dei, at consuetudini humanae non congruit; puellas enim exspectare amoris officia et verecundiam maiorem prae se ferre decet. Deinde ab initio (v. 1 et 3) subita a tertia persona ad secundam transitio in humano amore multo minus quadrat; nam Sponsus nec praesens esse nec repente intervenire dicitur aut significatur ante v. 8; et quoniam non est idonea ratio, cur *absens* modo tertia, modo secunda persona appelletur, hoc satis incongruum artificium dicendum esset, id quod in « Trahe me » v. 3 maxime elucet. Sed si Ecclesia Deum orat, illa mutatio subiecti indicat, eundem, qui absit, tamen audire verba tamquam praesentem; cf. paullo infra. — Porro nomen Sponsi, quod « oleo effuso » comparatur (v. 2), multo aptius usurpatur de Eo, cuius nomen proprie est « Christus » (מָשִׁיחַ), quam de rege terrestri; nam hoc loco cum necessario aperiendum sit aliquo modo, quis sit Sponsus, ne et de Sponsa et de Sponso dubitemus, illa nominis significatio proprie accipienda est; in homine autem, etiam rege, vox nimis vaga esset et saltem ante v. 8, verius autem usque ad 3,7 ignoraremus, qui tandem colloquerentur. Omninoque hoc grave argumentum est allegorice omnia intelligenda esse, quod in alia interpretatione et Sponsa permulta atque mira loquitur et Sponsus, nec tamen ante 3,7 satis certo scimus, de Salomone agi. Dixi etiam mira proponi; nam v. 2 et 3 simili prorsus amore *plures*

puellae sine ulla simultate in sponsum communem feruntur; sive enim haec verba uni tribuuntur, sive inter plures alterna recitantur, in amore humano inepte finguntur. Nigredo quoque Sponsae regiae (« rex » v. 3) prorsus singularis est, praesertim cum *sole* inter laborem rusticum decolorata dicatur (v. 5). Illud vero inexplicabile, quod Sponsus regius fingitur oves pascere (v. 6 sq.). Similia sunt in ceteris; ut 1,15 sq. lectus sponsorum dicitur esse inter gramina, flores, arbores. Item 2,5-7 amore ita languescit Sponsa, ut concidat et animo deficiatur. Atque ita porro, de quo infra uberius.

Satis igitur causae in ipso principio est, cur allegoriam, non historiam quaeramus. Quodsi quis signis manifestioribus opus fuisse arbitratur, haec esse aliqua difficultas potest in *historica* explicatione, in qua omnia mira sunt, non in allegorica, in qua aliquam esse obscuritatem, *externo* testimonio illustrandam, nihil prohibet; v. p. 394.

Itaque oscula aliaque amoris signa « colores » quidam sunt, quibus imago rerum divinarum adumbretur (*Nyss.*), vel « machina » (*Greg.*) quibus cogitationes nostrae ad divina eleventur. Quodsi latere sub involucris videtur sententia, id mirum non est; « aenigmatica » enim (Ps.-*Athan.*) est omnis allegoria. Accedentes autem ad Canticum oportet « nihil vile, nihil corporeum quaerere, vile autem omne terrenum » (*Ambr.*). Sequitur porro, ut satis impeditus sit hic aditus plerisque; nullum enim genus poeticae dictionis spinosius allegoria, nihil hac allegoria et abiectis ingeniis periculosius, et erectis sublimius. Ut igitur imaginem poeticam recte explices, circumspectione ac diligentia opus est et imprimis huius generis accurata notitia. Ut mentem ab inhonesta cogitatione defendas, tota excludenda est illa historica interpretatio et imagines *a principio ac directe* ad sententiam veram transferendae. Denique ut ipsa suavitate carminis fruare, ad caritatis divinae excelsitatem animus attollendus est. In penetralia enim domus Domini bene parato pectore ingredi oportet; vestibulum hoc quoddam coeli est. « Beatus quidem », inquit *Or.* (hom. 1) is, qui ingreditur sancta, sed beatior, qui ingreditur sancta sanctorum. Beatus qui sabbata sabbatizat, sed beatior, qui sabbatizat sabbatorum sabbata [שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן]. Beatus similiter et is qui intelligit cantica et canit ea — nemo quippe nisi in sollemnitatibus canit — sed multo beatior ille qui canit Cantica Canticorum. Et sicut is, qui ingreditur in sancta, pluribus adhuc indiget, ut valeat introire in sancta sanctorum... eodem modo difficile reperitur, qui omnia quae in scripturis continentur cantica peragrans valeat ascendere ad Cantica Cant ».

Monet autem et hic et ceteri fere interpretes veteres, ne quis incaute in hoc quasi

delubrum Amoris Divini pedibus non lotis aut altissimis rebus percipiendis ob aetatem ineptus introeat. A Iudaeis observatum refert *Or.* (prol.), ut hunc librum ne in manum quidem darent eis, qui ad aetatem perfectam maturamque nondum pervenissent, nec nisi post reliquas scripturas, etiam δευτερώσεις i. e. mischna (cum tribus aliorum librorum partibus) explicarent. *Philo Carp.* (prol.) : « Consecret igitur suum quisque animum sanctum Deo et mentem a terrestribus avocet cogitationibus et temperantiae virtute ornatum habeat animum, coronamque coelestium gratiarum capiti impositam : atque ita sanctum spiritualium canticorum librum attingat ». *Nyss.* (hom. 1) : « Nemo cupido animo atque carnali, mortuum olens veteris hominis foetorem, ad belluinam imprudentiam detrahat sententiarum atque enuntiationum inspiratam divinitus manifestationem, sed a se ipse egressus et supra omnem mundum corporeum erectus et quasi expers perturbationum in paradisum reversus Deique similis integritate atque sanctitate ad huius libri adyta ac mysteria accedat ».

Est autem ille quasi sacerdotalis ornatus, quo indutum in haec sancta sanctorum ingredi, et illa vestis nuptialis, qua amictum ad has Agni nuptias venire decet, *caritas*. Nam in caritate totus hic liber versatur et quidem illa caritate, cuius intima *familiaritas* non potuerit nisi sponsalis vel coniugalis amoris simulacro adumbrari. Itaque recte et *Or.* (prol.) fuse prius disserit de amoris natura et *Nyss.* (hom. 1) ostendi in Cantico dicit « perfectissimum ac beatum salutis modum per caritatem » et *Greg.* (Cl.) comprehendi hic affirmat Dominum non ita, ut vitia tantum vitentur et caveatur hostis, sed ut « familiari amore » teneatur. Praeclare *Wolb.* abbas hanc Cantici proprietatem, hunc fructum percipiendum, hanc animi praeparationem afferendam, de quibus diximus, sic exsequitur (praef.) : « Summae illius perfectaeque caritatis repraesentat harmoniam, qua sopitis omnibus rerum mundanarum curis anima quaeque fidelis Creatori suo veluti sponsa sponso ineffabili amoris dulcedine coniungitur, in cuius complexibus tanta pacis et quietis suavitate commoratur, ut nihil sit, quod praeter eum cupiat, nihil, quod tam magnificae gratiae praeponat, quia nihil certe est, quod spiritui resistat, qui calcato carnis bello cum subiugata sibi carne eadem felici concordia in Christo sabbatizet. Magna quippe pars et optabile sabbatum, i. e. requies, est, quando caro non concupiscit adversus spiritum, sed sedato vitiorum tumultu tanta internae tranquillitatis dulcedine mens perfruitur, ut nihil aliud quam Dominum desiderans velit et possit Cant. Cant. dicere, hoc est, veram et perfectam caritatem habere ».

Sed idem optime huius caritatis fructum vocat *pacem*. Quid enim? Nonne Sponsus Cantici Salomon i. e. Pacificus dicitur et Sponsae nomen ad eandem fere significationem interpretandum diximus? (p. 381). Nonne 8,10 haec legimus : « Facta sum coram eo quasi pacem reperiens » ? Itaque *osculum* expetitum a Sponsa proprie pacis signum dicendum, id quod pulcherrime cadit in ipsum Sponsum, qui est Christus. Nam hic, ut nos quidem scimus, modo natam Ecclesiam, quam in cruce sibi desponsaverat, e mortuis redux pacis salutatione alloqui solitus est, atque adeo ipso primo die osculo pacis excepisse narratur Io. 20,21-23 ; insufflando enim reconciliationis potestatem apostolis contulit, Spiritum pacis donavit, verbum denique ipsum pronuntiavit : « Pax vobis ». Cum praeterea significet se a Patre acceptam pacem transferre ad discipulos, consentaneum est, osculum Sponsi, ut multi veteres interpretati sunt, re vera esse « gratiam et pacem et caritatem *Trinitatis* ». Quod etsi verbis ipsis in Cantico non indicatur, tamen luce veritatis ex illo loco apud Ioannem refulgente satis ostenditur.

Iam vero ut omnino pateat aditus ad enarrationem singulorum ver-

suum, unum restat explicandum. De Sponsa enim aliqua esse dubitatio potest, cum multi veteres eam hoc initio carminis *Synagogam* appellent, alii autem postea (vel c. 6 extr. vel c. 8) Synagogam inducant. Ambiguitas est, ut dixi etiam p. 403 sqq., in nomine. Nam *illam* Synagogam, quae « lapidem reprobavit, qui factus est in caput anguli » (Act. 4,11), quaeque postquam defecit a Christo aliquando revocanda est, cum plenitudo gentium intraverit (Rom. 11,25 sqq.), multi in posteriore parte carminis designari putaverunt; quae diversa est ab *ea*, quae adventum Domini magnis desideriis et sinceris atque puris expetere videtur ab initio carminis. *Pauci* ita senserunt, ut illa desideria cum inani mundanaque spe multorum Iudaeorum et terrestris gloriae exspectatione confunderent, deinde paullo post initium carminis, ea spe frustrata, Synagogam a Christo deficere in eiusque locum Ecclesiam *gentium* succedere interpretarentur. Plerique recte affectum Dei populum, veros Hebraeos, ut Simeonem illum et Annam, ut Zachariam, Elisabeth, Ioannem, ut Mariam et Iosephum, Sponsae verbis precari existimaverunt : dicunt esse Sponsam fidelem Dei electumque gregem, qui pastorem Christum et desideret absentem et praesentem laetus excipiat; esse eam Synagogam, e qua nati ipsi apostoli Ecclesiae fundamentum et columnae fuerint; esse denique eandem atque ipsam (primitivam) Ecclesiam apteque posse eius etiam nomine appellari, cum *in transitu* versetur utriusque Foederis. *Bedam* audi propositam difficultatem dissolventem : « Omnis electorum congregatio generaliter Ecclesia vocatur. Et tamen nunc causa discretionis specialiter ea fidelium portio, quae incarnationis Dominicae tempora praecessit, Synagoga, quae vero hanc secuta est, Ecclesia nuncupatur... utraque autem haec portio iustorum una eademque est, Christi fide ac dilectione consors... Prior Ecclesiae pars Christi Domini ac Redemptoris incarnationem, passionem ac resurrectionem futuram adhuc exspectans per eius se gratiam, quam magnopere advenire cupiebat, salvandam esse credebat. *Huius* ergo vox in amoris cantico prima resonat. Cui cum prophetae sancti creberrime et viam vivendi monstrarent et eius promitterent adventum, qui tamquam sponsus suo procedens de thalamo mundum omnem novae benedictionis gratia donaret, coepit *transcensis praeconum vocibus ipsius magis Regis ac Salvatoris sui* desiderare praesentiam ». Commodius erit igitur uno Ecclesiae nomine uti; nam illa altera opinio, Synagogam *infidelem* inane pronuntiare desiderium, reiicienda est ob eam potissimum causam quod postea mutatae personae primariae nullum indicium est in verbis. Immo vero *illud* etiam dubium videri debet, num antiquae Ecclesiae (sic appellemus plebem fidelem prioris Testamenti) omnino sit mentio facienda, etsi id ad

rei summam parum refert. Fortasse enim poetae eiusdemque prophetae animo sola obversatur Ecclesia Novi Testamenti, nec illud desiderium tam est promissi Redemptoris, quam missi, et ad tempus tantummodo *absentis*. Nam similis absentia 3,1 sqq. et 5,6 sqq. ardentissima Sponsae desideria excitat, neque cogimur vocem « sui » v. 1 ita premere, ut intelligatur : « *Ipse per se* me osculetur » (hebr. non legitur הוּא יִשָּׁקֵנִי). Accedit quod v. 8 sqq. nihil admirationis de repentino adventu Servatoris, a tot saeculis desiderati, exprimitur, ut Sponsa *assuefacta* iam praesentia Sponsi eum redeuntem potius, quam adventantem, quieta excipiat. Itaque *adventum primum* Christi expeti illa Sponsae voce « osculetur me », non est *necessariae* interpretationis; itaque plus ne affirmemus quam Sponsam ardenter amantem *absentis* Sponsi optare reditum. Ecclesia ergo (iudaica sane, si ita distinguere placet, sed tamen Eccl. *Novi* Testamenti) iam electa a Sponso, at nondum rite desponsata atque ducta (v. 3,6 sqq.) amicum divinum alloquitur. *Amicum,* inquam; nam, si accurate loqui volumus, adhuc non est stabili foedere *desponsatus*. Ipse poeta distinxit *amicam* et *sponsam;* hoc alterum nomen non usurpatur, nisi cum in « desponsationis » caerimoniis (3,11 : חֲתֻנָּה) coronatur atque ornatur (ut כַּלָּה : 4,8), ac deinde constanter usque ad 5,1. Non potest esse dubium comparantibus 1,8. 14; 2,2. 10. 13; 4, 1. 7 (ubi amica, רַעְיָה, et formosa, יָפָה, et columba, יוֹנָה, appellatur) cum 4,8. 9. 10. 11. 12; 5,1 (ubi semper sponsa, כַּלָּה, dicitur), non potest esse dubium, inquam, quin constans eiusmodi distinctio conditionis differentiam significet.

Itaque, ut aliquo modo etiam divisio Cantici indicetur, id pro certo statuamus *amicae* conditionem usque ad 4,7 pertinere, deinde proprie *sponsae* honorem designari, denique a 5,2 non minus constanter deficere hanc appellationem, ut videatur *coniugis* dignitas significari, cf. praeter cetera 6,7 sqq. De reliquo mirum non est, per totum carmen retineri nomen « amicae » et « columbae » (cf. 5,2; 6,3. 8), nisi quod secundo illo tempore honorificentiorem « sponsae » ac « sororis » appellationem pro illis substitui videmus. Quid « soror » sibi velit, evidens est : ad intimam familiaritatem spectat ob eamque causam ea vox retinenda fuit tertio tempore (5,2; cf. « fratrem » 8,1). Sed rursum propria tertii temporis est appellatio תַּמָּתִי (5,2, ubi Vulg. « immaculata », ct 6,8, ubi « perfecta »). Et haec quidem diversitas nominum maximum indicium est, quas partes praecipuas, quem rerum ordinem, quam gradationem in Cantico statuere debeamus : amoris initia, diem desponsationis (3,6-5,1), coniugii spiritualis tempus. Quodsi etiam attendimus, quo nomine Sponsa Sponsum appellet, haec non mutat « dilecti » nomen (דּוֹד), nisi 5,16, ubi dicit « amicum » (רֵעַ) et 8,1, ubi « fratrem » cupit dicere. Atque hoc ultimum quia antea ausa non est et ne nunc quidem omnino audet, concludendum est, in clausula carminis crescere eius cum Sponso familiaritatem et *meliorem* effici eius conditionem. Sed iam eo, unde

digressi sumus, regrediamur; satis enim dictum est, ut certum iaceretur fundamentum totius interpretationis.

Duo igitur in commentario legendo ob oculos versari perpetuo debent, quae iam sunt satis a me demonstrata : 1) Canticum esse allegoricum, nec ullo modo historicum (cf. supra p. 338 et 368 sqq.); 2) esse propheticum de Ecclesia Christi nec directe spectare ad Synagogam vel solam vel cum Eccl. aliquo modo iunctam (cf. p. 354 sqq. et 403 sqq.).

V. 1 (hebr. 2) : « *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino* ». In scenam quodammodo prodeunt *Ecclesia* illaeque *comites,* quarum ipsa mentionem videtur facere v. 2-3 identidem, quasque certe alloquitur v. 4; itaque aliquas praesentes fingi evidens est. Ecclesia prius potius desiderat Christum, quam alloquitur; qui quia divina natura omni loco praesens est, ideo pro 3. pers. illico secunda substituitur; qua mutatione ardor amoris apte depingi potuit. Non est autem eiusmodi transitus Hebraeis ita inusitatus, ut propterea putandus sit Christus in *conspectu* repente adesse (cf. Gen. 49,9; Is. 42, 24; Ps. 80,17; Iud. 5,31; 2 Reg. 19,20; Mich. 1,2; Iob 12,4; 17,10); satis est, eum quasi praesentem audire, praesertim cum v. 6 sq. certe absit[1]. Sponsus non *nominatur*, etsi Sponsa sine dubio sua verba intelligi vult a comitibus; sic enim melius exprimitur proprietas incensi amoris, qui « dum suo pronus fertur desiderio, quo se cumque verterit, sibi videtur id contemplari quod appetit, et alium quemlibet in se experiri putat quod sentit; unde quasi constet aliis, quis ipsam amor trahat et in se velut absorbeat, cum quod intus agit foris exprimit, neminem designat ex nomine » (Fol.). Quod autem ita abundanter loquitur : *Osculetur me osculo oris sui,* inflammatum animi motum exprimit; similia sunt : « Voce mea ad Dominum clamavi » (saepius) et : « Aperiens os suum docebat dicens » (Mt. 5,2); ipsa enim mora sermonis hic aliquid valet. Apparet etiam in his exemplis, illud pronomen « sui » additum non demonstrare Christum *aliis* amicis (v. g. prophetis tamquam *paranymphis*) opponi, praesertim cum sponsale osculum iis minus apte congruat. Immo quia optime nosse se huiusmodi amorem Christi Sponsa addit, potius concludendum est, eam *usitata* sibi iam Dei-hominis oscula flagitare. Nec dicit unum quasi primum osculum, sed (hebr.) « ex osculis » se optare, id quod magis unum *alterumve* osculum significat (de phrasi cf. Ex. 16,27 : « egressi de populo »).

1. In illis autem exemplis aut de Deo agitur aut de hominibus aliquo modo saltem praesentibus; itaque hic si *humanus* sponsus absens fingitur, difficilius est transitionem ad 2. p. explicare.

Itaque non incipientis, sed iam progressae amicitiae haec sunt; non Synagogae veteris, sed Ecclesiae primae, vel, si ita placet, illius Synag., quae iam mutata est in Christi Ecclesiam. Ob eamque causam etiam facilius Sponsae permittitur, ut ipsa prior amoris signa petat; vix enim in *Synagoga* vetere aptum esset osculum Christi vel oscula statim, non adventum simpliciter efflagitare. Ecclesiae igitur adolescenti et iam quodammodo ad aliquam maturitatem eductae omnia melius conveniunt.

Quod autem dicit « ex osculis », non simpliciter « oscula », modestiae est. Ipsum osculum in allegoria nihil profecto inhonesti habet. Maior esset offensio in « uberibus », quae ex graeco (μαστοί) in Vulg. translata sunt; sed hebr. דֹּדִים sonat « amorem » s. « amores » (recte Gr. Ven. οἱ σοὶ ἔρωτες), ut Ez. 16,8, ubi Vulg. quoque habet : « Ecce tempus tuum, tempus *amantium* »; cf. Prov. 7,18 : « Inebriemur ab uberibus », i. e. amore; item ib. 5,19; Ez. 23,17 « cubile mammarum ». His ultimis locis et Cant. 1,3 (4); 4,10; 7,12 (13) legerunt LXX et Hier. דַּדַּיִם, quae vox mammillas sonat; ubera Cant. 8,8. 10 dicuntur שָׁדַיִם. Sententiam tamen non ita diversam veteres « uberibus » Sponsi tribuunt, ut *S. Thom.* « voluptatem dulcedinis » explicat, quae significatio evidens est 7,13 (12), ubi Sponsa dicit : « Dabo tibi ubera mea ». Ceterum quasi *laticem* Sponsa bibere cupit amorem, qui sit « vino » dulcior et ad quandam sanctam ebrietatem idoneus. Fortasse dulcedinem potius hoc loco, ubi Sponsus abest, oportet cogitare; praesente Sponso vis inebriandi maior erit (5,1). In principia etiam amoris cadit illa (Vulg.) quasi *lactis* (ex uberibus) potio : « Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis » (1 Cor. 3,2). Vino additur « mel » et « lac » 4,10 sq.

In quibus comparationibus totaque hac amatoriae teneritatis descriptione ornatus est poeticus, quo tamquam « machina » aptissima « levari » debemus (*Greg.*), ut Deum non intellectu solum plurimi aestimare ac voluntate ut maximum bonum eligere, verum etiam sensu et voluptate intima complecti atque constringere discamus. « Ad has nuptias », inquit *Greg.*, « Sponsi et Sponsae cum intellectu intimae *caritatis* venire necesse est... Debemus per haec verba *passionis* transire ad virtutem impassibilitatis. Sic est enim Scriptura sacra in verbis et sensibus, sicut *pictura* in coloribus et rebus, et nimis stultus est, qui sic picturae coloribus inhaeret, ut res quae pictae sunt ignoret... Littera occidit, spiritus autem vivificat (2 Cor. 3,6); sic enim littera cooperit spiritum, sicut palea tegit frumentum; sed iumentorum est, paleis vesci, hominum, frumentis ».

V. 2 (3) : « *fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen*

tuum; ideo adolescentulae dilexerunt te ». Vino unguenta iunguntur, ut 4,10 sq., quae cum ad ornatum (Iudith 10,3; Ruth 3,3) et convivia (Am. 6,6; Sap. 2,7) et laetitiam (Prov. 27,9; 2 Sam. 14,2) pertineant, adventus hic Christi tamquam laetissima hora festusque dies describitur. Pretiosa quoque unguenta sunt (Eccl. 7,2, Is. 39,2) ideoque ad *significanda* optima quaeque usurpantur, velut ad sapientiae suavitatem ac dignitatem (Eccli. 24,20 sq.) ac nominatim ad amicitiae iucunditatem (Ps. 132,2; Prov. 27,9). Ps. 44,9 idem hic Sponsus, dum ad nuptias celebrandas prodit, dicitur « myrrha et gutta et casia » delibutus; atque ibid. v. 8 cum *Deus* Christum « unxisse oleo laetitiae » dicitur, apparet eam unctionem, qua Christi humanitas a Deo uncta est, designari. Videt igitur Eccl. Sponsum quasi delibutum gratia coelesti s. donis supernaturalibus ornatum. Deinde admirans addit : nomen tuum quasi diffusum oleum odoratissimum, id est, si « nominis » vim apud Hebr. spectes : *tu totus* fragras unguentis coelestibus. Atque hoc censeo verbis hebr. perspicue enuntiari. Cum enim de forma תּוּרַק alii aliter sentiant, optime videmur 2. p. fut. hoph. intelligere, cui epexegetice subiunctum sit « nomen » : tu effusus es, nomen tuum, (sicut) oleum. Ad « tu — nomen tuum », cf. Ps. 83 (hebr.), 19 : « Et cognoscant, te esse, Domine, nomen tuum, solum »; accusativum autem « oleum » ad effundendi verbum addi, mirum non est, quia similis obiecti usus latissime patet. Atque in hunc modum si *Hengst., Zoeckl.*, alios secuti magis, ut videtur, ad grammaticae linguaeque rationem verba explicamus, Sponsus omnino dicitur κατ' ἐξοχήν *Unctus*, id quod in Christum aptissime quadrat. Nam quia ungi dicuntur sacerdotes, reges, prophetae (Ex. 29,7. 29; 1 Sam. 10,1; 1 Reg. 19, 16) : Christus sacerdos (Ps. 109, qui est Davidis : Mt. 22,43 sq.) et rex (Ps. 2) et propheta quasi triplici unctione sanctus cogitatur; atque ut alii aliquando « christi *Domini* » vocantur (Ps. 104,15; Ps. 88,21; Is. 45,1), ita Sponsus apte maximeque proprie a Deo unctus et sacerdos et rex et propheta cogitatur (Ps. 44,8; Is. 61,1). Dan. 9,24 sqq. idem nomine etiam proprio insignitur *Christus* i. e. Unctus : מָשִׁיחַ נָגִיד = « Christus Dux ». Etiam Ps. 2,2 idem nomen ad David quasi typum Christi referri non sufficit, sed ad Illum ipsum spectat, de quo canit David (cf. Act. 4,25 sqq.). Itaque plurimi inter veteres interpretes Salomonis animo obversatum esse pie opinati sunt id ipsum nomen Christi ut *proprium;* quamquam id iam tum usu consecratum fuisse, non omnino certum, sed probabile est, ac probabilius, id esse *saltem* hoc loco et Ps. 44 quasi praeformatum. Alii veteres potius in *Iesu* nomine explicando versantur; quod quoniam ab ipso Patre datum Re-

demptori sententia etiam pleniore ei congruit, complectitur illam unctionis sanctitatem perfectissime. Suo igitur iure Doctor mellifluus utrumque nomen « Iesum Christum », prius quidem potius, uberrime explicavit serm. 14 et 15, etsi, qui in « Christi » nomine se continet, ad verba Cantici propius accedit.

Bene *S. Iust. Urg.* : « Quem unxit Deus, id est Christum, *oleo laetitiae prae participibus suis*, huius etiam velut oleum *effusum* est nomen : quicunque enim Christiani a Christo nominantur ipsique chrismate perunguntur atque in eius nomine baptizati sancto Spiritu adimplentur, ut unguentum, quod descendit a *capite in barbam Aaron*... id est, sacer Spiritus, qui a Deo diffusus est in Christo, descendit etiam *in oram vestimenti* eius ac totam usque in finem Ecclesiam replet ». Et re quidem vera, etsi Sponsa non statim dicit, quo diffusum oleum exhalet odorem, id tamen sua sponte intelligitur : ipsa, i. e. Ecclesia hac unctione Christi delectatur, sacratur, roboratur. Caritas diffunditur in corda nostra : *ideo adolescentulae adamarunt te*. Adolescentulas (עֲלָמוֹת), i. e. puellas innuptas ac fere nubiles, comites appellat suas, quae suo modo ad easdem Sponsi nuptias parantur. Neque vero se ipsam eo numero eximit, praesertim cum hebr. articulus desit. Dicit igitur tanta dulcedine Sponsi allici ad eum diligendum, *quaecunque* sint adolescentulae recte affectae. Quod autem Sponsa ita loquitur praesentibus comitibus suis, evidens est signum, invidiam et aemulationem omnem abesse et communionem quandam amoris designari; ea autem ut vel apte vel honeste proponi possit, necesse est, non humanum, sed castiorem fingi amorem; cf. paullo post « curremus » « exsultabimus », « memores ». Sed Ecclesia omnino eiusdem caritatis vult et gaudet alumnas suas omnes esse participes. *Omnes* enim Christi fideles appellatione adolescentularum comprehendi non est absurdum; genus femin: tantum ob convenientiam quandam poeticam electum est, ut in decem virginibus, quibus totum regnum coelorum comparat Christus (Mt. 25,1 sqq.). Facilem reddidit accommodationem vox « animae » pro « homine » mente substituta (hebr. נֶפֶשׁ); cf. Ex. 1,5 ac saepe. Recte *S. Ambr.* : « Quae sunt istae adolescentulae nisi animae singulorum? » *S. Cyr.* apud Proc. etiam audet dicere : « Adolescentula (νεᾶνις) erat Paulus quoque ». Huiusmodi comites etiam Ps. 44,15 reginam sequuntur; ubi vocantur virgines (בְּתוּלוֹת) et amicae eius (רֵעוֹתֶיהָ) et filiae regum (v. 10) et, opinor, lilia (v. 1). Atque haec omnia nomina transferre licet ad comites has Cantici. Dicuntur igitur adolescentulae (עֲלָמוֹת), quod innuptas virgines sonat; eaedem filiae Ierusalem 1,4 ac saepius, et rursum עַלְמוֹת 6,8 (7),

nec videntur differre a filiis Sion 3,11. Ex his, quoniam toto carmine adstare Sponsae finguntur (vide etiam 3,5; 5,8. 16; 8,4), illius comitatus et, si scenica quaedam Cantici ratio spectatur, quasi *chorus* constituitur. Unde rursus facile est cognoscere, non referri in hoc libro amatoria colloquia, humanum in modum interpretanda, quippe quibus spectatrices testesque perpetuo adsint adolescentulae. Apparet porro in ipso principio carminis, ad has quoque spectare amorem Sponsi; itaque actionis ipsius sunt participes, cf. etiam 5,8. 17 (6,1).

Quodsi ipsa Sponsa Ecclesia est, illae non possunt esse nisi eius alumnae, quas inducat in amorem Sponsi, et quidem, ut 1,4; 2,7... et ex tota carminis conformatione perspicitur, *imperfectiores :* illa proprie loquitur ut Sponsa, hae non item; illa Sponsi favoribus cumulatur, hae derivata quadam voluptate fruuntur, illa perfectam nanciscitur pacem, hae monentur, ne quid obturbent (2,7 ac saepius). Neque vero ut Mt. 25,2, sic in his *fatuae* sunt virgines aut ullae a nuptiis excludentur. Itaque recte videtur Orig. sic dicere : « Dilexerunt te, non illae vetulae ac veterem hominem indutae animae neque rugas habentes neque maculas, sed adolescentulae in *augmento aetatis et pulchritudinis* positae, quae semper innovantur, novum se hominem induentes, qui secundum Deum creatus est. Propter istas ergo adolescentulas et in auctis vitae profectibus positas exinanivit se ille, qui erat in forma Dei, ut fieret unguentum exinanitum nomen eius » (« exinanire » = κενοῦν et hoc loco apud LXX pro effundendi verbo est et illo loco apud Paulum, Phil. 2,7). Consentiunt fere ceteri veteres, qui modo novitatem vitae in adolescentulis, modo robustiorem quandam maturitatem, modo aliquam imperfectionem inesse volunt.

Ita Sponsa ipsa, ut Mt. 25, separatur a ceteris fidelibus (virginibus) iisque quodam modo etiam opponitur, id quod poetae omnino licuit. Quamquam est etiam in re ipsa ratio aliqua discernendi. Nam adolescentulae, ut satis manifestum est, *eam* Ecclesiam designant, quae personis est multiplex, adhuc non admissa ad Sponsi complexum, adhuc imperfectior; talis est ea, quae ex variae virtutis hominibus constituitur. Sponsa vero est *ea* Eccl., quam in omnibus illis vigere scimus, ipsam autem (ut est haec *una poetica persona*, quae in Cant. describitur) mente sola, non oculis cernimus; illa quasi corporea est, haec vi ac dignitate supernaturali quasi spiritualis, illa discipula, haec eius magistra, etsi ipsa discit a Sponso, illa in hoc carmine quasi catechumena, haec iam fide paene matura, illa congruus huius tamquam *reginae* comitatus. In novo quoque testamento Eccl. modo prorsus perfecta et immaculata Christi Sponsa dicitur (Eph. 5, 25 sqq.), modo sagenae, agro, decem virginibus comparatur, ubi apparet promiscue bonos cum malis vel saltem imperfectis comprehendi; cf. « ex omni genere piscium, bonos, malos » Mt. 13,47 sq., « colligent de regno eius omnia scandala » ib. 41; de Mt. 25 sic S. Greg. : « Eccl. decem virginibus similis esse denuntiatur; in qua quia mali cum bonis et reprobi cum

electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus et fatuis perhibetur ». Satis igitur rationis et abunde fuit, cur Salomon poetice Sponsam unam a multis adolescentulis secerneret. Cavendum est autem, ne nescio quam Eccl. *invisibilem* haeretico errore illam Sponsam intelligamus; nam etsi *poetice* ut separata persona inducitur, ab eaque segregantur sociae, tamen re ipsa Sponsa *in ipsis sociis* vivit, viget, denique etiam aspectabilis est, et vicissim sodales in illa participes fiunt sponsalis dignitatis. Nam etsi illa sola, quae est quasi anima huius corporis Eccl., quia ipsa opus est Dei, omnino perfecta est (atque etiam externa perfectione ornatur, quia in ipsis membris non desinit omni genere virtutum florere), hae autem humanae aliquid imperfectionis quasi corporeum ac materiale afferunt : tamen una efficitur ac simplex quasi compositio ex utroque, ut etsi mortale quiddam et caducum sit in corpore, tamen hoc ipsum corpus vere possideat animam sibi coniunctam, et propter hanc aliquando nacturum sit immortalitatem. Quod ipsum *S. Bern.* in hunc modum explicat (serm. 12 extr.) : « Quisquis et inebriat verbis et fragrat beneficiis, sibi dictum putet : Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis [ista quasi in Sponsam dicta accipit]. Et ad haec quis idoneus? Quis *nostrum* [qui sumus adolescentulae] unum saltem horum integre perfecteque possideat...? Sed est quae merito et non dubie hoc praeconio glorietur, *Ecclesia* utique, cui numquam de universitate sua deest, et unde inebriet et unde fragret. Quod enim sibi deest in uno, habet in altero secundum mensuram donationis Christi ac moderationem Spiritus dividentis singulis prout vult... Quod etsi nemo nostrum sibi arrogare praesumat, ut animam suam quis audeat *sponsam* Domini appellare; quoniam tamen de Eccl. sumus... non immerito gloriae huius *participium* usurpamus. Quod enim simul omnes plene integreque possidemus, hoc singuli sine contradictione participamus. » Quam gloriam deinde dicit nos perfecte in coelo consecuturos.

V. 3 (h. 4) : « *Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua; exsultabimus et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum; recti diligunt te* ». Unam quasi stropham quinque versiculorum (secundum metrum hexasyllabum Cantici) hactenus vidimus; sequitur altera et ambitu par et argumento similis et eodem vocabulo conclusa : אֲהֵבוּךָ = adamarunt te. Quam brevissime licet percurrere. Sponsa sentit se indigere ope divina, ut non modo intellectu atque affectu Sponsum complectatur, sed re ipsa praesentem teneat eique omnino coniungatur. Gratia fuit, quod amore sic exarsit, ut v. 1 et 2 cernitur, sed multo uberior erit dulcedo praesentis, quam absentis Sponsi; atqui in hominis potestate non est, ascire nolentem. « Nemo enim potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum » (Io. 6,44); id quod de fidei gratia dictum magis etiam de perfecta desponsatione cum Christo usurpandum est. Pulchre

autem ad Sponsi tractionem protenus sequitur paratae voluntatis « cursus ». Quod autem Vulg. post LXX addit : « in odorem... », apte repetitur ex superioribus versibus symbolum poeticum eius gratiae, qua et Christus ipse ornatur et Eccl. ad amorem eius allicitur; quae gratia vocatur a theologis gratia « Capitis », in membra mystica sicut « olei » odor transfusa. Simul significatur trahendi iucunditas; non enim necessitate Sponsa trahitur, sed et voluntate et voluptate, id quod suaviter explicat *S. Aug.* (tract. 26 in Ioann.) : « Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Est quaedam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille coelestis. Porro si poetae dicere licuit : trahit sua quemque voluptas — non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio : quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur aeterna vita, quod totum Christus est...? An vero habent corporis sensus voluptates suas et animus deseritur voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur : Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt : inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis deliciarum tuarum potabis eos? » Atque hanc caritatis exaestuantis voluptatem Sponsa significat ipso verbo « currendi » ; quod etiam ad comites, licet paullo tardiores, audet referre. Meminisse autem oportet, ita unam et simul plures esse Christi Sponsi amicas, ut et variari numerus possit (me — curremus) et tamen ea, quae proprie Sponsa est, a qua ad socias divina munera derivantur, priore loco sit nominanda; id et paullo ante fieri vidimus (osculetur me — dilexerunt) et mox videbimus (introduxit me — exsultabimus). Quo nihil potuit in allegoria fieri convenientius. Historicam omnem explicationem haerere necesse est; ubi enim illa sponsa, quae sic velit cum multis partiri amorem?

Sed illam abundantiam voluptatis, quam dixi, magis significant reliqua verba Sponsae. « Cellaria » (Vulg.; LXX : ταμιεῖον) cellam penariam s. promptuarium sonant; vox hebr. חֶדֶר omne spatium domus interiùs, penetralia, conclave, cubiculum, thalamum. Hoc ultimum cogitare vetat, quod *communis* laetitiae quasi cella nominatur, neque omnino mentio thalami in hoc principio amoris apta est, sive narrantis sive optantis haec verba sunt. Si interpretamur « introduxit » (LXX : εἰσήνεγκε; item aliqui recentiores) Sponsa gratiam *praeteritam,* ut videtur, grata commemorat, et in ea recordatione quodammodo acquiescit desiderium, usque dum Sponso videatur similem sibi favorem largiri. Sed quoniam non dicitur « introduxit *iam* me » aut simile quid, et magis convenit continuato *desiderio* (cf. v. 6)

exspectari Sponsi adventum (v. 8), idcirco eodem modo, quo « trahe », alteram eiusdem versus partem optative accipiendam esse censeo; quae multo simplicior explicatio est, si ipsa sententia spectatur, minime difficilis, si verba. Nam perfectum saepe ponitur, cum res enuntiata pro *conditione* alterius statuitur, ut Ex. 3,13 : « Ecce ego vadam... si (hebr. וְ) dixerint mihi... quid dicam eis »; Prov. 25,16 : « Mel invenisti : comede quod sufficit tibi ». Quae constructio excitatior est, quam cum additur אִם = si; rem enim quasi veram repraesentat, et hoc quidem loco fiducia doni accipiendi apte significatur; ita a « trahe me » ad « introduxit » gradatio quaedam cernitur : trahe me... fac eum traxisse, iam curremus. Apparet igitur, cur non praeferendus fuerit imperativus, הֲבִיאַנִי הַמֶּ֫לֶךְ (= introduc me, o rex; de vocat. cum artic. v. Ps. 114,5. 6). Vulgatam autem iam in eandem sententiam explicare licebit (cf. locos paullo ante allatos).

Ut autem hic a 2. pers. redeatur in 3. pers. et tamen sequatur rursus pronomen « te », fecisse videtur vox « regis » addita, quam maioris reverentiae causa comitatur verbi tertia persona, cf. 2 S. 19,20 : « Ne *meminerit* mihi *Dominus* meus iniquitatem neve *recorderis*, quidquid fecit servus *tuus* illo die, quo *exiit Dominus Rex*... »; cf. de 3 p. Gen. 41,16. 32. 33. Ipsa « regis » appellatio praeterquam quod paullo manifestius Sponsi personam describit, declarat etiam, quam magnificae sint opes in cellariis vel penetralibus conditae; itaque ad hunc versum proprie pertinet. Indicari hoc loco simile quid videtur atque illud est Esth. 1,3 sq. : « Fecit Assuerus grande convivium..., ut ostenderet divitias gloriae regni sui... » Significatur apparatus Regis Regum et *convivium* quoddam spirituale, quo fruita gaudet Sponsa 2,4, ad quod hic quoque spectat « vini » comparatio, ut v. 1. Itaque etsi « cellarium » proprie non sit idem quod « cella vinaria » (2,4), tamen hic iam per modum *convivii* ostendi videtur opum magnificentia. Pro tanto beneficio, quod sperat et sibi et sodalibus, gratas se futuras Sponsa pollicetur : « memores erimus », vel potius (hiph.!) « memorabimus ac celebrabimus », ut in eodem argumento Ps. 44,18 : « Memores erunt nominis tui ». Additur ratio : rectos enim diligere te necesse est — vel potius : *recte, merito* adamarunt te adolescentulae, ego et sodales meae, cf. v. 2; est enim hic מֵישָׁרִים proprie abstractum (LXX εὐθύτης) atque pro adverbio usurpatur, ut Ps. 58,2 « recta (= recte) iudicate »; 17,2 : « oculi tui videant aequitates » (= aeque ac iuste); de plurali numero cf. Thr. 1,9 (« mirabilem in modum », Vulg. : vehementer). Atque ita altera quasi stropha absolvitur. Sta-

tim veniamus ad tertiam paullo longiorem, quae decem versiculis (ex divisione metr. numeratis) : 4 + 2 + 4 componitur.

V. 4 « *Nigra sum, sed formosa, filiae Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis* ». Hic Sponsa « nigredinem » suam explicat, et quidem sermone repente ad comites converso. Quam rem mirari licet, praesertim cum postea rursum alloquatur Sponsum. Necesse est igitur ea, quae de nigredine dicit maximeque ipsam comitum appellationem in coeptam precationem apte inseri atque intexi. Ad id efficiendum attendi debet, Sponsam non sibi soli, sed etiam comitibus gratiam Sponsi efflagitare. Quae cum *alta* voce precatur, apparet, eam velle ipsa precatione etiam *instruere ac parare* illas ad Christi adventum. Sunt autem aliquanto *rudiores;* nam nec 1,7 (h. 8) nec 5,9 satis intelligere videntur sublimiora dominae suae verba, debentque identidem moneri, ne quid imprudenter agant (2,7...). Hoc ipso loco 1,5 (h. 6) dicuntur parum recte sentire. Atque ex his omnibus rebus concludere licet, Sponsam eo consilio interrupta precatione sermonem ad sodales, tamquam fidei christianae *catechumenas,* convertere, ut eas moneat et corrigat et ad suos ipsius sensus traducat; ita demum poterunt praeeuntis preces recte sequi, si omni aliena cogitatione abiecta eodem et animo et affectu precabuntur. Iam vero *haec* modo cogitatio eos perturbat, frustra puellam minus pulchram regium sponsum desiderare; sunt enim, ut dictum est, adhuc non satis eruditae atque excultae, nec omnino clare perspiciunt, de qua re agatur.

« Nigra sum », inquit Sponsa, « sed formosa ». Particula « sed » recte exprimit id, quod in hebr. וְ dubium esse possit; etsi enim aliqua nigredo pulchra est, tamen hic certe pulchritudini opponitur, id quod et ex proximo versu et ex eo cognoscitur, quod hic, poetice quidem, color *vultus* dicitur niger, quem pro pulchro habere non consuevimus. Ergo aliquam in se maculam agnoscit Sponsa; sed cum addit « formosa tamen », significat illam verae pulchritudini non admodum officere; immo vero quia gloriantis instar se *simpliciter* pulchram dicit, non : « etiam pulchram » (hebr. nude : *et*, nulla addita particula velut גַּם, אַף; in verbis parallelis « et » quoque omissum est), idcirco nigredo ne minuere quidem censenda est eam pulchritudinem, quam in se laudat. Ipsa explicat : « sicut tabernacula Cedar ». Cedareni s. Cedraei (Plin. H. N. 5,11) gens fuit Arabiae, a nigredine, ut videtur (קָדַר = obscurum esse), appellata, quae sine dubio, ut nunc Arabes, tentoria e pellibus subnigris caprarum suarum et camelorum conficiebat; Ier. 49,28 sq. : « Ascendite ad Cedar...

tabernacula eorum et reges eorum capient, pelles eorum... » Eius gentis potentissimae saepe fit mentio ; ab eiusque notissima consuetudine hic ducitur similitudo. Opponitur magnificentia Salomonis. Sed eius quae fuerint pelles (s. aulaea s. lintea), obscurum est, quia ille rex Salomon in domo, non in tabernaculis habitabat. Qui omnia historice interpretantur, coguntur ei « papiliones » ascribere, in quibus, ut ab aliis posterioribus factum scimus, aliquot menses quotannis versari consueverit. At Eccl. N. T. revera apud Is. 54,2 sqq. in tabernaculis fingitur cum Domino tamquam Sponso vitam degere : « Dilata locum tentorii tui et *pelles* tabernaculorum tuorum extende... semen tuum gentes haereditabit... ut mulierem derelictam et moerentem spiritu vocavit te Dominus et uxorem ab adolescentia abiectam ». Similes sunt « cortinae » veteris Tabernaculi (Ex. 26 et 36 ; 2 Sam. 7,2 ; Ier. 4,20 ; 10,20). Ergo illa « formositas » sanctum quiddam sonat et supernaturalem Sponsi gratiam indicat, quae naturalem « nigredinem » sic illustrat, ut illa macula in considerationem venire vix possit. Itaque Sponsam gloriari quoque in decore suo prorsus decet ; non enim in sua gloriatur natura, sed in Dei munere ac liberalitate.

In *historia* satis turpe est puellam rusticam, *decoloratam sole,* de se ipsa tantam praedicare pulchritudinem ; immo ridiculum esset, eam nolle in ea re cedere « filiis Ierusalem », quae hic essent lectissimae feminae et forma sine dubio maxime egregia. Sed in allegoria Sponsa supernaturalem gratiam plenissimam ante ceteras nacta cum eis (egentioribus) partiri cupit. Quae cum non capere videantur dominae suae ardorem desiderii, fiduciam, familiare cum Sponso absente colloquium, et vicissim non respicere nisi naturalem indignitatem eius, haec suo iure laudat et praedicat in se divina munera. Ergo Eccl., maxime primitiva, vili est specie, ita ut admirationem, et contemptum fortasse, primum visa excitet in iis, qui modo ad Christum vocantur, i. e. in « filiis Ierusalem ». Respondet igitur : Nigra sum sane, vobis fortasse vilior ; sed in me contraria consociantur ; eadem sum enim omnino formosa ; peregrinum squalorem prae me fero, at eadem sacram magnificentiam regis Ierusalem. Et quoniam socias participes esse eiusdem pulchritudinis cupit, honorifice eas appellat : « filiae Ierusalem », quasi dicat : Vos ipsae accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem (cf. Hebr. 12,22) ; vos abiicere oportet opiniones humanas et discere, quid sit decor supernaturalis ; libenter fateor me quasi filiam Arabiae, sed ecce a Salomone electa vos quoque feci filias Ierusalem. Itaque alio nomine toto carmine Sponsae comites non appellantur, hoc eorum proprium est, quia de ipsis quoque, cuiuscunque vocantur nationis, illud dicitur. « Fuerunt illic » (Ps. 86)

i. e. in urbe *Ierusalem;* undique enim intrabunt in tentoria Sion et Salomonis coelestis (Is. 54). Sequitur ut in « Ierusalem » sollemnis illa et mystica significatio, quae et in vetere et in novo Testamento identidem usurpatur, attendenda sit. Item notio « Cedar » latius patet, quam ea gens, quae proprie designatur, et ad ea omnia transferenda est, quaecumque *illi* Ierusalem et *illi* Salomoni recte opponuntur, ut alibi gentes populo electo, mundus Ecclesiae, humana coelestibus opponuntur. Poeta *singulare* posuit pro communi, quod intelligi vult; nec in allegorico carmine alia dicendi ratio convenientior est, quam haec, quam explicavi. Historica interpretatio explicat (*Del., Zoeckl.,* alii) puellam e superiore parte Galilaeae oriundam asciscere comparationem tabernaculi Cedareni; num verisimile est eam non modo nosse tentoria Arabum, sed nullam sibi aptiorem comparationem in promptu habere? Ceterum nomina propria huius versus eo quoque spectant, ut personas carminis noscamus. Nunc enim apparet Sponsam in comitatu suo habere filias Ierusalem; has igitur intelligemus eas, quas supra secum currentes et exsultantes et amantes fecit vocavitque adolescentulas. Et quoniam simul Salomonis mentionem facit, novum indicium est, Sponsam esse vel fore reginam Hierosolymorum; iam supra « regem » Sponsum appellavit. Atque in hunc modum solet « aenigmatica » allegoria inducere in cognitionem personarum [1].

Pergit Sponsa, postquam de se tam modeste quam audacter pronuntiavit, leniter reprehendere vel potius admonere suas, ne perperam de se iudicare velint; explicat, unde nigrum colorem contraxerit, v. 5 : « *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol; filii matris meae pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi* ». Nolite attendere, inquit, et mirari, quod fusca sim (s. subnigra ; extenuat enim nunc, quod ante nude concesserat : « nigra » v. 4). Et *causam* proximam affert solis aestum : « quia decoloravit me sol », vel rectius, ut opinor, quoniam id quidem omnibus manifestum est, continuata constructione vertas : (nolite mirari) *quod* decoloraverit me sol (hebr. idem שׁזף utroque loco positum est). Pro « decolorandi » verbo *Aq., Theod.* et *quinta ed.* verterunt « adussit », *Symm.,* LXX et *sexta ed.* « aspexit »; sententia eadem est, sed hoc alterum nescio quam lepidam rei deminutionem (ut modo « fusca ») continet loquenti Sponsae optime conveniens; et haec sola notio vocabuli hebr. exemplis probatur : Iob 20,9; 28,7. Deinde vera causa ponitur : fratres mei coegerunt me vineas (multas

1. Cf. v. g. apud Dantem ea, quae fiunt in summo monte purgatorii.

et alienas) custodire, ita quidem, ut meam ipsius vineam neglexerim.

Hic primum miramur in sponsa regia vilem servitutem et rusticam occupationem. Historica explicatio partim fatetur non rem factam, sed fictam proponi (quod de filia Pharaonis vel alia femina principe id apte dici non possit), partim sumit Salomonem re vera puellam rusticam sole adustam adamasse et ceteris omnibus praetulisse — probabilem profecto sententiam! mollem ac tenerum amorem! Scilicet Salomon misellam extraxit e vineis; et ipsa conqueritur, vineam suam esse neglectam! Sed ad hoc ultimum explicandum illi ipsi confugiunt ad allegoriam, quae nullo simili exemplo probetur : vineam explicant de persona vel potius de corporis et cutis colore. Possunt haec omnia fortasse mollibus nostrae aetatis sensibus placere : a sensu antiquitatis sine dubio abhorrent. Praeterea illa « vinea mea propria » (כַּרְמִי שֶׁלִּי) in extremo carmine rursus commemoratur (8,12), ubi additur « coram me est ». Maxima igitur suspicio est, a « vinea mea propria non custodita » usque ad « vineam meam propriam coram me » omnem peragi carminis actionem. Qui hoc admittunt, illo loco multo etiam magis contorta interpretatione uti coguntur (v. ad l.). In allegoria autem quid כֶּרֶם significet, constat inter omnes, cf. Is. 5; Ps. 79 (80); Ier. 2,21; 12,10; Ioel 1,7; Mt. 20 et 21; Luc. 13...

Ergo Eccl. nascens, quae est modo assumpta a Christo Synagoga, vel Eccl. novi Test. ex Iudaeis, fatetur vineam suam esse neglectam, i. e. se adhuc s. in vetere Testamento eos fructus bonorum operum et salutis non fecisse, quos debuerit. Illae igitur aliae vineae item *allegorice* interpretandae sunt de occupatione contraria, i. e. a meritis supernaturalibus et a salute et a Dei voluntate aliena. Ab eo enim agro, quem Deus Synagogae colendum assignaverat, avocata est in alios, quos sterili labore et cum detrimento externa pulchritudinis colere coacta est. Recte autem sterilitatem suam pristinam agnoscere potuit Ecclesia nascens, collecta ex Iudaeis, quia cum pauci crediderint in Christum, generatim verum est, *nationem* Iudaeorum fructum salutis non tulisse nec ante nec nunc tempore messianico. Sane « radix » sancta mansit, sed « rami » fracti iacent; interim « oleaster » insertus florebit, usquedum extrema mundi aetate radix ipsa suos ramos, flores, fructus feret eritque iam tota vinea frugifera (8,12; cf. Rom. 11,17 sqq.). Sterilitatis causa certe in ea parte Synagogae, quae transfusa est in Christi Ecclesiam, non fuit. Itaque hic ea, quae facta est Sponsa Christi, culpam a sese removet, transfert autem ad « filios matris suae ». Quo nomine aut simpliciter fratres appellat, aut expressius eos designat, quos talia facere minime decuerit, aut

significat, eos alio patre natos fraterna caritate prorsus caruisse; cf. fratrem, filium matris Deut. 13,6; sororem ex matre Lev. 18,9; varietatis causa tantum videri possunt filii matris poni pro fratribus Gen. 27,29; Ps. 49,20; 68,9; « matris » autem, non « patris » dicere moris fuit, ut haec ipsa exempla demonstrant. Proxime igitur coniuncti Sponsam *de suo munere deiectam servire* coegerunt, unde aestum solis passa est. Aestus autem metaphorice generatim malorum perpessionem indicat, cf. Is. 49,10 : « Non esurient neque sitient, et non percutiet eos aestus et sol », quae verba explicantur Apoc. 7,16 sqq.; Ps. 120,6, atque ita saepe. Item decoloratio, ut Iob 30,30 et maxime Thr. 4,8 : « Denigrata est super carbones facies eorum et non sunt cogniti in plateis; adhaesit cutis eorum ossibus, aruit et facta est quasi lignum », atque hic ipsius filiae Sion nigredo *unde* sit describitur. In « fratribus » igitur *nos* recte ponemus Chaldaeos, qui etiam in aliam vineam eam invitam abduxerunt, et certe licet eos poetice illius fratres dicere, quia ea est ratio inter populos, quae inter fratres sororesque; illi humanam et communem, hi privatam familiam constituunt; contraxit autem poeta ut populum electum in unam Sponsae personam, ita genus humanum in unam familiam. Sequitur, ut alii quoque sint Sponsae fratres, velut Aegyptii, Assyrii, postea Graeci et Romani; denique cum Sponsa personam agat solum eorum, qui *vere* fuerunt Israelitae, in gente quoque hebraea inimici multi acerrimique inventi sunt, qui ad calamitates arcessendas plurimum contulerunt. Ab his igitur omnibus impedita Dei Sponsa officio divinitus commisso functa non est ita, ut optandum fuerat, « vineam suam non custodivit », denique turpem contraxit nigredinem. Et re quidem vera quanta in miseria post tot infestissimorum hostium vexationes, post iteratam « decimationem » (Is. 6,13) contempta gens iacebat Hebraeorum! Quam erat vinea non neglecta modo, verum etiam « ab apro exterminata » (Ps. 79,14)! Ipsius populi quanta discordia, quae degeneratio, quam mundanae spes atque cupiditates! Quidni igitur sponsa expostulet cum filiis matris suae? In se, ut diximus, nigredinem fatetur, at culpam negat esse suam, nec est, cur eam non prorsus innocentem putemus, id quod ex suavissimis eius desideriis ab initio concludere licuit. Est igitur Synagogae pars *fidelis,* quae loquitur, est Eccl. *illa,* quae ab apostolo sine ruga et macula esse dicitur. Sed fieri facile potuit, ut comites non eodem modo affectae externa nigredine nimium commoverentur, praesertim si ex gentibus allectae (ut interpretandum videtur) ad Eccl. iudaicam multis tenebantur praeiudicatis opinionibus. Quas Sponsa ubi admonuit, praeire eis precando pergit; licet enim sperare eas nunc facilius sublimia ipsius desideria capere posse.

V. 6 : « *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* » Impatientior iam morae absentem Sponsum, sed audientem rogat, ut ubi versetur indicet; « cursuram » se ad eum cum sociis, ut ante pollicita est, significat; sed « trahenda » est ab ipso, ut possit. Ardenter igitur obtestatur : « tu quem diligit anima mea », geminatque : « ubi pascas, ubi cubes »; vel aptius fortasse ad affectum *directa* oratione vertitur « ubi pascis »; certe quod sequitur : « ne », LXX μήποτε, id hebr. directe effertur : « nam cur... » (שֶׁ = שֶׁ; שֶׁלָּמָּה = אֲשֶׁר לָמָּה Dan. 1,10).

Typicae explicationis sectatores aut fatentur hic fictam rem allegorice interponi, aut puellam rusticam volunt nescio quo ridiculo errore Salomonem sibi fingere pastorem; id tamen eo facilius fieri potuisse putant, quod reges pastores populorum vocarentur. At hic, nisi allegoria admittitur, rex revera apud ipsos greges in umbrosa aliqua ripa vel silva meridiare dicitur. Allegorica interpretatio eo ipso, quod rex ille hic ut pastor proponitur, agnoscit coelestem Salomonem, cui saepe ea persona attribuitur : Ez. 34,11; Ier. 23,3 sq.; Is. 40,11; cf. Ps. 22 et Christi parabolam Io. 10. Itaque hic ille « pastor unus, servus Dei David » (Ez. 34,23), ipse Messias, designatur. Atque ex hoc facile cognoscitur, quomodo fieri potuerit, ut tam subito persona Uncti a Deo et Regis in personam Pastoris mutaretur; nam poetae fuit omnes praecipuas Sponsi proprietates ab initio describere, id quod praestitit, cum eum dixit *Christum* s. Unctum, *Regem* ditissimum atque amantissimum urbis *Ierusalem*, denique *Pastorem* vigilantissimum, qui ovium causa Sponsam quasi ad tempus relinquat. Non solum igitur Sponsa se ipsam, sed vel maxime Sponsum describit; estque poetarum usitatum artificium, personam dignitate principem, antequam ipsa in scenam prodeat, in hunc modum designare.

Timet Sponsa, ne, si incerta quaerere debeat, « vagetur » inter ceteros pastores, a quibus ignominiam potius quam utilitatem acceptura sit. Ita ex Vulg., Symm., Syr. Recentiores quoque nonnulli עָטָה pro טָעָה interpretantur. Sed quia id probari nullo modo potest, standum est voce usitata, quae sonat velare s. veste se tegere; velatio autem *pudoris* signum, ut saepe, vel *tristitiae*, ut Ez. 24,17. 21. Sic igitur loquitur Sponsa : « Cur sim sicut velata ob pudorem et tristitiam apud oves sodalium tuorum, cur non statim me ad te vocas? Ergo indica mihi... »

Sed « filiae Ierusalem » Sponsae ardorem nondum satis intelligentes, sibi respondendum esse putant, eaque dicunt, quae ex ipsis Sponsae verbis facienda esse concludunt : si Sponsus, inquiunt, apud

greges moratur, ut tu opinaris, agedum egressa quaere, sequere pastores v. 7 : « *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce haedos tuos iuxta tabernacula pastorum* ». Paratae sunt sine dubio eam comitari, ut 5,17 pollicentur. Cum autem vocant dominam « pulcherrimam mulierum » (item 5,9. 17) emendatas se eius admonitione ostendunt. Ipsa Sponsa quod in Vulg. et apud LXX « ignorare *se* » dicitur, non est ex eo concludendum, eam reprehensione dignam esse ac reprehendi. Nam ex hebr. vertendum est : « si ignoras tibi », ubi pronomen additum placidum animi motum et iucundam familiaritatem significat; fortasse non multum discrepat latinum « tu » adiunctum : « si ignoras tu ». Usurpatur autem idem saepe in hoc amoris cantico, ut 2,10. 11. 13. 17...

« Pastores » non sunt alii atque « sodales », quos modo Sponsa dixerat. De neutris hic oportet diu quaerere. Ut enim solent multi in eadem regione esse gregum custodes, ita *sola* potuit expolitio poetica imaginis afferre mentionem aliorum pastorum vel sodalium. Quodsi sit aliqua notio propria eruenda, pastores non boni, vel haeretici vel alii, intelligendi sint. Sed satisne aptum sit, hanc amantissimam Sponsam in ardentissima desideria metum erroris et perversionis miscere, dubito; nonne tantus videtur in ea aestus caritatis, ut potius ei dicere liceat : « Quis separabit nos a caritate Christi? » Et sane ipso modo, quo hic a sociis verba superiora repetuntur, demonstratur, non timeri periculum a pastoribus; iubent enim Sponsam ad illorum tabernacula *accedere*, ut *ibi* quasi inter *amicos* Sponsum inveniat.

Iubetur autem ita sequi, ut ipsa suos « haedos » pascat; haedos intelligere debemus non ut a feminis distinguuntur, sed collective de universo Sponsae gregiculo, aptiusque in hebr. et apud LXX femininum legitur : גְּדִיָּה, ἡ ἔριφος (latine « haedis » nullum respondet femininum; quamquam potuerant poni « capellae »). Cur non oviculae, sed capellae dicantur, id sine dubio ex aliqua poetica convenientia repetendum est; cf. capreas 2,7. 17; 4,1. 5; 7,3; 8,14. Fortasse maior eis teneritas et gracilitas tribuebatur, fortasse minor numerus caprarum visus est Sponsae magis congruere, fortasse saltus caprarum et maxime caprearum ad alacritatem referendus est.

Quod ad metrum attinet, vv. 6 et 7 (h. 7 et 8) quinis versiculis constant. Tota autem Sponsae oratio ita ordinatur (comitum responsionem includo) : $5 + 5 = 4 + 6 = 5 + 5$.

Atque haec de prima Cantici particula, quae est ante Sponsi adventum, dicta sint; protenus ad alteram, ne universa scena interrumpatur, transeo; infra minore scriptura addam, quae ad uberiorem et subtiliorem cognitionem desiderari possunt.

V. 8 : « *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea* ». Hic demum certum indicium offertur, Sponsum spectabilem adesse ; nam evidens est amicum amicam alloqui eumque accumbere (v. 11) et praesentem amicitiae signa dare (2,6). Unde et quomodo adveniat, non indicatur ; nimirum ut in evangelio Christus post resurrectionem repente occurrit apostolis et rursus se subducit, ita in hac poetica adumbratione Sponsi cum Sponsa commercii pro divinae naturae proprietate praesentia et absentia ponuntur, non ad communem hominum consuetudinem accommodantur. A principio longe fuit Sponsus, etsi ut Deus audiebat precantem, 1,8 inopinato se spectandum praebet, post 2,7 quasi valere non iubens discedet, ut iterum 2,8 accurrat. Species igitur quaedam efficitur scenicae actionis, in qua indicari discessus et accessus necesse non est ; verius autem fortasse in hoc *lyrico* carmine sic interpretabimur : virtutem *coelestem* Sponsi hac ratione praeclare significari. — *Modum* adventus fortasse e curruum mentione colligere licet, quam aliquid sibi velle hoc loco, praeter comparationem institutam, valde probabile est, quia ad ipsum colloquium, quod sequitur, nullo modo pertinet, immo ab eo aliena videtur. Itaque dicemus « currus Pharaonis » magnificentiae regalis argumentum esse, qua adventus Sponsi cohonestetur a poeta ; sic intelligo : Salomon coelestis quodammodo curru amplissimo vectus advenit s. per aera delabitur. Excludenda sane hic est cogitatio scenae *verae ;* sic enim subridiculam pompam haberemus Regis cum ipso curru in pulpitum irruentis. Sed in sola cogitatione poetica nihil absurditatis, ac potius aliquantum splendoris cernitur. Solet enim vel Deus vel omnino superorum aliquis, cum spectandum se dat in S. Scriptura, ad reverentiam sibi faciendam apparatum inusitatum adhibere. Notissimum hoc quidem. Neque vero solum terroris causa Deus « ascendit Cherubim » quasi currum suum (Ps. 17), verum etiam salutem « quadrigis » vectus affert (Hab. 3,8). Item hoc loco.

Qui autem sint proprie « currus Pharaonis », quaeritur. Pharaonis filiam essse Sponsam ob eamque causam illo modo loquendi usum esse poetam hodie plerique iam non dicunt ; sed generatim Salomonis optimos currus indicari volunt, quos vel ex Aegypto acceptos emptosve habuerit vel ad Aegyptiorum morem ipse construxerit. « Adducebantur enim ei equi ex Aegypto cunctisque regionibus » (2 Par. 9, 28), indidem erant sine dubio currus multi ex illa ingenti multitudine, quam possidebat (ib. v. 25 ; 3 Reg. 10,26. cf. ib. 4,26, hebr. 5,6) ; 3 Reg. 10,29 nominatim quadrigae pretiosae et equi ex Aegypto traductae dicuntur. Certe igitur « currus Pharaonis » eo quoque consilio positi sunt, ut de Salomone recordemur. Nihilominus alia quae-

stio est, sitne comparatio ista omnino de *vulgari* curru et equo intelligenda. Ab Horatio quidem et Theocrito puella equae confertur, sed id tamen fortasse allegorica Cantici explicatio non patitur.

Audiamus prius veteres, ut deinde ipsi sententiam dicamus. *Vulg.* habet : « equitatui », ut una equa pro multis collective usurpetur; item τὴν ἵππον apud LXX vetustissimi interpretes explicant (*Or.*, *Nyss.*, *Phil. Carp.*, *Theod.*), et potuit certe hebr. סוּסָה (Ios. 19,5, cf. 1 Par. 4,31) non minus quam סוּס (Ex. 14,9) ita usurpari; cf. etiam דָּגָה = pisces Gen. 1,26, Ex. 7,18. Sententia erit : « meo equitatui, quo vici et submersi currus Pharaonis » (in = contra). Exponit *Orig.* « Sicut tunc in Aegypto, cum Pharao persequens populum Israel processit in curribus et equitatu et meus... equitatus longe praecellebat currus Pharaonis et praestantior erat, utpote qui illos superaverit et in mare demerserit, ita et tu, proxima mea, sponsa, praecellis omnes mulieres similis effecta equitatui meo, qui Pharaonis curribus comparatus potentior utique est et magnificentior ». Vult autem currus Pharaonis mystice intelligi « animas, quae sunt sub illo spiritali Pharaone et spiritalibus nequitiis », et equitatum Domini, quicunque pro Domino pugnent (quales Elisaeus vidit adiutores 4 Reg. 6,17; cf. Hab. 3,8, Apoc. 19,11 sqq.), maxime « animas quae frenum disciplinae accipiunt ». Sed idem illam praepositionem « in » etiam ad vim eius propriam explicat in hunc modum : « Equitatui meo, qui fuit ante in curribus Pharaonis et nunc sequitur me in equis albis purificatus in lavacro vitae ». Ac similiter alterutro modo ceteri veteres hunc versum enarrant. — Alii sive allegorici sive non allegorici *par* equorum s. equos iugales (צֶמֶד סוּסִים) interpretantur et currus Pharaonis partim Salomonis esse putant, partim ipsius regis Aegyptiorum, comparationis causa tantum a scriptore nominatos. Ratio aliqua, cur סוּסָה collective explicemus, esse potest num. plur. in « curribus », sed haec ratio minime necessaria est. Nam 1,16 fere omnes בָּתִּים explicant de una (amplissima) domo, et alibi num. plur. genus designat, e quo unum aliquid definiendum est, ut Zach. 9,9 « pullum, filium asinae », hebr. asinarum; 1 Reg. 17,43 : « venis ad me cum baculo » hebr. baculis; Iud. 12,7 : « sepultus in urbibus », i. e. in aliqua urbe. Potest igitur aut, ut « currus » latine et ἅρματα graece, pluralis significare unum currum amplissimum, aut explicare licet : equae (meae) in *aliquo* curru Pharaonico. Recte autem dixeris saltem poeticam imaginem perturbari, si una Sponsa pluribus equis comparetur; interpretationes autem illas allegoricas « equitatus » esse longius petitas et verba hebr. sua sponte hanc reddere sententiam : « equae meae in meo curru Pharaonico te confero ».

S. Ambrosius « curribus Pharaonis » aliam vim tribuit ac solent veteres : « Velocium equorum cursui similitudo Ecclesiae comparari videtur... Pharao ut potentissimus rex et praedives habebat equos

potentes, unde et Scriptura dicit : *Currus Pharaonis* (Ex. 14,9) ». « Equae meae » (sic enim tum legebatur in latino) interpretatur collective « equitatum » ; id quod apparet in ipsius explicatione curruum opus non fuisse. Hoc alterum igitur mittamus, prius retineamus. Sic igitur explicare placet : « Currus Pharaonis » est magnificus Salomonis currus vel ex Aegypto emptus vel ad Aegyptiorum (Pharaonis) morem factus ; sed quia de coelesti Salomone agitur toto Cantico, hic quoque currus Pharaonicus *intelligitur* Dei magnificus et quasi regius currus. Itaque num. plur. pro singulari accipiendus est ; quod si non non placet, vertendum : in aliquo curru Pharaonico s. regio ; atque hoc eandem fere sententiam efficit[1]. Certe hic currus eius est, qui loquitur, i. e. Sponsi divini. Iam Sponsa, i. e., Ecclesia huius currus equa dicitur, non tam, quod huiusmodi animali similis sit — id enim, quamvis non sit a poetarum, orientalium potissimum, consuetudine alienum, parum tamen fortasse decet in hoc sacro Cantico — sed potius ob eam causam, quod summae sit dignitatis currum ducere Dei. Et simili modo Zacharias quoque propheta (10,3) « domus Iuda, inquit, posita a Domino quasi equus gloriae eius in bello » ; sed equus in bello sine dubio currum ducebat. Qui locus hoc quoque demonstrat, non oportere quaeri, cur equae, non equis Eccl. comparetur ; nam si quis forte recte affirmaverit, Pharaonis vel Salomonis curribus saltem binos equos iungi solitos, id tamen non illico transferri necesse est ad eum currum, qui hic dicitur Pharaonicus vel Salomonicus. Nec multum refert, equus an equa dicatur ; convenientia potissimum poetica fecit, ut Sponsa equae conferretur, etsi verum est saepissime ab antiquis equas ob pernicitatem adhibitas esse. Quodsi quaeritur, cur Eccl. non currus Dei vel currus cum equis vel exercitus Dei appelletur (cf. 4 R. 2,12 de Elia : « currus Israel et auriga eius », hebr. רִכְבָּהּ וּפָרָשָׁיו), responderi potest regiam Sponsam Cantici tamquam animam vel caput Ecclesiae a corpore distingui, ob eamque causam currum accipi posse ipsam *multitudinem* fidelium (« filias Ierusalem »), equam autem Sponsam et quasi reginam ; auriga iam sit ipse Deus sive Christus. Atque ita imaginem poeticam et accurate servare et digne interpretari videmur[2]. De reliquo constat, quam fuerit Salomon φίλιππος, et quanti omnino antiqui pulchritudinem equorum fecerint (Iob 39,19 sqq.), ut nihil mirandum sit hoc loco istam similitudinem usurpari. Quam-

1. Pharaonem interpretantur *regem*, vel *solem*, vel *portam regiam ;* quae omnia ad allegoriam apta sunt. Ergo *currus Pharaonis* est currus magnificentissimus et regius.

2. Quodsi cui huiusmodi imago displicet : recordetur in *Dantis* Purg. ipsum Christum hominem currum ducere Ecclesiae, qui est idem hic Dei currus.

quam plus quam similitudo exprimitur ; nam Sponsus amicam potius *eligit et assumit* sibi ad currum regium ducendum, *facit*que eam talem, ut formam habeat et virtutem huic officio congruentem : דמיתי = assimilavi, aequavi, feci ut esses.

Itaque pulchritudinem congruam ei, ut iam contulit, ita nunc etiam auget, v. 9 : « *Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis* », hebr. in funiculis s. catenulis, « *collum tuum sicut monilia* », hebr. in lineis s. monilibus; v. 10 : « *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento* ». Apte dicemus expoliri hic imaginem equae pulcherrimae, sed tamen sensim metaphoram deseri. In genis igitur et collo cum pectore insignis est pulchritudo et equi et hominis ; ornamenta quoque in equi capite et collo et pectore (phalerae, habenae) magis apparent, itemque in muliere (inaures, torques in pectus dependens). Sed aliqua huiusmodi ornamenta Sponsa dicitur iam gestare, alia mox quasi dotis nomine acceptura esse vel potius nunc ipsum e Sponsi manibus accipere (ut « faciemus » fere idem sit, quod « facimus »). Non enim tam in tempore, quam in genere ornatus, si collocatio verborum hebr. attenditur, cernitur differentia inter v. 9 et 10. In hoc altero aurum cum argento (ad illud distinguendum vel dispungendum varietatis causa adhibito) omne pretiosum complectitur, ut Num. 22,18 ac saepe; quae munera nova, pristinis ornamentis addita, quasi dotis loco amicae, quae iam futura est pleno iure sponsa, conferuntur. Sunt autem haec omnia symbola gratiarum variarum Dei, nam auro et argento comparantur *lex et sapientia* divinitus datae : Ps. 11,7 ; 18, 11 ; 118,72 ; Prov. 3,14 sqq. 8,10 ; 16,16 , eaedem capitis vel colli ornamenta dicuntur : Prov. 1,9 ; 3,22 ; 4,9. Quod Deus pluraliter dicit « faciemus », fortasse maiorem gravitatem orationi affert, quamquam licet hoc loco etiam intelligere « Dominum et Christum eius » (Ps. 2,2), vel Sponsum cum comitibus 5,1 ; 8,13.

Postquam his tribus versibus (metrice : sex versiculis) Sponsus honorifice salutavit amicam atque etiam donis ornavit, haec prorsus aequo versuum (vel versiculorum) numero amorem reddit, ut potest optime :

V. 11 : « *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* ». De rege tertia persona loquitur reverentiae causa, ut v. 1 et 3. Explicat autem quid nunc fiat, non quid aliquando factum sit; itaque « dedit » vim fere praesentis habet : exhalare coepit et exhalat; item « esset » (quod in hebr. deest) rem praesentem significat, quae modo coepit esse : ubi accubuit et dum accubat. Nam sine dubio v. 12 « commorabitur », quod certe vim praesentis habet, non potest ad tempus diversum referri, quia diversitatis signum manife-

stum non est. Ergo modo rex a latere Sponsae consedit (מְסִבּוֹ = consessus, cf. נְסֹב = discumbemus 1 Sam. 16,11). Fingitur autem quaedam convivii species, cf. 2,4, et tamen nondum, ut 5,1, perspicue invitantur omnes, ut fruantur paratis. Quare, etsi praesentes sunt « filiae Ier. » et fortasse amici Sponsi (tamquam perpetuus comitatus), nihilominus hic non debemus magnopere attendere nisi Sponsum et Sponsam. Haec autem, ut solebat fieri per omnem festam occasionem, nardi vasculum (« olfactoriolum » Is. 3,20) in caput Sponsi regii effudit, unde odor usque quaque exhalatur, id quod in evangelio factum legimus Bethaniae Marc. 14,3 ; Ioann. 12,3.

Sed quasi statim contemnat sui unguenti suavitatem, dicit a Sponso multo exquisitiorem sibi afflari v. 12 « *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter uberà mea commorabitur* ». Non flores myrrhae aut folia, sed rursum sucum herbae intelligere oportet (resinam corticis), ut modo oleum nardi, fasciculum autem sacculum in sinu gerendum. Ipse igitur amicus totus suavis est et fragrans *donis coelestibus* (cf. v. 2). Nam haec odorum symbolo designari et similiter toto hoc loco omnia metaphorice interpretanda esse, in allegorico carmine manifestum est, etsi singularum rerum propriam significationem exquiri non oportet. Insigne autem artificium in eo cernitur, quod constanter impropria verba adhibentur, ne allegoria interpelletur. Huc etiam quodammodo pertinet, quod dicitur « inter ubera... » ; id enim ad similitudinem fasciculi proxime spectat, apteque verti potest : « fasciculus *qui* inter ubera... », nec *directe* ad « dilectum » referri debet. Nam fasciculi solent in pectore gestari, sed Sponsum toto hoc loco inter ubera reclinatum fingere, dedecet; 2,6 demum verecundus amplexus tamquam summum caritatis signum describitur.

Similis est v. 13, cuius altera pars item ad rem comparatam, non ad Sponsum directe refertur : « *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi* ». Alium comparat odorem vivi floris pulcherrimi, cuius spica botri sive uvae speciem offert. Qui oriundus videtur e Cypro insula, certe eodem nomine vocatur ab Hebrais et Graecis (כֹּפֶר, κύπρος), arab. al-henna, botan. Lawsonia. Engaddi urbs prope mare mortuum ad occidentem versus posita ob amoenitatem etiamnum celebratur. Ergo id, quod novit pulcherrimum, Sponsa ad laudandum dilectum asciscere videtur. Iterata autem comparatione et dilecti appellatione repetita crescentem amorem declarat, et *suae* nardi suavitatem (quae natura sua minus acris est quam myrrhae et cypri floris) ipsa modestissime obruit iis, quae de Sponsi suavitate praedicat.

Sequitur pulcherrima *concertatio* amantium brevibus quibusdam

exclamationibus comprehensa. V. 14 « *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum* », hebr. columbae. Commoti animi proprium est pauca incisim et iterum eadem iactare potius quam loqui, item audacius comparare ut hic in hebr. « oculi columbae (sunt) ». Maius commotionis indicium est in metrica versiculorum divisione (minime negligenda) : vox « columbae » e secundo versiculo redundat in tertium, et post eam statim in medio versiculo Sponsa Sponsi orationem interpellans excipit, similia similibus reddens v. 15 : « *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus* (hebr. : atque lect.) *noster floridus* ». Hic quoque metrice « atque » (ante « lect. ») claudens versiculum celeriorem facit ad proxima transitionem. Quod lectulus (= stratum) dicitur floridus (hebr. viridis), id ostendit sub dio in amoeno aliquo loco versari amantes; quo pertinet etiam v. 16 « *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina* ». Nam in hebr. est « cedri, cypressi ». Cogitatur hic domus Ecclesiae non e lapidibus lignisque opera humana, sed e vivis cedris cypressisque manu Dei exstructa. Qua re efficitur, ut toto hoc loco iucundissima sit metaphorarum convenientia; nam in viridi gramine collocatos amantes in templo ut ita dicam naturae de odoratis herbis, de floribus, de arboribus (cf. etiam 2,1. 2. 3. 5) colloquuntur. Simul dignissimum Eccl. est templum tantae amplitudinis et pulchritudinis ab ipso Sponso factum. Isaias 60,13 Ecclesiae N. T. Dei verbis pollicetur : « Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meae », quae omnia figura sunt summae amplitudinis et pulchritudinis. Unde etiam elucet, hunc v. 16 (etsi manifesta indicia non sunt) aptius Sponso magnificentiora largienti, quam Sponsae modeste locorum amoenitatem praedicanti attribui; et concinnitas alternorum sermonum ita melius servatur. Nam 2,1 « *Ego flos campi et lilium convallium* » rursum modestiam spirat Sponsae; quasi indignam enim se existimans tanta magnificentia humilia loquitur, ut modo stratum gramineum, sic nunc flosculum agri et lilium vallium. Praemittit « ego » (אֲנִי), ac si dicat : At quid ego? Nonne flosculus agri tantum? Multi hebr. vocabulum pro « campo » verbum proprium existimantes vertunt florem Saron, quod ad sententiam nihil mutat, quia Saron planities inter Caesaream potissimum et Ioppen appellabatur. Ut 1,4, ita hic Sponsa se quidem ipsa laudat, sed tam modeste, ut a Sponso quodammodo corrigatur v. 2 « *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* ». Si lilium es, inquit, una omnium pulcherrima tamen inter filias Adam tu es et quasi lilium in mediis spinis effulges. Atque in hunc modum oratio a loci descriptione suaviter ad personas et laudem mutuam revocatur.

At Sponsa verecundissima, ut tam exquisita blandimenta declinet, iam flumine quodam laudis Sponsum cumulat et dona potissimum ab eo accepta grata commemorat v. 3ª : « *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios* ». Reddit hic primum laudem acceptam oratione simillime conformata; sed cum Sponsus *decorem* tantum lilii opposuerit asperitati spinarum, ipsa malum *frugiferam* confert cum « lignis » sterilibus silvarum. Utilitatem igitur, non solam pulchritudinem comparat. Itaque pergit 3ᵇ « *Sub umbra illius quem desideraveram* (hebr. sine « quem ») *sedi,* i. e. libens consedi, *et fructus eius dulcis gutturi meo.* Non sinit Sponsum rursum respondere, sed gaudio incredibili perfusa sola pergit loqui usque ad finem (2,7); poeta cum et hic et ab initio tam multa verba *soli* tribuit Sponsae, ostendit, se huius potius quam Sponsi sensa hoc carmine voluisse exprimere, id quod probe meminisse oportet. Sed quoniam fructus optimus s. donum praestantissimum Christi *caritas* est, huius vero symbolum proprium est vinum (1,1; 5,1; 7,8. 9; 8,2), Sponsa metaphoram metaphorae addit v. 4 « *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem* (hebr. vexillum eius super me caritas; S. Hier. « ordinavit » posuit pro « ordinatio eius »; nam דִּגְלוֹ « aciem ordinatam » intellexit, ut נִדְגָּלוֹת certe intelligendum est 6,3. 9; LXX discrepant, v. p. 422). Deinde utrumque donum iungens animi sui desiderio solatia flagitat v. 5 « *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* », hebr. : reficite me libis s. placentis *uvarum,* iuvate me *malis*... Iuncta videmus uvas et mala etiam 7,8. Neque eiusmodi translationum compositio abhorret ab Hebraeorum more et in allegorico carmine minus etiam offensionis habet, quia in translata historia iam non res verae, sed notiones intellectu conceptae, quae facilius inter se conciliantur, exprimi scimus. Nam hoc ipso loco vinum et mala allegorici necessario interpretantur metaphorice; notiones autem significatae multo magis finitimae sunt inter se quam ipsa symbola; cf. quot res diversae 5,1 coniungantur.

Typicae et historicae interpretationis sectatores viderint, quomodo possint ista omnia apte explicare idque toto hoc loco. Nam 1,11-13 quod rustica pauperque puella (sic volunt recentiores) aut habet secum aut saltem tamquam familiares similitudines adhibet — utrum horum dicendum sit, non consentiunt — nardum, myrrham, cyprum, id certe minime convenit; allegorici facile ostendunt usitatas has esse metaphoras, quibus gratiae virtutisque suavitas describatur : Ps. 44,9; Eccli. 24,20 sqq... Similiter quomodo 2,2 *praesentibus* comitibus, vel ut volunt plerique, gynaecei regii mulieribus Sponsa lilium inter

spinas apte vocetur, si haec historice intelligenda sunt. Sed haec expediuntur facile in allegoria (de lilio cf. Os. 14,6, de spinis 2 R. 23,6; Is. 7,23-25); vide etiam similem ipsius Ecclesiae N. T. descriptionem Is. 35,1 sq. Porro 2,3 coguntur tamen ad metaphoram confugere, idem aliqui faciunt 2,4, quia nimis absonum est puellam in « domum vini » (hebr.) induci; sed mirum! v. 5 iidem rursus veras placentas et vera poma requirunt, quia puella amore languescens viribus relinquatur! Quis non videt id satis ridiculum esse? Allegoricis uti licet Eccli. 24,17-19, ubi Sapientia arboribus pulchris et frugiferis comparatur, et Prov. 9,1 sqq., ubi eadem Sapientia vino reficit convivas suos. Et languor quoque amoris viriumque defectio in allegoria apte ponitur, non modo quia causa eius dignior est (ut in vitis Sanctorum aliquando usu venisse scimus), sed maxime propterea quod huiusmodi metaphorae non ad sonum litterae, sed per modum exaggerationis poeticae explicandae sunt (v. supr. p. 379). Denique ipse iam v. 3, magis autem 6 « *Laeva eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me* » (vel : amplexatur) in historica interpretatione molliter aut turpiter amatorius est; non pauci hic ipsos etiam amplexus coniugales intelligunt. At in allegoria, cum Christus Ecclesiae supponit sinistram eamque dextera complectitur, ne umbra quidem indecori cernitur; cf. Prov. 4,8.

Postremo metaphorice enarrandus omnino est v. 7 « *Adiuro vos, filiae Ierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit* ». (hebr. « cervas » et pro *dilecta* « caritatem ») Typica et omnis historica interpretatio hic dormientem habet Sponsam. Unde somnus? Si ex virium languore, quid habet sententiae, non esse Sponsam suscitandam? Sin aliter somnus obrepsit, sententia carebit saltem, quod sequitur : quoadusque ipsa *velit*. Sin tantum *ecstasis* quaedam amoris est, ecce tibi iam allegorica interpretatio somni. Quae sane recte explicari potest ex Ps. 4,9; Ier. 31,26; Prov. 3,24, ubi somnus indicium est quietis in Dei amore ac tutela. Nota est autem consuetudo omnium, secessum quendam mentis in Sanctis cum somno comparandi. Itaque Sponsa iam in somnum contemplationis inducitur, qui idem est quaedam ebrietas spiritualis (cf. de metaph. Ps. 35,9; Eccli. 32,17) et virium corporis sensuumque sopor. Terminatur igitur rectissime hoc loco scena, cum ad summum adducta sit actio et sua sponte conquiescat; sedatur illud desiderium, quo Sponsa ab initio incensa fuit; tenet eum, quem quaesivit, et abundantia caritatis fruitur.

Abrepta autem quodammodo in paradisum audit verba arcana, a quibus strepitus mundanus quam longissime arcendus est. Quam-

obrem monentur filiae Ier., quae nec tanta caritate ardent nec pari gratia dignantur, ne quid impedimenti afferant, donec tempus breve illius ecstasis effluxerit. Sed hic quaeritur, quis moneat. Quia in Sponsa quaedam *somni* species proponi videtur, plerique ea verba « Adiuro... » Sponso attribuunt. Rursum quia pro « dilecta » in hebr. est « caritas », potest videri ipsa Sponsa loqui, quae 5,8 simili utitur « adiuratione ». Res dubia est; mihi posterior sententia magis probatur, quia 1) eadem, quae versum 6 pronuntiavit, apte pergit monere, ne quietem contemplationis, in quam iam iamque intrat, perturbent comites; neque enim hic de somno *naturali* agitur, qui sopitis paullatim sensibus non animadvertenti obrepit; minime igitur mirum, Sponsam tanta circumspectione uti eo ipso fere puncto temporis, quo contemplatione abrepta omnino conquiescit; — deinde 2)non videtur in ipsius, sed in Sponsi divini potestate esse, *quamdiu* hac dulcissima quiete frui liceat. Quare « caritas », ut mihi videtur, non tam dilectam s. amicam designat, quam ipsam divinam Caritatem, quae in eam illabitur eamque abripit in sublimissimam contemplationem; monet igitur Sponsa, ne quid obiiciant comites, quo offensa divina Caritas *citius* discedat; — 3) eadem verba 3,5 aegre possunt Sponso tribui, qui in ea scena nihil loquitur aliud; de 5,8 iam dixi. Satis autem consentaneum est, Sponsam et hic et 1,4 et postea, *quoties* appellantur « filiae Ier. », eodem matris et praeceptricis officio fungi. Quod autem per animalia agrestia illas obtestatur, congruit iis, quae dicta sunt 1,15. 16; 2,1-3; capreae congruunt aliquatenus capellis 1,7 (ubi Vulg. habet « hoedos », ut hoc loco « cervos », sed hebr. « cervas » aptius est).

Metrice hic v. 7 quinque versiculis constat ita inter se copulatis, ut unus circuitus verborum paullo longior, qui Sponsae commotioni convenit, efficiatur.

Postremo quaerat quispiam forsitan, itane prorsus, ut explicatum est, potuerint ista intelligi a *Salomonis aequalibus*. Respondeo : ita *fere*. Sane propheticam orationem ante eventum obscuriorem esse nemo negaverit. Deinde allegoricum carmen sua natura obscurum est, antequam *totum* lectum ac diligenter pertractatum sit. Accedebat autem sine dubio (ut apud nos Ecclesiae traditio) notitia aliqua ab *ipso poeta* in vulgus emissa de vero Cantici argumento. Maxime obscuri erant vv. 4. 5 primi capitis, nisi imminente iam manifesto, ut suspicamur (cf. p. 342), theocratiae ruina hic liber scriptus est. Cetera fortasse ob nimiam Sponsi liberalitatem admirabiliora illis antiquis videbantur.

Ratio metrica a 1,8-2,7 : $6 + 6,2^1/_2 + 2^1/_2,4 \times 2,4 + 5 + 5$. Quae-

dam hic quoque cernitur stropharum responsio, sed solutiore lege constructa, ex quo 2,3[b] omissa concertatione mutua Sponsa sola loqui pergit. Ac sufficiant haec pro exemplo artificii metrici.

Itaque haec prima pars carminis, sive sententias spectes, sive verba, sive poeticam exornationem, facillime ac felicissime explicatur, dummodo ad allegorici carminis rationem omnia interpretemur, praeterea autem nihil, quod proprie sit dramaticum, Cantico affingamus neque personarum numerum multiplicemus. Perspicue autem cognoscitur, quam non necessario plerique alios interpretandi modos exquirant. Immo vero in quot se difficultates induant, qui praeter mysticam sententiam veram historiam proponi putent, ex iis, quae ea de re significavimus, intelligere licet; fatendum est, *nullam* hactenus relinqui *veram probabilitatem* typicae explicationis, idemque iam nunc de carmine reliquo coniectura praecipere debemus.

Nunc aliqua primum de *personarum* numero deque earum mutatione addere placet. Et numerum quidem eum secuti sunt veteres plerique, quem bene describit *Orig.* (hom. 1) in hunc modum : « Quot ex personis constet [Canticum], incertus sum [fatetur igitur aliquam difficultatem]. Orantibus autem vobis et revelante Domino quattuor mihi in his videor invenisse personas, Virum et Sponsam, cum Sponsa adolescentulas, cum Sponso sodalium greges... Haec omnia noli foris quaerere, noli extra eos, qui praedicatione evangelii salvati sunt. Christum Sponsum intellige, Ecclesiam Sponsam sine macula et ruga... Eos vero, qui cum sint fideles, non sunt tamen istiusmodi..., sed iuxta modum quendam adepti videntur salutem, animadverte credentium animas et adolescentulas esse cum Sponsa. Angelos vero et eos, qui pervenerunt in virum perfectum, intellige viros cum Sponso. Inde igitur mihi videntur quattuor ordines; unum et unam, duos choros inter se concinentes, Sponsam canere cum iuvenculis, Sponsum canere cum sociis. » Sodales Sponsi commemorari 1,6. 7 iam vidimus, alios infra videbimus, possunt etiam comprehendi inter « filios » 2,3, quia certe verbum « filiarum » 2,2 etiam complectitur comites Sponsae praesentes.

Sed quidam tamen veteres multiplicaverunt personas. Ac primum quidem Sponsam ab initio paene omnes voluerunt esse Synagogam. Id si ita fit, ut illa Synagoga intelligatur, quae reprobavit lapidem angularem Christum (Act. Ap. 4,11), haec est vera multiplicatio personarum; sed eam opinionem omnino falsam putamus. Scripsit *Smits* ad 1,9 : « Repudiata Synagoga se divinus Sponsus ad Eccl. novam, ex gentibus potissimum collectam, convertit ». Sed mutatae personae nullum vestigium in verbis est; nec ille v. 6 recte de magna culpa Sponsae in hunc modum loquitur : « Pudeat Sponsam ignorare locum Sponsi et de eo quaerere, quod aliunde perspicuum est; hoc enim summae neligentiae est et tepidi amoris signum ». Nec v. 7 *repudiatio*, ne in Vulg. quidem significatur; immo Sponsa etiam hic blande

appellatur « pulcherrima inter mulieres ». Sed *Sm.* tantum illi opinioni tribuit, ut duas partes Cantici distinguens priorem appellet « repudium Synagogae » (de reliquo Bossuetii septem dies nuptiarum amplectitur).

Alia est communis illa apud antiquos interpretatio, ut Synagoga sit ea, quae nato Servatore in Ecclesiae formam mutetur, nec nova persona proprie sit, sed ad novam conditionem transeat. At ubi in carmine significetur transitus, ne ipsi quidem consentiunt.

Non pauci statim medio versu primo advenire Sponsum statuerunt; velut *Theod.*, *Orig.* secutus, ita scribit : « Sponsae haec dicenti Sponsus illico apparet atque implet promissum illud : Adhuc loquente te ecce adsum (Is. 58,9). Sponsa vero Sponsum optatum intuita obstupescit... et clamat : Meliora... » Inter Latinos v. g. *Apon.* idem dicit. Sed *primum* verisimile non est desiderium Syn. tam breviter absolvi; neque pro argumento afferri debet, quod 1ᵇ Sponsum praesentem alloquatur (« tua »), cf. v. 3 « introduxit » — « in te ». *Deinde* v. 6. 7 abesse dicendus est is, quem Sponsa ita desiderat et quaerit. *Theod.* haec quidem explicat de Ecclesiae timore, ne quando, meridiano tempore, in haereticorum greges incurrat : « Sollicitudinis plena locum exquirit, ubi Sponsus cum ovibus meridietur, ne in eorum, qui sodales Sponsi se profitentur, greges incidat »; id quod hoc loco alienum est. Et discrepat v. 7, ubi ille vult Sponsum iubere Ecclesiam apud *sanctorum* tabernacula quaerere *peccatores* (pascere haedos); sed, etiamsi hoc dici posset aptum responsum, tamen non concedendum esset, « greges sodalium » (v. 6) et « vestigia gregum », « tabern. pastorum » tantum inter se differre. *Tertio* illud « trahe me » v. 3 praesente Sponso absonum esset; Graeci quidem legerunt « traxerunt te » (εἵλκυσάν σε). Sane S. *Greg.* verba Vulg. de ope gratiae spiritualis *sola* intelligit, quae in animi, non corporis motu tota versatur; sed id poetica ratio dissuadet, cum nihil *aspectabile* oculis offerat, atque ita hic versus a ceteris omnino discreparet; non possumus autem satis monere, nobis poetam hic, non theologum enarrandum esse.

Rursum alii complures ad verba « trahe me » Ecclesiam N. T. inducunt. *Bedae* verba (exscripta etiam a *Thom. Cist.*) haec sunt : « Hucusque Synagogae vox est, h. e., illius plebis, quae incarnationem Salvatoris fide devota praecessit, quae in principio carminis prophetis eum longo tempore praedicantibus respondit : Osculetur..., i. e. appareat ipse et ore ad os loquens exempla mihi vivendi ac dona largiatur. Deinde versiculis sequentibus, qualia ipsa eius dona essent, quantum animabus castis diligenda, signavit. Hinc Ecclesiae vox subinfertur, i. e. eorum qui post tempora incarnationis illius ad fidem venerunt. Illa enim prius Dominum venire ac osculum sibi pacis afferre precata est; haec eum iam venisse in carne iam ad coelos redisse sciens... eum ad coelos sequi desiderat ». Sed cur ista verba « trahe me » ad coeli desiderium referamus, ratio nulla est; neque ullum indicium mutatae personae reperitur. — Complures sunt interpretes, a quibus non perspicue indicetur, quando vel Sponsa Ecclesiae personam induat vel Sponsus accedat.

Rectius posteriores quidam non loquuntur nisi de Ecclesia N. T., ut S. Thomas; nihil enim indicat, non statim ab initio eam, de qua totum re-

liquum carmen est, i. e. Ecclesiam, Christum iam incarnatum alloqui. Ne admiratio quidem repentini adventus usquam exprimitur; quae praeteriri quomodo potuit? Et v. 8 sqq. sine dubio adultus cum adulta loquitur, neque *prima* Sponsae electio significatur. Multo minus ipsius incarnationis mysterium ullo verbo attingitur. Itaque displicet, quod *Schaef.* nihil aliud nisi hoc ipsum toto loco describi censet, nec illud probatur, quod alii Christum statuunt vel v. 1 in mundum venire vel v. 3 iam ad coelos ascendisse. Ergo poeta nos in *medias* rapit res : Christum adultum cum Ecclesia iam adolescente inducit colloquentes, deinde autem inter scenas singulas, (ut hic a 1,1-2,7) omnino *continua* est actio.

Sunt qui alteram partem primi versus non Sponsae desideranti, sed Christo tribuant, ut *Fol.* : « Desideranti respondet : fiet quod postulas : Quia meliora... » Studuit, ut videtur, « ubera » aptius explicare; sed « quia » (כִּי) hic difficilime intelligitur, et alia complura obstant.

Neque satis recte quidam Christum ab ipso initio carminis praesentem facere videntur, id quod plane dicit v. g. *Calm.* : « Sponsum veluti tertium aliquem alloquitur Sponsa maioris obsequii ac pudicitiae gratia, quamvis coram adesse Sponsum ea, quae sequuntur, satis docent ». Nam propter « trahe me » et propter vv. 6. 7 et quia Sponsa vv. 4. 5 comites, non Sponsum, alloquitur, existimandum est, Sponsum v. 8 advenire; estque pulcherrimum certe illud *absentis* desiderium, a quo complures partes huius carminis principium ducunt 3,1 sqq. 5,6 sqq.); item ab *exspectatione* rei novae orditur poeta 3,6; 6,9; 8,5. Adventus autem subitus, 1,8, ubi Sponsum advenisse verba declarant, similis est atque eiusdem Sponsi adventus 2,8; 5,2. Nihil igitur nostra interpretatio habet, quod non prorsus congruat ei rationi, quam scriptor in reliquo carmine sequitur. Unam difficultatem, quae ex verbis « introduxit me rex » derivari potest, satis videmur in commentando solvisse; immo vero hic locus aliter explicari non *debet* nisi de re futura. Quomodo enim, si iam v. 3 Sponsa tanta Sponsi gratia potitur, apte adiunguntur vv. 4. 5 et porro 6. 7? Nonne totum id iam haberet Sponsa, quod 2,4 sqq. narratur? Propius ad id, quod volumus accedit *Sanct.* ad 1,8 : « Hic primus coniugum congressus in hoc Epithalamio ».

Facile intelligitur cur veteres, qui Sponsum ante v. 8 intervenire censerent, v. 7 Sponso assignaverint eiusque verbis (legebant enim ἐὰν μὴ γνῷς σεαυτήν, « si ignoras te ») reprehensionem vel minas contineri dixerint. Si abest Sponsus, sua sponte elucet, ea verba esse « filiarum Ier. ». — Adolescentulis multi tribuerunt, quae v. 3 plurali numero enuntiantur; non necessario, quia, quemadmodum Boss. explicat, « Eccl. et una est et plures omnesque animae in eam unitatem concurrunt, et sublimes animae [has designari Sponsae persona non male opinatur], ut Petri, ut Pauli, valide tractae, aliis verbo et exemplo pertrahendis inserviunt ». Has alias nos quoque « inferiores » animas intelligimus; cuius rei rationem p. 437 reddidimus. Hic addimus, a nonnullis non easdem « adolescentulas » existimari ac « filias Ier. ». Sed manifestum videtur adolescentularum nomine vel imprimis « filias Ier. » comprehendi; cur enim non maxime vel-

let Eccl. cum *comitatu* suo, i. e. fil. Ier., currere post Sponsum et in eo exsultare? Non recte igitur *Theod.* ad 1,4 : « Haec non iam adolescentulis arbitror a Sponsa dici; sed illis, quae in lege gloriantes et Vetere Testamento elatae sibique placentes exprobrant ei non solum quod alienigena sit ac peregrina, verum etiam quod daemones ante coluerit ». Idem fere dixerat *Orig.;* sed ad 2,7 iam uterque illas easdem dicit filias *coelestis* Ierusalem. Haec repugnant inter se. Sit autem hic generatim dictum in huiusmodi rebus singularibus optimum quemque inter veteres magis spectasse, quid cuique *versui*, quam quid universae *disputationi* consentaneum videretur. Quod ut alio exemplo breviter illustrem : iidem illi clarissimi scriptores cum ab initio Sponsam dixissent esse Synagogam, quae Messiam exspectaret et praesentem intueretur, tamen eo loco, quem modo dixi (1,4), Sponsam vocant Ecclesiam *ex gentibus*. E qua inconstantia facile cognoscitur, illos saepe magis in accommodatione, quam in explicatione verborum versari.

A 1,8 multo maior est consensio interpretum. Sed 1,16 et 2,1, quia persona non aperte signatur, variae sunt opiniones. 1,16 plerique Sponsae esse dicunt, et est aliqua ratio iungendi descriptionem domorum et lecti; sed non minus in amoebaeo s. alterno carmine convenit, respondentem addere aliquid ad alterius laudem, atque ita Sponsa v. 15 addit aliquid de lecto et Sponsus v. 16 addit domorum magnificentiam. Rursum 2,1 plerique veteres Christo attribuunt (an propter « Ego » cum quadam gravitate adiunctum?); sed quia 2,2 omnino responsi rationem habet, minus recte priora eiusdem personae esse dicemus. Rectius hunc versum *Nyss.* et *Phil.* Sponsae et *Orig.* 1,16 Sponso assignat. Magna autem pulchritudo dictionis exsistit, si eam versuum dispertitionem sequimur, quam a *Schaef.* mutuati supra defendimus. Nec vero displicet, quod *Nyss.* et *Phil.* 1,15-2,1 Sponsae esse censent; nam ante 2,2 nullum est *manifestum* signum alicuius interpellationis. Nihilominus a 1,16 ad 2,1 asperior est transitio, si utrumque eadem loquitur.

Paullo maioris momenti est dissensio de 2,7. Ac primum quidem *Graeci* (itemque S. *Ambr.*) decepti particula ἐάν (si = אם) putarunt admoneri « filias Ier. », ut excitarent caritatem vel in se ipsis vel in Sponso vel in Sponsa; sed partic. conditionalis in hebr. negandi vim habet, ut locis similibus etiam apud LXX (Ps. 88,36; 131,3), recteque ad sententiam in Vulg. « ne ». Quod *Latini* sequentes, personam loquentis mutaverunt, ut Sponsus, non Sponsa, moneat, ne qui strepitus excitetur. Quae sententia longe communissima est. S. *Iust.* tamen *Urg.* Sponsam haec dicere statuit, quod nolit alienis, sed suis consiliis ad amorem excitari, ut hic magis sit voluntarius : « Tunc dilecta, quoadusque velit, nullo modo suscitatur, quando sanctorum vota voluntate *spontanea* Domino offeruntur. » Diximus, cur nobis videretur ipsa Sponsa ista loqui, maxime quidem ob clausulam v. 7; cur enim Sponsa unquam vellet abrumpere dulcissimam cum Sponso familiaritatem? Estque satis consentaneum, non Sponsum, sed Sponsam (ut 1,4; 3,11; 5,8. 16, sic etiam) 2,7; 3,5; 8,4 alloqui comites imperfectiores; sola enim dicitur 1,3; 2,4; 6,8; 8,1 sqq. « amicae » principalis locum obtinere, sola loquitur pro

omnibus 1,2. 3; quid mirum si Sponsus vix videatur rationem habere comitum? Neque eum illae usquam alloquuntur, sed nude Sponsae dilectum vocant, quasi sibi nulla cum eo familiaritas sit : 1,7; 5,9. 17. Servavit eandem legem Ps. 44, ubi una a dextris Sponsi sola audit verba admonitionis (v. 10 sqq.), « filiae » *post eam* adducuntur regi et huic laborando serviunt (v. 15. 9 sq.).

Sed huius psalmi similitudo suadere forsitan possit, ut *poetam ipsum* quosdam versus suo nomine pronuntiare censeamus. Ut enim in psalmo poeta regem bis, semel Sponsam alloquitur, ita non inepte in Cantico e. c. 2,7; 3, 6. 11 poetae assignari dixeris. Nihilominus quoniam haec dubia sunt nec usquam poeta *aperte* aut Sponsam aut Sponsum affatur, satius est novam personam non inducere; ita forma carminis erit etiam artificiosior. Haec igitur magna differentia est psalmi et Cantici, quod hic scenici carminis instar omnia solis collocutionibus personarum, quae semel inductae sunt, peraguntur.

Iuvat autem hoc loco videre, qualem illum somnum vel potius illam quietem Sponsae veteres descripserint, ne quis eam ipsam quoque neget potuisse isto modo comites alloqui. *Theod.* igitur ad 2,4. 5 ita disserit : « Cellam vinariam, ut arbitror, divina vocat torcularia, de quibus propheta : Quam dilecta tabernacula tua, Domine... Cum enim psalmum (83) *pro torcularibus* inscripsisset, haec subiunxit significans torcularia a se vocari Dei Ecclesias, in quibus spirituale vinum expressum et quasi calcatum laetitiam impertit piorum animis ». S. *Greg.* : « Sancta anima Sponsa Christi a cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit; in sinu Sponsi *sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit*, ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat... Sed hanc dormientem carnales, qui sunt in Ecclesia, nonnumquam importune excitant. » Et *Bed.* : « Qui electi cuiuslibet mentem vel in orationibus devotis Deo loquentem vel in sacris lectionibus divina mandata sive promissa meditantem importunus impedierit, Sponsam utique Christi de *sopore beato* excitat. » Somnus igitur hic non de mentis potestate deiicit, sed talis est, in quo « cor vigilet » (5,2); opponitur illi *actioni*, qua vel nostram vel aliorum utilitatem externam quaerimus. Non est igitur, cur 2,7 non tribuatur Sponsae.

Transeo nunc ad illa artificia refutanda, quibus scenicae actionis non speciem aliquam, sed vel similitudinem maximam vel etiam iustam omnino propriamque formam efficere studuerunt. Primus error hic fuit, quod historiam (litteram, imaginem) *separatim* ab allegoria instar dramatis enarrare aggressi sunt, id quod idcirco vitiosum est, quia *solius* allegoriae causa (simulata) historia ascita est; quae *coniuncte* et a poeta excogitata scriptaque et nobis concipienda est. Sed ubi primum solam historiam attenderis, alia erit continuo etiam *vocabulorum* notio aut saltem periculum praesens ineptae interpretationis. E. g. statim initio *si nihil cogitamus nisi puellam* aliquam inter multas et cum multis ardenter concupiscere regis oscula et inductam esse in penetralia (cellaria) domus regiae : illico gynaeceum cuiuspiam orientis dynastae menti obversatur, cui notioni ingens turpitudo adhaeret. Id evitari non poterit, quocunque te verteris, nisi *statim* adiuncta

Christi, Ecclesiae, piarum animarum cogitatione omnem spurcitiam longissime removeris. Item ab 1,11-2,7, si ad tempus quantumlibet breve solum humanum amorem cogitaveris, non poterit non sensus titillare species amatoriae lasciviae; nam inter flores et unguenta et mollia colloquia Sponsus primum acclinatus uberibus Sponsae cubare (1,11 sq.), deinde in lectulo gramineo quiescere (1,15), porro omnem dulcedinem ei quasi propinare (2,3. 4), denique languentem amore ipseque sine dubio non minore amore commotus complecti videbitur. Num istae cogitationes decere sacram poesim dicemus? At nihil est, quo eas arceas, nisi toto loco *severe*, ut oportet, tenueris allegoriam nec ultra quam necesse sit ad historiam oculos mentis deflexeris. Ubi autem minute persequi imaginem coeperis, etiamsi non indecora, facile tamen saltem subridicula dices. Id optimo cuique scriptori, ex quo illa historica enarratio adhibita est (etiam allegoricis, qui quidem *speciem* historiae curiosius exquirebant) usu venit. Ut exemplo utar, ipse *Corn. a Lap.*, prudentissimus interpres, ad 2,7 ita scribit : « Sponsa amore languens incidit in somnum et animi deliquium, tota abrepta in desiderium Sponsi [satis hoc fuerat, sed persequens imaginem subabsurde addit] : Quare ab adolescentulis in *lectulum delata* in eo obdormiit. Sponsus ergo socias eius adiurat, ne ab hoc sancto suavique somno eam suscitent, sed in eo conquiescere sinant, donec ipsa sponte evigilet; qua adiuratione ostendit, quam sibi hic amoris somnus placeat. Amoris enim languor est dulcis amoris somnus. Quare in somni huius lectulo *mansit egitque et dixit* omnia quae sequuntur hoc capite ad finem; nam cap. seq., puta 3,1 ait ipsa : In lectulo meo..... » Fingit igitur in ipsa allegoria somnum verum et lectulum, in quo Sponsa languens deponitur et sat diu quiescit, loquitur, agit. Quis haec ferat? Sed unde ista? Ex illa perversa opinione, prius [ponuntur enim ista *ante* « Primum Sensum », i. e. allegoricam explicationem] prius, inquam, omni ex parte historiam aliquam esse confingendam, antequam de vera sententia agatur. Itaque languor, somnus, lectulus *prius* vulgarem in modum ab eo concipiuntur; sic autem consequitur, ut languens sit ab aliquo in lectulum deferendus, ibi sensibus sopitis quiescat, postea fortasse evigilans cum praesentibus (Sponso lecto assidente et puellis circumstantibus) e cubili suo colloquatur. Porro consequitur, ut a 2,8 quasi somnians absona narret; in lecto est enim et somno sopita. Amplius necesse est dicere, eam 3,1 ad se redire et e vero lecto per veram urbem currere; quod quia in regina ineptum est, rudes huic puellae mores tribuendi sunt, atque ita unum ex altero necesse est deducere, ut *historia* continuetur. Iterum dico, *Corn. a Lap.* fictam historiam, sed tamen historiam exponere; demonstrandum autem mihi est, quid absurditatis coniunctum sit cum omni conatu historiae iustae, continuae, absolutae conficiendae. Sed ut hoc prorsus persuadeam et ne videar iniuriam tanto scriptori fecisse, ipsius verba ad 3,1 (*ante* « Primum Sensum ») exscribam; quae ostendunt etiam fortasse, e quo fonte haec quasi historica explicatio manaverit; meminisse enim oportet, *Lud. Legion.* auctorem dici solere typicae interpretationis. « Magis apposite », inquit ille, « Luysius Legionensis censet Sponsamex amore deliquium passam in som-

num incidisse ac *in somnis vel semisomnem* dixisse adolescentulis sociabus suis : *Vox dilecti*... et cetera, quae a cap. 2 v. 8 usque ad finem capitis narrantur. Nunc vero, inquit, *soluta somno* Sponsa atque *experrecta*, Sponsum, quocum modo loqui sibi per quietem visa est, una secum iacere arbitrata (!), ipsum quaesivisse atque eo non invento e lecto exsiluisse domoque egressa urbis loca omnia illum quaeritando obiisse dicitur. In quo non quid reipsa gestum sit commemorasse intelligendus est Salomon, sed quid rei de qua agitur natura fieri postulet, accommodate ad rem ipsam exposuisse. [Hic ille error princeps est, prorsus « accommodate ad rem ipsam » omnia ac singula ficta esse.]. Itaque quia intellexit *aut* decorum a se negligi, *aut* bonam huius carminis partem omitti debere, idcirco personam sumpsit de medio rurique educatam feminam induxit, quo decore servato exprimeret in ea omnem amoris vim... » Addit etiam unde cognoscas, quam necesse sit, si hanc interpretandi rationem sequare, parum decentia passim afferre : « Nuptias iam ante a Sponso cum Sponsa initas fuisse ac *Sponsum ad Sponsam accessisse* satis liquet ex praecedentibus, praesertim ex 1,3. 12; 2,4 ». Ergo haec iubet prorsus ad litteram de corporum coniunctione accipi, quae in ipsis amatoriis carminibus toties tamque aperte depingi non solet. Sed vere omnino ne hoc quidem dicitur, coniugalem amorem describi (ante c. 5), ut multo inhonestius haec usurpentur in iis, qui (si severe loquimur) ne Sponsi quidem, sed tantum amici sunt ante 3,6 (cf. supra p. 351). Consequuntur igitur sine dubio omnem *historiae* enarrationem ea, quae prorsus repudianda sint. Ipsam igitur ex errore quodam manare evidens est. Sed idem aliae necessariae rationes declarant. Nam rusticitas affingi Ecclesiae certe non debet neque somnolenta deliratio neque vera infirmitas ex amore derivata. Esto, ficta sint ista, at absurde ficta. Quid parum « decora » percursatio urbis, ubi etiam timere dicitur, « ne quid Sponso absenti per noctem mali accidat » ? Sed haec non tam ficta a poeta, quam afficta ab interpretibus sunt. Ille enim recte in summa contemplatione amoris quandam somni speciem effinxit, sed eius somni, qui non afferat deliramenta neque requirat lecti quietem. Quodsi languorem loquitur, sublime quiddam intelligit; nam sancto desiderio debilitatur Sponsa, caritatem perfectissimam anhelat, coelestia requirit solatia. Haec vehementer differunt ab infirmitate aliqua communi, neque hanc mente fingere ullo modo illo vocabulo languoris cogimur, quod quidem usurpatur, quia proprio vocabulo lingua caret aut, si est huiusmodi aliquod, tamen vim poeticam non habet. Ut iterum notissimo exemplo utar : si Orpheus dicitur cantu trahere arbores et saxa, num iubeor cogitare arbores saxaque e terra evulsas currere post Orpheum? An hoc vocabulo vis cantus poetice exaggeratur? Item 3,1 non debeo Sponsam in lecto cubantem fingere, sed in contemplatione quiescentem, idque translato vocabulo significatur. Quod autem noctu currit per urbem, id similem habet translationem; an si Apoc. 21,15 sqq. angelus metiri dicitur civitatem coelestem et portas et murum, inquirendum est, satisne aptum sit illum per multa millia currere stadiorum cum mensura arundinea, ut sciat, quam amplum sit coelum? Immo quo tendat poeta

scimus, sententia perspicua est, quid praeterea opus est inquiri? Ergo nihil investigari oportet, quomodo humanis rebus congruat illa urbis percursatio; de humanis enim rebus non agitur, etsi ex his verba sunt translata. Neque affirmandum est, etiam in his translationibus veritatem esse vel verisimilitudinem oportere. Id falsum est; an verisimile est arbores et saxa cantu commoveri et hominem sequi? *Prius* quaerendum est, quae poetae animo sententia obversetur, deinde de *huius* veritate inquirendum. De qua si constiterit, constabit etiam de ea imaginum convenientia, quae sententiam comitatur, etsi forte vocabula *separatim* spectata et *vulgarem* in modum composita *historiam* efficiunt ridiculam. Id neminem oportebat magnopere attendere; qui facit, is ea exquirit, quae menti poetae obversata non sunt et eius orationi aliena affingit. Evolve Is. cap. 11 : suntne ea, si historia spectatur, verisimilia? Non certe, sed quae translationibus significantur, ea non modo verisimilia, sed vera sunt. Sit igitur ineptum, reginam noctu per plateas vagari : *historia* ibi nulla quaerenda est neque vera neque ad veritatem « accommodata ». Sed, ut dixi, optimus quisque, quamvis, ut a Lap., nolit *veram* historiam interpretari, si tamen conatur speciem historiae persequi, ea affert, quae probari minime possint.

Sanct. studiosissime operam dat, ut omnia indigna removeat a Cantico, quod omnino allegoricam habere sententiam defendit; tamen idem, quia illa opinione irretitus accurate exsequitur fictam historiam, ad 2,4 ita scribit : « Observandum in epithalamiis saltem Hebraeorum quasi statum esse atque legitimum, ut sponsa dormiens introducatur in sponsi complexu ». Id demonstrat ex Ps. 67,28, quia *in mentis excessu* in hebr. sit *soporatus*, et Beniamin sustineat *sponsae* personam! Item Ps. 126,2. 3 : « cum dederit dilectis suis somnum » allegoriam sumptam putat « ex amore complexuque coniugali ». Ad 2,7 ac locis similibus de talibus epithalamiis loquitur, qualia Theocritus scripsit; partem epithalamii matutini 5,2 repeti arbitratur.

Peior etiam conditio est eorum, qui *typicam* interpretationem amplectuntur. De *Boss.* et *Calm.*, qui non ita longe ab allegoricis discedunt, iam supra diximus. Hic iuvat perscribere primi versus explicationem, quo melius intelligatur, quam multa affingi Cantico soleant ab iis, qui pervicaciter historiae vel veritatem vel speciem confingere conentur. *Boss.* : « Peracto ex more nuptiali convivio sollennique precatione facta, cuius exempla..., Sponsa castissima vesperi ad virum introducta est ibique sumendum nuptialis hebdomadis initium, Hebraeorum more, qui dies a vespera numerabant. Sponsus autem summo mane, quod passim in hoc libro videre est, amore quidem incensus, nihil tamen infractus ad mollitiem consueta rusticanae vitae officia repetiit (!). Interim Sponsa evigilans amore tabescebat; cumque puellae comites frustra solatia, frustra fomenta adhiberent (!), desideriis votisque confecta prorumpit in has voces : ipse, ipse unicum solatium atque unicus amor, ipse *osculetur me* ». Quanta hic iam ante historiam historia! Sponsa autem ante desponsationem (3,11) iam ad virum introducitur, nisi quod Boss. carminis ordinem quoque omnino invertit.

Antequam a catholicis interpretibus discedamus, breviter notandum vi-

detur, ipsum iam *Orig.* diligentius quam oportuerit versatum esse in exquirenda historiae et scenicae actionis atque epithalamii specie. « Libellus hic epithalamii habens speciem dramatis in morem conscribitur. Drama autem esse diximus, ubi certae personae introducuntur, quae loquuntur, et aliae interdum superveniunt, aliae recedunt aut accedunt et sic totum in mutationibus agitur personarum. Haec ergo erit totius libelli species et secundum hanc pro viribus historica a nobis aptabitur expositio. » Non sunt haec falsa, sed eiusmodi, unde error facile derivetur. Ipse iam nova quaedam excogitat, quae saltem sint minime necessaria. Ad 1,2 (« adolescentulae ») ita disserit : « Quando illa Sponsi patrem rogabat (in comm. ad 2,9 dicitur haec precari « *foris stans in bivio* et ob amorem Sponsi *hinc atque inde prospiciens* ») et ad ipsum Sponsum comminus loquebatur, necdum adolescentulae aderant; in mediis vero precibus *ingreditur iuvencularum chorus*... Adolescentulae respondent : Post te — curremus. Quam pulchre sponsae pedisequae necdum fiduciam habent Sponsi ! Sponsa non post tergum sequitur, sed *ingreditur* [in penetralia] *iuncta lateri apprehenditque dexteram Sponsi et manus eius Sponsi dextera continetur*... Adolescentulas propter amoris exordium *foris stare* cognoscimus... introeunte Sponso forinsecus remanent, Sponsa vero speciosa, perfecta, sine macula, sine ruga in Sponsi cubiculum, in regium penetrale ingressa *revertitur* ad iuvenculas et nuntiat eis, quae sola conspexerit, dicitque : Introduxit... Adolescentulae, dum illius *praestolantur adventum*, laetae concinunt : Exsultabimus... Deinde loquuntur ad Sponsam : Aequitas dilexit te (hom. 1). » Quamvis pulchre ac poetice hic, quid intersit inter Sponsam et comites, enarratur, quis tamen credat, sic voluisse verba exornari ipsum poetam? Praeterea ubi interea dum ultima aguntur *Sponsus?* Pergit interpres (ibid. ad v. 6) : « Deinde *conspicit* Sponsum, qui *conspectus abscedit* ». Sed obsecratus a Sponsa (v. 6) « post haec verba Sponsus *ei communicatur* et dicit... » Quis non dixerit, *contrariam* scriptoris sententiae hanc interpretationem esse? Displicet etiam, quod (in comm.) constanter pauca praemittit de « dramatis ordine » ; v. g. ad 2,5 Sponsa « quasi deficiens incumbit paullum super arborem... Amoris enim vulnere percussa arborum solatia silvarumque sectatur. Haec secundum litteram ». Sed littera separatim explicata hic rem ipsam in ridiculum vertit. Periculosam quoque evadere litterae enarrationem ad 2,6 ipse sentit : « Descriptio est quidem amatorii dramatis, sponsae festinantis ad connubium sponsi, velut tamen paullo apertioribus corporis appellationibus currit. Sed converte te velocius ad spiritum vivificantem et *refugiens* appellationes corporeas vere perspice, quae sit Verbi Dei laeva... » Quid autem opus fuit prius inhonesta mente concipere, ut deinde ea refugientes cogitaremus honesta? Ubi enim semel constat, Sponsam esse Ecclesiam, non rursum in singulis versibus redeundum est ad res humanas, sed divinas oportet perpetuo ob oculos versari : iam absurdum erit quidquam inhonesti occurrere legenti. An Ez. c. 16 necesse est omnem turpitudinem meretriciam *separatim* considerare aut etiam historiam aliquam *expolitam* flagitiorum persequi, antequam emergamus ad

sensus sanctiores? *Orig.* tamen cautissime fecit, si eum cum illis compares, quos supra refutavimus. Nihilominus inter antiquos solus est, qui istam dramatis et historiae rationem persequi conatus sit, nisi quod *Theod.*, qui eum prope sequi solet, aliqua (sed pauciora) ex eo deprompsit. Latini toto medio aevo ab omni huiusmodi conatu abstinent. Solum excipe *Hon. August.* (12. saec.), qui studiosius quam Orig. contexere historiam conatur et quidem usque ad cap. 3 excl. veram vel quasi veram de filia Pharaonis, deinde usque ad 6,9 verae similem de regina Austri, denique tertiam et quartam de fictis personis, in quibus incredibilia et insulsa narrat. Vult autem allegorice proponi historiam populi Dei ab initio mundi ad finem. Iam vero quia in prima potissimum parte perpetuo certae personae accommodatam censet « amatoriam cantilenam » et « canticum dramaticum », speciem efficit typicae interpretationis, etsi quaedam historiae non congruere ipse fatetur etiam in prima parte ad 1,6 : « Quantum ad litteram, loquitur more feminae potentis virum suum in venatione quaerentis et ne [in] custodiam militis incidat timentis; sed cum verba ad *pastorem* dirigat, quid *allegorice* intelligi velit manifestat ». Itaque non ita longe abest a ratione Bossuetii, si generatim mixtas allegoriam et historiam spectes. Fortasse autem rectius cum Sanctio componitur; est enim in allegoria tam audax, quam quisquam alius, et saltem in 3. et 4. parte aperte *solam* sectatur allegoriam, unde cognoscitur, quam non curet historiam. Non potuisse autem ne hunc quidem vitare subridicula et indecora, cognoscas v. c. ad 1,15 sqq. : « Iuxta historiam amica dilectum in venatu occupatum in meridie quaesivit et invenit, a quo monilibus ornata et laudata cum eo ad regalem aulam remeat, in lecto cum dilecto quiescens Sponsum et lectum et domum laudat... Regina de lecto surgens spatiatum ergo sub umbram venit arboris ac de fructu illius comedit ibique haec (2,3) locuta est... Regina quae sub arbore comedit et in cellario bibit, hoc foris puellis exsultans retulit dicens : Introduxit..., ubi debriata et amore regis accensa in languorem incidit et ideo comitibus dicit : Fulcite... Quibus verbis datur intelligi, quod virgas et flores de loco, in quo consederant, tulerunt, quibus se languentem ut baculis sustentari ne cadat petit. Quam iam iamque casuram rex complectitur... in lectum eam reclinat et comites adiurat... » Profecto si quis velit illudere Cantico et personis inductis — quod alienissimum fuit ab illo interprete — opinor, in hunc fere modo verba enarret!

Sed unde tam repente in catholicam exegesim ista explicandi ratio subrepsit? Auctoritatem divinam Cantici cum allegoria vidimus ab haereticis quibusdam antiquis impugnatam esse (p. 368 sqq.). Qui id discere *potuerunt* a Iudaeis, inter quos *posteriore* tempore paucos (cf. supra. p. 418) allegoricae interpretationis adversarios exstitisse accepimus. Id enim *Hon. August.* ad 1,3 significat : « Tradunt *Hebraei*, quod Salomon hunc librum in honorem filiae Pharaonis fecerit ». Sapiunt etiam ea, quae ab initio praefatur, et alia quaedam rabbinicam loquendi rationem, velut hoc portentum : « Ecce ab aquilone nova Sponsa cum magno apparatu, scilicet Mandragora sine capite (!) Sponso adducitur; cui ab eo aureum caput imponitur... intelligi-

tur multitudo infidelium, cuius caput Antichristus est; sed caput Mandragorae amputabitur, quando Antichristus occidetur » (ad 7,11). *Fortasse* igitur ab illis suam opinionem singularem acceperat. Quodsi licebit coniecturam hanc persequi, videbitur etiam posterioribus interpretibus aliquid allatum a *Iudaeis*. Lud. *Legion. Hispanus* princeps habetur typicae explicationis. *Sanct.* autem, qui diligentissime ad ritus nuptiarum hoc epithalamium studet accommodare eoque studio adducitur, ut verba singula exprimat exsugatque (etsi allegoricum esse carmen fatetur)[1], is ita rationem reddit suae interpretationis : « Quae a *Iudaeis* nunc etiam [in nuptiis] ex antiquo, ut verisimile est, patrum instituto servari colligitur ex Hebraeorum Rituali seu Ceremoniali... Quod ego etiam accepi ab *Hebraeo* quodam Iudaicae antiquitatis scientissimo, qui Hebraeorum matrimoniis non interfuit solum, sed etiam praefuit tamquam sacrorum antistes » (in praef. et proleg. 3). Neque vero negligi debet, a *protestantibus* quoque quibusdam iam saeculis 16. et 17. tantum studium collocatum esse in litterae expositione (a Grotio potissimum), ut id facile catholicos ab usitata via avocaret. Atque ex his causis factum videtur, ut iam saltem *species* amatorii cantus minime decora multis probaretur.

Sed ut breviter dicam quod sentio : mihi videtur illa *perpetuae historiae* investigatio, undecumque inducta est, necessario ducere ad *typicam* interpretationem, haec autem ipsa sustineri non posse, nisi in mera *accommodatione* posueris sententiam mysticam, atque ita paullatim vera sententia e Cantico exterminatur. Sequitur *hac* via esse redeundum (dicendum est mihi idem saepius) : ut statuamus a vera sententia mystica repetendum esse « filum non interruptum » contexendae historiae, si quidem omnino historia aliqua conficienda est; nam in imagine quoque num poetica sit quaedam historiae similitudo, hoc tum sua sponte intelligetur. Occurrunt sane S. *Hieronymi* verbis (ad Is. 13,19, libr. 5) : « Spiritualis interpretatio sequi debet ordinem historiae, quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis vagantur errore » et illis S. *Gregorii* hom. in evang. 40 init. : « In verbis Scripturae sacrae prius servanda est veritas historiae et postmodum requirenda spiritalis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter capitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur ». Sed haec defensio Sanctii eorumque, qui ei consentiunt, in futili ambiguitate verborum versatur. Historiam enim illi Patres *rei gestae*, non fictae narrationem intelligunt; Hier. enim, quae dicuntur Is. c. 13, et Greg., quae de divite et Lazaro proponuntur, in veritate rerum impleta factaque dicunt negantque veram ac principalem verborum sententiam negligendam esse, ut statim mystica consectemur. Qui igitur his Patrum verbis utuntur, eo ipso iam se non animadvertentes *typicae* quoque interpretationis defensores profitentur.

---

1. Accedit autem paullo propius ad *typicam* rationem : « Primum illud mihi persuasi, in his Canticis aliquid esse Salomoni propositum, quod *aut contigisset aliquando*, aut solitum esset fieri in Hebraeorum Republica, sicut aliis parabolis plerumque contingit, aut certe (quod vir acri ingenio et singulari eruditione vidit *Ludov. Legion.*) perpetuam hic esse metaphoram, in qua singulae partes inter se filo cohaererent non interrupto » (in praef., ubi paullo ante concessit hanc suam explicationem metaphorae perpetuae esse satis *novam*).

Quodsi aliam illis effatis vim inesse affirmant, certe errorem illis aspergunt. Nam in mera puraque allegoria *tamdiu* littera prius enarranda est, quamdiu de universa orationis sententia nondum constat; sed ubi constat, sententia vera potius ad verborum singulorum intelligentiam, quam haec ad illam definiendam iuvant. Videmus in evangeliis saepe non potuisse apostolos e parabolarum vocabulis eruere sententiam, antequam haec patefacta lumen illis afferret; immo cum de « fermento Pharisaeorum » Christus locutus esset (Mt. 16,6 sqq.) id *absonum* visum est illis, « quia panes non accepimus ». Sed id quod ridiculum videri necesse erat « historice » spectatum, eius gravissima veritas patuit, ubi *quo pertineret oratio* generatim patefactum est. Itaque saepe Scriptura parabolis praemittit brevem sententiae significationem; alias eandem subiungit, ut *potius* ex hac sententia verba recte et definite intelligantur (sicut ea intelligi *nunc* scriptor vult), *deinde* ex poetico verborum colore vicissim sententia illustretur. Ne haereamus igitur in pane et fermento. Nam ut perridicule facias inquirendo « historice », quale fuerit fermentum Pharisaeorum, unde id confecerint, quantum potuerit valetudinis detrimentum apostolis acceptus ab illis panis afferre : ita de illis Cantici verbis ea quaeri, quae ad res a primaria sententia alienas nos abducant, minime oportet. Nec enim sine causa scriptor historiam nullam *aperte* indicavit; quare eam igitur comminiscamur et inter orationem illius inculcemus, cum periculum proxime immineat, ne inutilia, inepta, inhonesta non tam e Scriptura sacra eruamus, quam de nostro afferamus?

Sed nunc videamus, quo usque recentiores quosdam, protestantes potissimum, historiae dramatisque consectatio deduxerit. Supra diximus apud *Zoeckl.* iam omnino praecipuum locum obtinere carmen amatorium, apud *Del.* initio libri admodum pauca, deinde nihil prorsus dici de Christo et Eccl. *Kossowicz*, qui Del. ita sequitur, ut novum tamen Sponsum inducat, in *epilogo* paucissimis verbis et quidem satis obscure veram sententiam Cantici aperit, in praef. ipse scribit : « Mysticum et symbolicum poematis valorem in interpretatione *haud tetigi*, quum fundamentum omnis sanae ἐξεγέσεως [ἐξηγήσεως!] philologica explanatio esse debet [debeat!] huicque in praesentia praecipue operam dedi ». Haecine gloria philologiae est, ut ei opprimere liceat sublimiorem Scripturae sententiam? Ergo in fermenti historica explicatione haerebimus? Quamquam hi scriptores sine dubio, dum sibi videntur typicam interpretationem sequi, pia aliqua *accommodatione* contenti sunt, quam suo fortasse iure, tamquam a re ipsa alienam, *lectori* relinquunt explicandam. Sed ipsam illorum enarrationem loci propositi (1,1-2,7) paullo diligentius videamus.

Ac primum quidem *Koss.* sequamur. « Omnes assident », inquit initio, « contristatae Sulamithidi, quae nuper in regium gynaeceum advecta, separata a *viro* suo... » Itaque non iam de amore quolibet, sed de *adulterio* agitur. Raptam esse mulierem rusticam a Salomone, non probatur nisi ex 6,10-12 (Vulg.). Prima autem verba raptae mulieris *non* spectant ad eum, a quo 1,8 amica vocatur, sed ad quendam alium, quem adesse demum 8,13 ipse statuit Koss., de quo nihil ante et ne ibi quidem perspicue indicatur! Sed 1,2 *inseritur* « ille » (osculetur me), quod in hebr. non legitur, et *iubemur* mente intelligere « vir meus »! Postquam autem Salomon eam blande allocutus est, mulier respondet : « Donec rex..., nardus mea edet

odorem suum », et *iubemur* haec ad aliquem absentem referre, de quo nihil prorsus est dictum nobis : « i. e. marito meo unice et semper delectabor ». נִתַּן habere vim futuri, *credere* debemus, cum oratio ipsa id prorsus dissuadeat. « Quasi diceret : per regem, regia auctoritate iuro »; ubi istud? V. 16, ubi totidem fere verbis laus accepta redditur, *iubemur* tamen nescio quem recordari maritum rusticum, cui mulier soli loquatur. Num ista est exegesis philologica? Nihil, opinor, potest esse ad philologiae rationem minus accommodatum. Et historia *tota* ficta est a Koss., quia 6, 10 sqq., ut minimum dicam, non demonstratur, mulierem rusticam suo coniugi a Salomone esse ablatam. Ipse Koss. sic id probare non tam scriptoris verbis, quam suis additis studet : « Male sana atque mentis impotens fida coniux repetit nunc verba, quae a Salomone audiverat : Quaenam haec est quae prospexit *e hortulo* [philologi scribent *ex hort.!*] ut aurora...? » (6,9, Vulg.). Deinde pergit suis verbis Sponsa narrare; cum enim se vidisset ante alicuius viri nobilis currus, audissetque : « Revertere », ipsa tum respondit « Quid spectabitis in Sul...? », qui versus sic enarratur : « Nisi desideratis simile aliquod [aliquid!] modi et ritus machanaiticae saltationis, quae apud nos obtinet, videre ». Ecce tibi *historia* raptus, *philologice* demonstrata!

Venio iam ad similem explicationem, qua *Del.* et *Zoeckl.* utuntur. De qua cum multa supra (p. 377 sqq.) dixerimus, nunc pauca afferemus, quae ad primam Cantici particulam pertinent. Itaque Del. 1,1-3 (Vulg.) scolion s. carmen convivale mulierum dicit; nam convivii tempus est (1,11), plures autem alterna loqui numeri variatio ostendit : ego — nos. Utrumque pentastichium (1. 2—3) incipit canere una sola. Quae igitur? Una e feminis gynaecei. Praeclarum exordium libri sacri, quo in mediam coronam mulierum cantantium ad mensam inducimur? Quid cantantium? Nimirum amores suos; nihil enim aliud mensae aptius : « Osculetur me, trahe me in penetralia tua ». Quidni ego quoque possim aliquid confingere atque ita dicere : eas in *horto* ante fenestras andronitidis ista canere Salomoni *audienti?* deinde *obambulantes* colloqui (5 sqq.)? Fortasse enim id aptius erit verbis et certe bellissimum. Salomon deinde v. 8 in *liberum aera* exibit ad suas, id quod eum magis recreabit; paullo post in *gramine sub cedris* recumbet; nam mire profecto apud Del. 1,15. 16 Sponsa somniat de *futura* aliqua requie sub arboribus patriae suae, in quam redire cupit cum suo pastore (talem enim iam v. 6 sibi fingit *Salomonem!*).

Itaque etiam Z. mavult convivium in horto agi sub aperto papilione; ita illa verba non erunt tam inepta; etsi ne sic quidem « lectulus noster viridis » satis intelligitur, si quidem mensae accumbunt mulieres et Salomon ad eas accedit. An humi in gramine cubantes comedunt et bibunt? Quod autem Del. vult *singulariter enuntiata* ab una aliqua cani, possit mihi videri multo pulchrior concertatio, ut « me » v. 1-3 ter repetitum *tres* canant diversae; an quid obstat? Paulo prudentius Z. illa omnia soli tribuit *Sulamitidi;* nam quale signum apud Del., quod demonstret v. 4, non *ante*, illam loqui? Sed alia ingens difficultas utrique superanda est. Nam a 1,8-2,7 Salomon, relictis viris, recumbit inter mulieres! et tot aemulis assidentibus *uni* impertit blandimenta! Quid de Sponsa *vinitrice* nescio qua et de Salomone *pastore* dicat Del., v. p. 380. 381. Alia huiusmodi inter enarrandum paullo ante indicavimus. Apud Del. Sponsa 2,4 gloriatur, quod licuerit vinum (verum) in convivio bibere; apud Z. vinum, ut umbra et fructus etiam apud Del., symbolum amoris est, item vexillum v. 4; sed nihilominus v. 5 uterque requirit vera poma verasque uvas, quia puella amore languens sic reficienda sit! Et re quidem vera v. 6 concidit atque a Sponso sustentatur; nec tamen aegra omittit obsecrare comites, ne ecstasin amoris perturbent. Ita Del.; Z. v. 7, ut *Hitz.*, *Boettch.*, *Graetz*, hanc sententiam subiiciunt : Vos

moneo, quae me videtis amore superari, ne ante tempus iustum temere in vobis excitetis atque irritetis voluptatem!!

De iis artificiis, quibus dramatis structuram perficere student *Kaempf* et *Stickel*, dictum est satis p. 384 sqq. Sed ut hi inter se, ita ceteri longissime discrepant. Duo pono alia exempla. Apud *Ren.* Salomonem gynaecei feminae circumdantes cantu celebrant modo communi, modo singulari. Sed interim Sulamitis vi rapta adducitur, acclamans amico illi, cui ablata est : « Trahe me »; deinde illis feminis explicat, quam vitam adhuc egerit; queritur, quod in aliqua ambulatione matutina (v. Ren. ad 6,10) capta non potuerit honorem virgineum (vineam suam!) custodire. Haec est « scena 1 ». In altera inducitur Sulam. quasi somnians (« rêvant ») de pastore suo relicto; quam increpant mulieres ob stupiditatem (« si tu es simple à ce point » 1,7); sed ei Salomon testatur amorem. Deinde repente abrumpitur sc. 2; 1,11 a *sola* Sulam. pronuntiatur, deinde proximo iam versu redit Salomon. V. 13 Sulam. illo praesente audet pastorem suum laudare; Salomon persistit tamen in blandimentis. Tum (initio c. 2) varietatis causa, opinor, illa incipit canere « fortasse particulam carminis popularis ». Deinde praesente Salomone (an quo subito abiit?) pastor irruit in scenam; Sponsa ab eo « aufertur vel se credit auferri in pagum suum » (Ren. p. 73) et ad illius sinum viribus destituitur; sed ille enixe rogat feminas, ne quo strepitu molesti sint ». — *Schegg*, quem misere captum recentioribus illis commentis dolemus, scenam sic instruit : Feminae gynaecei certatim consalutant regem ad se redeuntem; hic adducit secum Sulamitidem, quae cum eo *familiarissime* colloquitur rogatque (1,6), ut se in pascua aliqua educat; perturbatur enim ceterarum praesentia. Sed ille eam consolans adducit in convivium; id laeta accipit et concelebrat (11-13). A v. 14 *soli in horto* inter se fabulantur Salomon et Sulam., usquedum haec ad pectus eius reclinata quasi sopita conquiescit; Salomon nescio quas filias Ier. (negat enim Sch. hic intelligi feminas gynaecei) obtestatur, ut quiescere sinant amoris affectum; qui si vi quadam sustentetur, « et animi et corporis valetudini obsit »!

Graetz omnem scenicum apparatum respuens *narrari* filiis Ierus. a Sulamitide de suo pastorisque amore statuit; sed non plus quam illi proficit, quia allegoriam negligit. Ergo apud eum de nulla re alia agitur nisi de recolenda cuiusdam amoris memoria. Sed ut omittam, nusquam cerni, qua de causa Sulam. haec omnia (mutis) sodalibus enarret — Gr. eo potissimum omnia spectare dicit, ne filiae Ier. sine causa et ante tempus amatoriam cupiditatem irritent atque inflamment! Apta profecto ad id efficiendum *haec* narratio! — quis autem legens initium carminis intelligit haec in narratione versari? Gr. dicit id *iam* cognosci 2,10; interim mente *addendum* in sermone alterno (1,6-2,3) : « Ego dixi » et « Ille respondit ». Profecto nisi id additur, nemo *narrari* colloquium suspicatur. Quis enim non existimet 1,8 sqq. amicum adesse? Quodsi haec narrantur *omisso* illo « dixi » « respondit », revera Sulam. rem scenice imitatur satis artificiose, cum sola duas agat personas. Imo vero tres, nam 1,3 ipsa verba refert, quibus servae mulierculae (= עַלְמוֹת, ita Gr.) clamant post amicum Sulamatidis, si quando eum conspexerunt. Atque adeo plures; nam v. g. 2,15; 4,16 canendo modum popularem repetit — nimirum addendum est utrobique : « cecini ego ». — 1,3 et 11, ubi nemo non putat regem esse amicum, *opponi* Gr. dicit regiis conviviis amorem suavissimum pastoris; acriter enim toto carmine castigari Salomonis luxuriam. — 2,4 sqq. Sulam. desiderio absentis amici abrepta symbola amatoria (μῆλα ἀφροδίσια) poscit, ac brevi post « vigil somniare » incipit, quasi adventantem audiat et videat; ergo rursum delirio opus est. Et tamen 2,10 repetit, ad se rediens, coeptam narrationem; ad v. 17, ubi omnino

praesentem alloqui videtur, *addendum* est : « dixi ego ». — 3,6 narratio repente abrumpitur; praetervehitur enim Salomon, quem « omni verbo » reprehendit (sane obscure!); deinde 4,1, ac si longa interposita sit *digressio*, quiete pergit sermones referre pastoris sui; « oportet iterum cogitando addere : respondit dilectus dixitque mihi »; aliter enim sane nemo poterit intelligere. Sed longius iam progressi sumus ut hoc quoque totum genus interpretandi describeremus.

Ut in personarum numero, verborum distributione, orationis continuandae ratione, sic in loci quoque descriptione (ubi agi rem dramatici volunt) aliisque plurimis sic dissentiunt recentissimi illi, ut vix quidquam sit commune nisi *impugnatio allegoriae*, qua sola carmen potest recte explicari. Propter tantam vero interpretum discordiam pauca iam in posterum refutandi causa afferam, plurima omittam; sunt enim fere in eodem genere, quo omnia superiora, cum pro suo quisque arbitratu nihil non audeant explicare, addere, fingere plerique. Itaque potius ipsam allegoricam interpretationem persequens explicabo, quae sit et vera verborum sententia et series argumentorum et universi carminis gravitas atque dignitas.

II. scena : 2,8-17.

Vulg. et LXX. — II. 9ª. LXX addunt ἐπὶ τὰ ὄρη Βαιθήλ (i. e. בית אל) 9ᵇ. διὰ τῶν θυρίδων — διὰ τῶν δικτύων 10. Vulg. addit ex LXX : *columba mea;* LXX autem omittunt : *et veni;* antea hebr. לך apte redditur : ἐλθέ, *propera* 12. Vulg. et LXX : *putationis*, τομῆς pro *carminum* s. *cantus* (?) 13. *protulit*, ἐξήνεγκε pro *condivit;* LXX rursum πριστερά μου, non omisso καὶ ἐλθέ 14. LXX ἐχόμενα τοῦ προτειχίσματος pro *in cav. mac.* 15. LXX et Vulg. non repetunt *vulpes* 16. ὁ ποιμαίνων, Vulg. *pascitur* (pass. vel dep.) 17. *montes Bether*, ὄρη κοιλωμάτων pro *ruptionis*.

Arg. — Ineunte vere Sponsa ad laborem evocatur, i. e. Ecclesia, ubi aptum tempus advenit, a quiete caritatis contemplativae surgere et ad sedulum rerum gerendarum studium se parare a Christo iubetur. Sponsa audit Sponsum et videt per montes et colles approperantem (2,8-9). Ubi advenit, eam in vernam amoenitatem evocat (10-13), nominatim e solitudine domus in apertam lucem invitat, ut et Sponsum specie sua ac voce delectet et in vineae cultura aliquid utilitatis efficiat (14-15). Sponsa se ad nutum dilecti praesto esse profitetur, eumque ultro hortatur, ut de hoc negotio securus montes suos repetat suumque laborem persequatur (16-17).

Principio statuendum est, hic *novam* actionem s. scenam, superiori non continuam, describi. Nam 2,6. 7 Sponsa in amplexu Christi quiescit, qui nunc e longinquo appropinquat. Deinde antea non est dubium quin florum tempus fuerit anni superioris, quia id totum dicendi genus (1,11-2,5) omnino persuadet; poetice enim intolerabile esset, *tanta accumulatione* uti imaginum, quae florido tempori congruant, praesertim cum hiemis mentio statim sequatur, nisi 1,11 sqq. amoenum anni tempus intelligeretur. Nunc autem *ver* incipere dicitur

post pluvias hibernas (2,11 sqq.). Nihilominus Sponsa tamquam expergiscens e somno illo contemplationis prima verba loqui videri potest; atque sic, nisi aestatis et veris oppositio satis perspicue cerneretur, iungere scenam scenae certe liceret. Verum 3,1 et 5,2 item nihil prorsus actionem actioni copulat, et hic quoque, cum Sponsus e longinquo veniat, melius statuitur, non *hucusque sopitam* Sponsam voce adventantis excitari.

Iam vero allegoria facile ostendit rei postulare naturam, ut *haec* sit *consecutio* scenarum primarum; nam actio et contemplatio in perfectionis christianae studio sic reciprocantur, ut ab hac ad illam sit transitio non modo consentanea, sed paene necessaria; prius enim cognitione Dei et quadam cum eo familiaritate animus illustratur, confirmatur, comparatur, deinde ad agendum aliquid pro Dei causa provocatur. Optime in hanc sententiam *Bed.* ad v. 10 : « Habet Sponsa Christi, Ecclesia videlicet vel anima quaeque electa, tempus quiescendi, habet item tempus surgendi ad laborem... Supra adiurabat [Sponsus] filias Ierusalem, ne suscitarent neque evigilare facerent eam, donec ipsa velit, et nunc mutata voce surgere eam iubet ipse atque ad se properanter venire, nec iam eam in lectulo, quamlibet coelestibus studiis florido, intrare consentit, sed ipsam potius secum, ut sequentia Cantici docent, ad excolendas vineas bestiasque nocentes ex his propellendas praecipit exire ». Ergo etsi non est hic (2,8 sqq.) perfecta rerum continuatio, est tamen optima consequentia.

Sponsa igitur a Christo electa gradatim instruitur et quasi educatur. Fruita est tantisper exoptata dulcedine gratiae, quievit beata, nihil amplius requirere visa est. At Sponsus, illa sopita, discessit et quasi negotiis occupatus afuit. Sed ecce redit, ut ad laboris societatem exemplo atque oratione dilectam invitet vv. 8-10ª « *Vox dilecti mei, ecce, iste venit saliens in montibus, transiliens colles; similis est dilectus meus capreae hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi...* »

Inutile est quaeri de tempore interiecto, utrum perpetuo Sponsa quieverit, an identidem speculata nunc demum videat Sponsum. Nec opus est de loco actionis multa dici ; nam ut ante non fuit propter 1,3 et 2,4 aula regia aut propter 1,15 hortus fingendus, cui tamquam certo loco actio omnino ac severe astringeretur, quia ordo rerum *naturalis* ad solam *imaginem* spectat, quam esse *continuam* non est necesse (supr. p. 349 sq.), ita hic propter « parietem nostrum » et « foramina petrae » 1,9. 14... non oportet agrestem casam et montuosa loca cogitatione describere. Ad *supernaturalem* ordinem omnia, quae dicuntur, pertinent, qui locorum angustiis non circumscribitur. Sane ante necesse fuit, quia Sponsa Sponsi dulcedine delectabatur, regiam magnificentiam ob oculos poni, et quia eadem cum illo iucunde quasi inter

flores quiescebat, occurrebat quasi horti regii species. Item nunc eam invitari convenit ad *agrestes* labores et quiescenti congruit domus omnino *solitaria*. Haec omnia requiruntur quadam consequentia dictionis poeticae ; sed Ecclesia nec in aulis aut hortis nec in tectis rusticorum aut rupium cavernis domicilium ita habet, ut eis astringatur. Nec in his est constantia severe exigenda. Ut si quis Musas fingat in terra habitare, nihil intersit modo huic modo illi loco eas praesentes dici — habebunt enim ibi sedem, ubi eas poeta ob aliquam causam velit adesse — sic hoc loco pro rerum tractandarum proprietate Ecclesiae domicilium modo tale modo aliud proponitur. Ergo quomodo Sponsa (*si* fuit in domo hortoque regis, id quod non admodum manifesto dicitur) *rus venerit*, id in allegoria satis absurdum est quaeri. An Calderon cum in « magno mundi theatro » mundi personam et regis et sapientis et rustici et mendici et pulchritudinis et legis inducit, de loco actionis inquirendum esse statuemus? Etsi enim in dramate aliqua certe debet esse loci compositio, tamen ea ad rerum tractandarum naturam libere accommodatur; item in hoc lyrico carmine, quod aliquam habet speciem dramaticam, quaedam sane scena instruitur; sed, ut apud illum poetam (apud quem cunae et sarcophagus utrimque locum actionis includunt), ita hic proprie *mundus totus* ea scena est, in qua Eccl. modo hoc modo illo loco cum divino Sponso agit, in eum modum, quem diximus ad 1,16 supr. p. 451. Atque haec de *curiosa* loci exquisitione dico, ea praesertim, qua quidam sic, ut in dramate actionis humanae fit, continuare scenas versusque loci et temporis explicatione conantur.

« Vox » dicendi formula est, qua gravis oratio inducitur Ier. 4,15; Is. 40,3. 6; nec tamen necesse est Sponsum e montibus exaudiri, quasi maxima voce clamet; satis est toto festinantis et gestientis habitu significari eam evocationem Sponsae quae sequitur. Id in allegoria (ubi non omnino ad rerum naturalium leges res iudicantur) nihil habet difficultatis; Christus enim si vult audiri, vel e longinquo vel e propinquo auditur, vel animi cognitione vel etiam corporis sensu. Itaque Sponsa videns adventantem, iam mente praesentit eius orationem, quam deinde auribus percipit. « Montes et colles » motusque celeritas coelestem patriam[1] et sublimem agilemque tamquam incessum Sponsi indicant. Comparatio autem aptissima pernicium animalium, quae in montibus collibusque morantur, ut ad agrestis scenae descriptionem, quae sequitur, et ad carminis quasi pastoralis naturam pertinet, ita etiam hanc scenam cum superiore coniungit (v. 2,7). In quo aliquid est iucunditatis poeticae, praesertim cum nunc intelligatur, cur animalia ibi nominata quodammodo proprie spectent ad divinum Sponsum. Quamquam nec hic nec illic ipsa pulchritudo in caprea (hebr. masculine dicitur צְבִי) et adolescentiae decor in cervo vel

1. LXX v. 9 addunt « super montes Bethel », i. e. « domus Dei » ; quod additamentum etiam metrice omnino responderet clausulae v. 17 estque tale, ut non appareat, unde sit natum, nisi poeta id ipse scripserit, praesertim cum v. 17 LXX habeant ὄρη κοιλωμάτων. Habes igitur gravem confirmationem eius interpretationis, quam propono.

hinnulo cervorum negligenda sunt. Nam insigni forma esse dilectum decet (cf. 1,12 sq. 15; 2,3).

Quem imitari etiam oportet mores amantium, ut in superiore scena, sic hoc loco : accurrit igitur ad amicam, a qua diu abesse non potest, per transennas fenestrarum quasi ludibundus rimatur cubiculum, nutibus ac voce eam allicit, suaviter confabulatur. Eum sermonem furtivum nemo nisi acriter intentus audiret; itaque et seipsam excitat Sponsa et monet socias (« en-en »), quas adesse consentaneum est (cf. « nostrum » et v. 15 « capite », et adsunt in sc. 1. 3. 4. 5. 6, v. supr. p. 400), ut cum silentio auscultent. Quo artificio poetico et scena excitatur et corona audientium significatur et verbis Sponsi maior auctoritas conciliatur. Quae sequuntur, iam non Sponsae verba sunt (quasi audita repetentis; id enim in *tantis laudibus* parum deceret, et fortasse, socias adesse, quibus repetat, non omnibus persuadebitur), sed Sponsum ipsum haec eloqui statuo.

Est autem haec eius oratio : v. 10 « *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea et veni* », v. 11 « *Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit* », v. 12 « *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit; vox turturis audita est in terra nostra* ». Haec et teneri et ardentis amoris invitatio est; inter utramque enim cohortationem (hebr. « surge tibi » « veni tibi ») interponitur duplex appellatio amatoria (tertia : « columba mea » hebr. non legitur ante v. 14, ubi propter « foramina petrae » aptior est). Deinde mentione *verni* temporis, quod idem amoris est apud poetas, Sponsa (vel rectius amica, v. 10 et 13) allicitur. Hiemem igitur ingratam praeterisse iterato enuntiatur, nec minus copiose ipsius veris iucunditas describitur; utroque illa impellitur, ut egressa cum Sponso iucunde versetur. Ver etiam tempus *cantus* dicitur, quia natis floribus aves resumunt cantum suum, atque adeo eae, quae peregre abierunt, revertuntur; turtur enim palaestinensis in Aegypto hiemare solet. Pro cantu quidem veteres *putationem* posuerunt; nec male, quia hoc quoque aptum veris indicium est et זמר ut de canendo, ita de putando usurpatur; praeterea cum floribus vitium cultus optime coniungitur. Ac tamen, quia versu proximo vinearum mentio fit (et quidem iam *florentium*) et זְמִיר, זְמִירָה, זְמִרָה, זְמִרַת ad laetum cantum referuntur (Is. 25,5; 24,16; 51,3; 12,2), praestat fortasse in ea significatione sistere, nisi quod hoc loco cantum *avium* oportet intelligi, id quod alio nullo loco usu venit. Ut cuique videbitur, intelligat[1]. Turtur autem ex avibus advenis (non

1. Prima vis vocabuli, ut satis certum est ex ceteris linguis semit., ad *fidium* cantum non astringitur.

hirundo aut ciconia, cf. Ier. 8,7) idcirco nominari videtur, quod huius minurritio (« vox ») vernam voluptatem suo modo exprimit.

Deinde ea ponuntur, ad quae labor hominum spectat propius; ad hunc enim suscipiendum Sponsus imprimis est invitaturus, v. 13 « *Ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum* » et apte repetit : « *surge, amica mea, speciosa mea et veni* ». Ficus hebr. *condire*, i. e. maturare dicitur fructus hibernos adhuc duros; vineae autem et gemmas et flores iam protulerunt. Ergo tempus est vitam iam agere in hortis et vineis, unde prosperitas domestica maxime derivatur 3 Reg. 4,25 (hebr. 1 Reg. 5,5), in quibus versari feminas decet.

Versus 14 et 15 in earundem rerum iteratione magis distincta versantur : « *Columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriae, ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis et facies decora. Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit* ». Repetitur, columbae timidae similitudine adhibita, exhortatio, ut e solitudine contemplationis in publicam lucem Sponsa egredi audeat, et prior ratio repetitur : quia Sponsus optat, ut avium instar iusto tempore adveniente evolet et, ut aves specie cantuque homines, ita ipsa amicum suum formae venustate vocisque suavitate exhilaret; deinde altera ratio, quia de labore ipsum tempus admonet, atque huc potissimum tota invitatio spectat et hic finitur.

Non enim possumus assentiri iis, qui ultimum versum non Sponsae eiusque sodalibus, sed aliis dictum volunt. Nam sic id ipsum tolleretur, quo haec scena a superiore distinguitur, in quo est carminis manifesta progressio; nisi enim hic ad *laborem* suscipiendum impellitur Sponsa, omnia in repetitione inutili versantur eorum, quae antea Sponsus amoris significandi causa fecit; immo vero *decrescit* amor, quia ille nunc nec intrat domum nec, egressa amica, diutius manet, id quod *tum* solum quadrat, si pro blandimentis amatoriis substituenda est solidioris ac maioris caritatis *actuosae* admonitio. Inane effugium est, quod multi statuunt haec verba : « capite... » vel Sponsam canere (dicere) regi cum suis comitibus advenienti, vel regem suis venatoribus haec imperare; nam ex v. 17 cognoscitur advenas vel potius advenam protenus se recipere eo, unde venit (comites regis omnino nullo indicio designantur). Quod autem masculina ponitur forma imperativi, eadem ratio est v. 7, ubi nemo dubitat, quin filiabus Ierusalem, quae *omnium* fidelium personam gerunt, illa dicantur. Quas minime dedecet vulpeculas vinearum, domui vicinarum, laqueis capere, quamquam hoc ipsum non est *proprie* intelligendum, sed translate.

Est autem florentibus iam vineis labor praecipuus, ut id genus damna arceantur. Item in Ecclesiae vinea (de imagine v. 1,5; 6,10; 7,12; 8,11 sq.) iam efflorescente (ut in segete evangelica Matth. 13,24 sqq. 38 sqq.) cavendum est ab « homine inimico » et « filiis nequam », quorum astutia vulpina, ut fieri potest, expugnanda est; potest autem, quamdiu « parvuli » hi inimici sunt, sed attendendum, quia vere vulpes sunt (hebr. haec vox bis ponitur, idque metri ratio exigit).

Restat, ut Sponsa mandatum laeta excipiat; id quod praestat cum insigni caritatis testificatione v. 16 « *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia* ». Non vult videri aliud cupere, aliud agere, nisi quod velit Sponsus, inter cuius lilia se esse gloriatur (cf. 2,1. 2; Israel lilium est divini pastoris Os. 14,6). *Pascitur* Sponsus, i. e. delectatur, vel ex hebr. et LXX potius *pascit,* i. e. pastoris et tutoris (Gen. 48,15) officio fungitur inter animas fideles, idque totos dies, 17ª : « *donec aspiret* (frigescere incipiat, cf. Gen. 3,8, hic 4,6) *dies et inclinentur* (hebr. diffugiant, i. e. a suo corpore in longinquum protendantur atque in noctem evanescant) *umbrae* ». Haec verba (« donec... »), ut est distinctio in Vulg. Clem., cum pascendi verbo iuncta sunt. Ex hebr. (ad quod facile mutata distinctione Vulg. reducitur) potius suadetur, ut ea cum consequentibus iungamus, praesertim, cum pro « *revertere* » sequatur סֹב, quod verbum hic apte « versa te, discurre » reddas (Eccl. 1,6 de ventorum flexibus). Nam hoc loco Sponsa praesentem amicum potius a se dimittit, quam digressum redire iubet.

Id etiam demonstrant verba eius ultima « (revertere) *similis esto, dilecte mi, capreae hinnuloque cervorum super montes Bether* » (quod videtur interpretandum : scissionis s. diruptos). Iubet eum igitur eo et ad id negotium redire, in quo fuit, antequam huc accessit (v. 8). Praeterea hoc res ipsa poscit; ubi enim Eccl. s. anima se ad strenue laborandum accingit, quodammodo dimittit a se Sponsum divinum, caret interim ea voluptate, quae in contemplationis suavitate percipitur, ipse Sponsus laborandi exemplo praeit. Atque hoc praeter cetera verbis etiam exprimendum fuit, ob eamque causam סֹב rectius fortasse interpretabimur « discurre », quam « revertere ». Etiam 8,14 in simillimo versu pro « revertere » positum videmus « fuge » (hebr. בְּרַח). Verbum autem « Bether », quod in hoc allegorico carmine sine dubio ob aliquam significationem ponitur, nunc ab omnibus fere vertitur « scissio, diruptio »; id si recte fit, difficultas et labor illius discursus indicatur.

Ergo omnia toto loco eodem illuc pertinent, ut Sponsus ad laborandum exstimulare verbo exemploque contendat, eoque consilio et e lon-

ginquo voluit conspici, montes percursans, et ita accessit, ut nec intraret domum nec diu maneret, et protenus in iuga montium se recipit. Sponsam autem, etsi ad opus laboriosum, multis blandimentis ac rationibus allicienda fuit, tamen ubi quid ille vellet intellexit, *brevissime* se paratam ostendere, deinde iam iamque digredientem libenter dimittere decuit; idcirco tam pauca loquitur tamque repentina est utriusque separatio. A Sponso aliquos comites in hoc brevissimo adventu adductos esse, scriptor non dixit fecitque optime, cum ille potius statim ad suos, relictos in montibus, revertatur. Nec ibi quid agat, quaeri oportet; satis est laborem generatim significari; sed ut Sponsa in vineae cultura occupatur, sic ille in pastione (sunt etiam « lilia » in montium saltibus et vallibus, praesertim si allegorica attenditur notio). Ergo ita inter utrumque officia dispertiuntur, ut 1,5 et 6 itemque 6,1 sq. et 6,10 cum 7,12 : Sponsae est domestica potissimum procurare, Sponsi etiam paullo longius excurrere.

Satis bene *Schaef.* vitam Christi publicam hoc loco adumbrari censet, comparatque illud Isaiae (52,7) : « Quam pulchri super *montes* pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit Deus tuus ». Venit enim hic e longinquis montibus is, qui pacem affert Sion; « vox dilecti » evangelii praeconium est. Atque haec vitae pars et ipsi Christo fuit imprimis laboriosa et Ecclesiae attulit primam strenui laboris occasionem, cum apostoli identidem evangelii praedicandi causa mitterentur. Cf. S. Ioann. Chrysost. hom. 33 in Matth. : « Quasi teneras e nido *aviculas* protrahit (Christus apostolos) ad volandum ». Sed nihilominus a nimis distincta comparatione *temporis* abstinendum puto; in *re* enim potius similitudo est eaque talis, ut in *alia* multa tempora quadret. Quietis enim et laboris perpetuam vicissitudinem Ecclesia experitur, neque hoc loco quidquam ponitur, quod ad illud solum tempus pertinere videatur, nisi quod Sponsus ipse quoque laborat montes percursando. Verum et huiusmodi actuosa vita non est aliena a Christo in coelum recepto, unde regit amplificatque regnum suum terrestre (vide idem planissime 6,1, ubi etiam in *horto* pascit, nec tamen haec ad vitam eius mortalem spectant), et captio vulpium parum similis est eius laboris, quem apostoli vivo Christo susceperunt. Ut igitur supra c. 1 non tam primum adventum Sponsi desiderari describique diximus, ita hoc loco non plane primam evocationem ad laborem narrari arbitramur; videtur etiam magnum eius rei argumentum in hoc esse, quod « hiems » inter Christi incarnationem et publicam vitam nulla intercessit. Non tam temporis igitur, quam rerum ordinem statuimus, etsi hic illum saepe *prope attingit*. Prima scena suavissima Christi cum Eccl. familiaritas demonstrabatur, quae cum labore comparata sane et natura et tempore prior est; plus enim est ac difficilius amori privato publicam actionem, Dei causa susceptam, adiungere, ob

eamque causam consentaneum fuit, Ecclesiae a Christo prius *sui fruendi* copiam dari, deinde *vineae suae* colendae occasionem ostendi. Itaque aestivum tempus laetitiae praecedit, sequitur vernum et laetitiae et laboris. Sed gradus tantum caritatis, non tempora diversa *per sese* describenda sunt. Et sane quis putet, si scriptori sacro vitae Christi prioris et posterioris imago obversata esset, eum tam obscure et universe id fuisse significaturum? Ad accommodationem igitur potius, quam ad interpretationem Cantici pertinere censeo, Incarnationem Christi et vitam publicam et (ut saepe fit in Eccl.) c. 3 mortem Christi dicere propositam esse, etsi sane in rerum eventu desponsatio Ecclesiae in mortis Christi incidisse tempus recte existimatur. Sed alius est ipse eventus, alia imago, qua praemonstratur, quam intuetur propheta. Nascitur etiam in c. 5 et sqq. tanta difficultas persequendi temporum ordinem, ut Schaef. novam prorsum inducat Sponsam (animam piam). Praeterea illa *obscuritas* notati temporis permisit Cornelio a Lap., ut iam primam scenam usque ad Pentecosten produceret, et 2,8-3,5 ad posteriores apostolorum labores inter gentiles referret, deinde 3,6-5,1 ad virilem Ecclesiae aetatem (Constantini tempore) atque ita porro. Fatendum est ipsius carminis ratione satis indicari, non claram distinctamque temporis ac nominatim vitae Christi imaginem depinxisse scriptorem. — Multo minus Salomonis aequales aliud nisi generatim amicae ad laborem invitationem, quo labore Sponso futuro se gratam praeberet, intelligere potuerunt. — Cf. quae disputavi p. 410 sqq.

Historica interpretatio *non* explicat : 1) cur 2,8 Sponsa ruri versetur, cum antea fuerit in regis aula; 2) qui sit in hac parte verus actionis progressus; 3) cur domum non intret Sponsus et subito avolet; 4) cur amica id tam facile ferat; 5) esse aptum illud : « saliens in montibus »; 6. quid sibi velit v. 15 : « capite vulpes », et alia. *Del.* ad 1. nihil nisi : « Sulam. cum vulnere amoris rediit »; at verisimile profecto non est, id aut ipsam aut Salomonem post tantum amoris aestum (1,8-2,7) voluisse; poeta autem, si id finxit sine causa, peccavit. Del. multum praedicat in Sulam. amorem amoenitatis agrestis; cur igitur hic non inter ipsos flores ponitur, cantui intenta avium..., sed quasi extrahenda est domo? Ad 2-4 respondet, hic quaerere inter se et invenire amantes; cur igitur ante discesserunt, cur ne tantillum quidem una manent (2,17)? Salomon in venatione est, inquit, ob eamque causam otiosus non est. Sed revera « pascit inter lilia » (v. 16); de venatione nihil, nisi quod ille « capite vulpes » dictum vult Salomonis venatoribus; at v. 17 tamen in montes discedunt, et captio vulpium in *vineis* non requirit totum venationis apparatum. Cui vero tota haec narratio probari potest, Salomonem cum suis venatoribus ad speluncam quandam (v. 14) amiculae devertisse et illos facere blandissimae salutationis testes? Amandanda est, opinor, haec inter notissimas illas « venatorias » fabulas. A 2,8 Del. non miratur, quod rex Salomon montes transiliat et colles, et vel vox eius vel pedum sonitus (!) procul usque ad casam Sulamitidis audiatur. V. 15 cantilenam aliquam vinitoriam a puella repeti putat, quia iussa sit aliquid canere. Fingatur igitur puella ad venatores prodiens cantare tritae cantilenae particulam! Sed quoniam aliqua saltem inesse sententia debet ad huius loci argumentum spectans, Del. quoque incipit allegorias narrare, sed miras : « Vineae florentes atque fragrantes foedus designant amoris, vulpes autem s. vulpeculae illae, quae iunctas (?)

vineas demoliri possint, inimicos indicant et incommoda, sive magna sive exigua, quibus amor efflorescens, priusquam ad maturitatem perfectae voluptatis pervenit, arroditur ac periclitatur ». Idem « pastorem inter lilia » defendit esse illum Salomonem regem Hebraeorum.

Verba autem prima v. 10 : « en dilectus loquitur mihi » ita explicat, ut tota scena in mera *narratione* versetur, quemadmodum Graetz de toto Cantico statuit. Sed nec initium (v. 8-9) nec reliqua sinunt id arbitrari; omnia enim ut 1,1-2,7 sunt quasi dramatica. Nam absente Sponso si haec *narrantur*, nec tanta excitatio orationis satis intelligitur, et Graetzii more statim v. 8 cogitatione adiiciendum : « Fui aliquando domi meae; vidi Salomonem; exclamavi », deinde rursum ante v. 15 : « Ego cecini » et ante v. 17 : « Dixique illi » (nam v. 16 ad cantum Sulamitidis, i. e. ad v. 15 pertinere putat Del. Sed haec sine huiusmodi additamentis intelligi non possunt, at v. 10, ubi e verbis manifestum fit, quis loquatur, praemittitur « dilectus loquitur ». Nulla est igitur consequentia dicendi, nisi haec ipsa verba dramatice (semper intellige : *quasi* dram.) pars sunt eius orationis, quae incipit 2,8, et אָמַר (cf. v. 7 הִשְׁבַּעְתִּי) *praesenti* redditur : « loquitur », ut est in Vulg. Iam licebit ea, quae sequuntur, ipsi Sponso (non Sponsae narranti) tribuere, quemadmodum supra fecimus. Quod aptius profecto est, quam tantam sui laudem ab *ipsa* repeti; nam apud Del. parum decet, rem praesertim praeteritam ita sine verecundia ab ea narrari, quae sola testis fuerit. Ut Del. explicat « parietem *nostrum* » (hebr.) v. 10 et « capite », delentur etiam ea, quae *sola* demonstrant, adesse omnino, *quibus narret*.

Zoeckl. id sic emendat, ut velit 3,1-5 adiungi, quia 3,5 adsunt « filiae Ier. ». Est hoc aliquid; at quae a 2,17 ad 3,1 transitio? *Obdormiscit* Sponsa (modo tam excitata), ut brevi experrecta alia diversa narret! Nihilominus Z. non audet *omnino* praesentes fingere filias Ier., quia nimirum, quem ipse et Del. statuunt actionis locum, is repugnat aperte; ergo « absentes ut praesentes alloquitur »[1]!

Apud *Graetz* nihil aliud proprie narrantis est praeter v. 10-15; ante fingit (!) sibi amicum praesentem atque ita exclamat « Vox dilecti... »; v. 16 apud « filias Ier. » excusat, quod tam facile cantaverit, additque v. 17 se tamen noluisse ad amicum venire!

Kaempf citat suum rusticum, qui ad hortum regium, in quo adhuc versatur cum ceteris feminis Sulamitis, accedat et per foramen muri introspiciat. Sed quoniam v. 14 omnino de domo e petra excisa sermo est, id sic explicat : partim ipse locus erat similis (hortus regis!), partim ob eam causam id dicitur, quia avertit absconditque amica vultum! Deinde canendo v. 15 ostendit, se non oblitam ruris et amici rustici, denique monet, ut se citissime subducat e vicinia regiae. Timet igitur; quid est cur non timeat, ne garrulae mulieres, quibus minime coacta verba omnia amici repetit, regi consilium rustici, amicam abducendi, aperiant? — Eadem fere apud *Stick.*, qui tamen potius abesse vult ceteras feminas; satis esse spectatores huius dramatis ea verba audire; ergo hic persona scenica *spectatoribus* narrat, quid extra scenam agatur! Idque St. vocat artificium usitatum poetis. Apud K. et St. hoc quoque valde singulare est, quod rusticus ille volens abducere puellam longiore veris descriptione utitur, de ipso proposito vix verbum ullum (an « surge » ita accipiemus?) eloquitur, denique se subito re infecta recipit. K. statuit, amicum venire noctu et illucescente

---

1. In sola allegoria nihil impedit, quominus adsint « fil. Ier. », etiamsi ob aliquam rationem Sponsa ruri fingitur versari; sed Del. et Z. Sulamitidem domum s. casam paternam in Galilaeam redisse censent. Hoc cogit dicere illa diligens loci exquisitio, de qua diximus.

die occupari, ut diutius manere non sit tutum; St. contra, eum audere clara luce accedere, sed ob id ipsum de periculo admoneri et ad vesperam re infecta differri. Cur non ita res instituitur, ut aliquod certum consilium fugae ineatur? Cur huiusmodi conatus inutilis *hieme demum interposita* fingitur? Cur amica tam murum horti regii *nostrum* parietem, quam vincas remotae patriae *nostras* vincas vocat (v. 9. 15)? Cur in *montes* fugere amicus iubetur? Hic quoque, quia de loco multa quaerunt, quae poeta noluit distincte dicere, in diversas opiniones aberrant, et unum hoc demonstrant, non posse locum actionis *historiae* aptum ullo modo definiri.

Reliquum est, ut addam, multos (Umbr., Vaih., Ren...) tot difficultatibus commotos iam hic *somniantem* Sponsam inducere, et concedit Zoeckl. ista omnia similia quodammodo somnii esse nec severe ad historiae modum interpretanda; sed excitatae cogitationis esse praeterita repraesentare, absentia intueri, media transilire. Concludendum est iterum, falsissime solere gloriari historicae interpretationis sectatores, se posse vel omni adhibito conatu verba scriptoris apte enarrare. Sed paene omnes difficultates, quas tantopere deplorant, ipsi sibi, negligenda allegoria, procrearunt, nec potest non esse multo maior inter eos quam inter allegoricos dissensio. Inter hos enim cum constet de Sponso et Sponsa, de summa rerum gestarum, de forma universa carminis : eadem haec diversissime explicantur apud illos, ac praeterea de loco actionis maxime varia statuuntur, item de somno ac vigilia Sponsae, de numero personarum, de propria aut impropria multorum versuum explicatione (nam allegoriis carere neutiquam vel inviti possunt); de honestate denique Cantici et utilitate definienda magnopere ambigitur, ut, si verum est, veritatem esse simplicem, errorem multiplicem, vel hac ipsa dissensione facile adducimur, ut ad allegoricos potius nos applicemus; id quidem certe evidens est, non solvi historica interpretatione Cantici aenigmata.

III. scena 3,1-5.

LXX v. 1. addit ἐκάλεσα αὐτὸν καὶ οὐχ ὑπήκουσέ μου (ut 5,6); item AC in v. 2, ubi additur etiam καί ante ζητήσω. 4. τῆς συλλαβούσης = quae concepit 5. omnino ut 2,7 (additis articulis).

Arg. — Ecclesia Sponsa solitudine, desiderio, dolore animi probatur. Surgens quaerit dilectum per noctis tenebras, donec obvium amplectitur et sic, ut 2,6. 7, praesentia eius fruitur.

Non omnino continuari hic superiorem narrationem vel descriptionem paene omnes concedunt, nisi quod quidam tamen *insequentem* noctem significari putarunt; at dicitur v. 1 *pluraliter* « per noctes », quo etiam illud excluditur, et hoc potius indicatur, per *aliquam* noctem vel per *complures* noctes Sponsam desiderio cruciatam esse. Itaque *rerum* aliquam progressionem et continuationem exquiri oportet. Quae in ipso *cruciatu desiderii et anxia investigatione* cernitur. Caritatis enim dulcedinem (usque ad 2,7) excepit contentio laboris (usque ad 2,17), iam hanc modo sequitur (3,1-5) *dolor* amantis animi, atque his tribus amor perficitur et ad suam maturitatem adolescit, ut deinde apte adiungatur desponsatio (a 3,6). Sed dubitare licet, sitne idem hoc

desiderium, quod 1,1 sqq. Idem omnino vel saltem simile, si ipse *amor* desiderantis spectatur, at diversum, si *dolor* animi attenditur. Ibi laeta exspectat exoptatque amica amicum, atque ita adventus eius a poeta apparatur; hic dolens gemensque per noctes insomnes absentem insigni cum molestia (vv. 2. 3) anquirit, atque ita se praestat prorsus quasi quodam vulnere ictam amoris et dignam, cui se totum ille desponsatione tradat et coniungat. Ita locorum ipsa similitudo adiuncta dissimilitudine aperit carminis progressum.

Ad verba veniamus. V. 1 « *In lectulo meo per noctes quaesivi, quem diligit anima mea; quaesivi illum et non inveni* ». Nox et lectus imprimis doloris occasionem afferunt, quia solitudo et obscuritas, adiuncta insomniae molestia, faciunt, ut acerbius angatur animus : Lament. 1,2 « Plorans ploravit in nocte et lacrimae eius in maxillis eius ». Ergo ut Ierusalem, ita Ecclesia noctu dolere fingitur; « quaerit », i. e. desiderat oratque Deum, ut eius gratia recreetur; sed frustra quaerit, quia quodammodo abscondit se Deus, probandi causa, precanti, ut Ieremiae « in tenebris » clamantis « exclusit orationem » (Lament. 3,8). Iam igitur non corpore tantum, ut 1,1, sed gratia etiam abesse Sponsus videtur, et ne ad laborandum quidem ut eam excitet, se visendum praebet; quo absente noctem (intell. allegorice) supervenire et dolorem necesse est.

Non sinit Sponsam quiescere desiderium : v. 2 « *Surgam, et circuibo civitatem; per vicos et plateas quaeram, quem diligit anima mea; quaesivi illum et non inveni* ». Repetita in hac stropha (si metrum attendas) clausula renovationem doloris, iterata autem appellatio « quem diligit » amoris perseverantiam significat. Similes, ut argumento, ita conformatione hae strophae primis sunt c. 1, ubi item « dilexerunt te » geminatur et « trahe me » redintegrat superius « osculetur me ». Consuetudo enim haec Salomonis est et in Ecclesiaste et in Cant., ut recurrente rerum similitudine similia ponantur verba, et simul saepe leni variatione aliqua differentia notetur. Itaque eo loco, de quo dicimus, repetitum illud « quem diligit anima mea » auctam caritatem eius describit, quae iam iamque nuptura est divino Sponsa, altera autem formula (« quaesivi... ») anxiam sollicitudinem absentia illius maerentis. « Civitatem »pererrat, i. e. eam domum, quam ad 1,16 (p. 451) diximus; « universus mundus », inquit Orig. (schol.), « civitas est ». « Plateas » nolim separatim interpretari, quia tantum ad expoliendam imaginem spectant carentque propria significatione; neque enim placet, quod idem Or. addit : « circumeundum in sapientibus doctrinis, quae ipsae sunt vici »; nam ita et ad incerta delabimur et languescit oratio poetica. Nihil igitur

aliud dicitur nisi hoc : Sponsa quietis impatiens dilectum quaerit, ubi potest, i. e. toto ambitu domicilii sui terrestris ; idque ut clarius quasi oculis videamus, additur : per vicos et plateas.

Eodem pertinet custodum urbanorum interrogatio v. 3 « *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem ; num, quem diligit anima mea, vidistis?* » Difficile est et hoc quidem loco inutile quaerere, qui sint illi, quos interrogat; nimirum *obvios* alloquitur, qui quidem sunt hoc tempore et loco « vigiles ». Nomen Sponsi non exprimitur, ut 1,1, quia hoc usitatum est animo amoris pleno. Sed tertio adhibetur idem circuitus verborum (« quem diligit... »), ut summopere incensum amorem, desiderium, dolorem magis sentiamus. Immo vero rursum v. 4 « *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea* ». Nec mirum videri debet, quod additur statim : « *tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae et in cubiculum genitricis meae* ». Quid enim responderent vigiles, cum se Sponsus studiose occuluisset? Nonne in mentem hic venit Dei matris, cum Iesum triduo in comitatu frustra quaereret? Scilicet et Mariam matrem et Ecclesiam Sponsam idem Iesus dolere ad tempus sua absentia voluntaria voluit. Tacent igitur vigiles, quia, ubi sit, scire non possunt; vel potius poeta inutile responsum referre supervacaneum ducit. Pertransit illa aucto igne desiderii, spe fortasse reperiendi eius deminuta; atque hoc ipsum opportunum tempus est inopinata visione maerentem exhilarandi. « Paululum » tantum distulit, ne nimia tristitia opprimeretur. Quae quanto studiosius ac luctuosius eum quaesivit, tanto firmius tenet laetiusque amplectitur. Reducit eum domum suam s. matris suae (cf. 2,9), unde visus erat aufugisse. « In cubiculum genitricis » additur ob duas causas : 1. quia prorsus in penetralia eum sancta quadam vi inducere atque adeo includere cupit, 2. quia convenientia poetica exigit, ut auctoritate matris (patris nusquam in Cant. fit mentio) desponsationis negotium concludatur, et apud eam deinde tantisper maneat Sponsa, usquedum a Sponso suam domum more usitato deducatur.

De matre vix opus est curiose sciscitari; ponitur enim non propter se, sed propter filiam (cf. 8,2), et congruentius videri potest, matrem potius quam patrem nominari a filia. Sed ne singulare quidem est, matrem filiae Sion appellari totam vel nationem vel terram. Ez. 23 Samaria et Ierusalem mulierum personas ferunt habentque eandem matrem (v. 2), nimirum terram vel nationem Hebraeorum; cf. Os. 2,5; 4,5, ubi Hier. : « Mater vocatur populi frequentia et omnis turba nationis hebraeae, ad quam loquitur, filii autem [adde : vel filiae] vel singuli ex populo vel per oppida villasque dispersi ». Est igitur haec Sponsa,

filia Ierusalem vel regina Ierusalem, filia *populi sui*. Populus autem hic intelligitur haereditas Dei s. regnum supernaturale Dei in terra et quasi *mystica* urbs Ierusalem. Sed, ut dixi, mater non ut *persona* (quasi) scenica in hoc carmine inducitur. Potius filiae Ierusalem veras personas exhibent, ad quas proxima spectant verba v. 5 « *Adiuro vos...* » (prorsus ut 2,7). E qua obsecratione cognoscimus, redire hic similem contemplationis quietem atque post primam scenam Cantici; quae cur omittenda fuerit in secunda, ex interpretatione nostra sua sponte elucet. Sed in hac tertia quoniam labor (= dolor atque operosa investigatio) cum suavitate contemplationis *componitur*, rursum apparet, voluisse scriptorem ad absolutionem quandam adducere Sponsae caritatem.

At obiicitur hoc loco non levis interpreti difficultas, non quod adsunt et quidem in materna domo Sponsae filiae Ierusalem (id quod in allegoria sine dubio mirum non est), sed quod illa videtur rem *praeteritam narrare*. Supra (p. 468) negavimus in narratione versari Canticum atque etiam 2,10 sqq. ab ipso Sponso pronuntiari, non a Sponsa referri statuimus, et certe ut ibi sic hoc loco admodum languida evadunt omnia, si ea non fieri ante oculos nostros, sed facta referri putamus. Quamquam illud quidem nunc non opposuerim, ante 3,2 fuisse audiendum « dixi ego », quia post v. 1 facile intelligimus orationem hanc esse Sponsae nec magis quam v. 3 opus est ulla formula verborum, qua id indicetur (cf. Os. 6,1 ac saepius). Neque dixerim hebr. אַרְפֶּנּוּ, si comparetur cum מְצָאתִיו v. 1 et 2, *necessario* vertendum esse sic, ut est in Vulg. : « dimittam », non narrantis in modum « dimisi ». Sed gravius est, quod tota narratio non ut talis v. 1 inducitur, non magis quam 1,1 et 2,8, nec ullo pacto probabilius est hanc scenam quam primam esse narrantis in modum propositam; idem enim utrobique ardor *quasi scenicus*. Vicissim *iusti* dramatis ratio hic deficere videtur, ut ipsi eius defensores (v. g. Kaempf et Stick.) haec *narrari* velint in scena. Quod etsi per se cum dramatis ratione non pugnat, tamen et illa obstant, quae modo dixi, et hoc, quod non intelligitur, cur hic genus dicendi in *aliud* mutetur, et cur nunc ad *solas* filias Ier. instruendas tota scena accommodetur. Sponsam enim describi volumus nec id tam ipsius narratione, quam *actione* et *directa* affectionum manifestatione. Hoc enim ars desiderat.

Quam ob rem sic statuendum puto : poeta sacer ea, quae narrari potuerant, quia in *successione rerum praeteritarum* posita sunt, tamen artificio quodam *quasi* scenica fecit. Neque vero ita, ut *monologi* scenici instar, sicut fit in iustis dramatis, Sponsa meditando pronuntiet ante facta; non enim veri dramatis forma, ut vidimus, defendi potest. Sed *quasi* scenice et *proprie* lyrice ipsa Sponsa prima verbi persona eloquitur, quae poeta debuerat tertia persona narrare. Ergo « narrat » sane hoc loco, si ita loqui oportet, quid senserit ac fecerit, at non filiis Ier., sed *nobis*, i. e. lyrice et quasi sce-

nice pronuntiat. Qui modus excitat narrationem sinitque animi motus, ut hic fit, acrius notari. In c. 5, ubi res simillima ponitur, multo minus probabile est, Sponsam filiis Ier. narrare, se aliquando vocantem amicum a se amandasse, deinde vicos percursantem vapulasse (5,2 sqq. 7). Neutro autem loco ratio ostenditur, ob quam ista narret illis, aut fructus, qui inde nascatur; cf. vicissim 1,5, ubi haec facile intelliguntur. Minus etiam rationis et utilitatis cernitur 6,10, de quo suo loco.

Atque haec si recte diximus, iudicare licet, quae sit *verissima maximeque propria huius carminis forma*. Non prorsus dramatica : quia haec effici in hoc libro non potest, nisi *personarum* notationes aliaque *multa* excogitantur, ubi indicium in verbis nullum est; nec *actionis* ordinate contexendae ullus modus prolatus est, qui probandus videatur, de quo et diximus multa et aliqua dicemus. Neque vero totum Canticum *narratio* est, ut Sponsa omnia tamquam praeterita referat apud filias Ier. et aliquando prorumpat in eos motus, qui illarum rerum recordatione excitenter (quemadmodum Graetz statuit); frigesceret enim Canticum intolerabilem in modum et saepe essent addendae formulae quaedam, e quibus demum verba intelligeremus. Consequens est, ut carmen sit ex lyrico et scenico et epico mixtum. In hunc modum, i. e. *quasi* dramaticum, non *omnino*, nec tamen vere *epicum* (nisi sola interdum materia), sed potius *lyricum*, adhuc omnia facillime explicavimus. Exigua aliqua difficultas fuit 2,10; sed ibi formula inducens Sponsi orationem (quasi submisse per fenestram prolatam) per modum *exclamationis* ad eam attente audiendam reique novitatem bene considerandam acuebat animos; nec ullo modo cogimur v. 10, ac minus etiam v. 8, dicere potius narrantis esse, quam lyrice exclamantis; quae exclamatio (etiamsi *non adsint* sodales) haud est inepta. Cf. Is. 40,3. Altera esse potest difficultas, quod 3,5 appellantur filiae Ier., ac si his narrata sint superiora; sed oratio, *prima* verbi persona prolata, substitui potest (ut acrior sit color dictionis) pro *scriptoris narratione;* ergo pro hoc, ut dicat poeta : quaesivit, surrexit..., ipsam fingit dicentem. Exemplum simile Is. 61,1 sqq., quae verba, ut vera plurimorum interpretum sententia fert (v. *Knabenbauer* in comm. p. 436), Messiae sunt ac tamen sine ulla formula directe prima persona enuntiantur. Item Is. 49,1 sqq. Omninoque, ut id strictim moneam, apud Isaiam (in parte II.) non parva est dictionis similitudo, atque hinc ille ardor nascitur in legentium animis, quem molestioribus formulis ac narrationibus interpositis facile exstinguas. Totum autem artificium in hoc positum est, ut narratio *quasi* in scenicam orationem transponatur, sed ita ut haec tota natura sua non ad *actionem* tendat, sed *forma* quasi scenica *lyricum* carmen proponatur, scriptore suam (*narrantis*) personam, ubi res praeteritae ponuntur, omnino deponente. Dicendum est igitur Canticum *simpliciter* lyricum, quia non tam ad res gestas narrandas aut ad actionem perpetuam efficiendam, quam ad eloquendos animi sensus spectat; habet autem *formam* quasi scenicam, maxime quia *plures* personae loquuntur et quidam efficitur *progressus* actionis (v. dispositionem totius libri p. 413) ac paucis locis (3,6-11; 6,9; 8,5) *apparatus* quoque quasi scenicus adhibe-

tur. Sunt etiam loci qui *narrationis* habeant *speciem :* 3,1-4; 5,2-7, sed hos aliter explicamus.

Nunc aliquid lucis afferri videtur, ut omnia superiora paullo etiam clarius concipiamus. Si enim 3,1-4 statuimus non esse vere narrationem Sponsae apud filias Ier., sed poetae narrationem, scenice ac lyrice transformatam, licet etiam in prioribus capitibus quaedam sic accipere, idque commodius est. Nam vitium profecto carminis esset, filias Ier. induci tam pauca vel loquentes vel agentes, si voluisset poeta in *mutua communione* sermonum omnia absolvi; nec vero Sponsus semper adest, cum quo Sponsa loquatur. Convenit igitur multo melius non id spectasse proprie scriptorem, ut per mutuam sermonis communionem actio absolveretur. Sponsus sane et Sponsa cum una sunt, non possunt non etiam colloqui inter sese; sed alia est ratio filiarum Ierusalem. Quas etsi difficile est ab ulla scena excludere (cf. 1,4; 2,7; 3,5. 11; 5,8. 17; 8,4; de 2,8-17 ante vidimus; inter c. 4 actionem adesse eas ex 3,11 evidens est, idem dicendum videtur de c. 6 propter 5,17 et 6,7 sq.; c. 7 autem ab 8,4 non videtur posse separari), etsi, inquam, eas perpetuum esse Sponsae comitatum apparet, tamen non sequitur, ut actionis universae sint omnino participes. Res enim agitur inter illam et Sponsum; hunc autem unquam alloqui filias valde incertum est, nisi velis, id quod nobis non videtur, adiurationem 2,7; 3,5; 8,4 Sponso tribuere. Sponsam ipsae sane alloquuntur 1,7; 5,9. 17; sed haec ad actionem principalem iuvandam non multum conferunt. Monentur etiam a Sponsa 1,4. 5 et, ut nobis videtur in adiuratione; iubentur spectare Sponsum coronatum 3,11; semel earum opitulatio expetitur (5,8). Ecce tibi omnia de filiis Ier. Prorsus igitur secundariam personam gerunt, et si spectes 1,8-2,6; 4,1-5,1 et capp. 6 et 7, paene supervacaneam. Non ita multum igitur differt inter eas et *mutum* regum reginarumve in dramate Graecorum comitatum. Quapropter, cum Sponsus non adest, sola sibi vel potius *nobis* loqui Sponsa putanda est; quasi monodias canit, quotiescunque cum Sponso praesenti non sermocinatur.

Nihilominus quoniam adsunt semper (ut videntur), non agunt prorsus nihil. Quid igitur? Audiunt et discunt, instituuntur et servire conantur; quamquam serviendo re vera nihil iuvant (1,7; 5,17), nec spectando (3,11), nec silendo (2,7...). Semel (5,9) incendere videntur Sponsae amorem; sed eo ipso loco nihil manifestius est, quam earum verba solius *transitionis* causa poni, quae transitio, nisi illae adessent, potuisset alio modo perfici. Restat igitur, ut *institutionis* causa aliquantulam habeant actionis partem, cum vicissim Sponsi sodales tantum honoris causa adesse videantur (de quibus supr. p. 400). Atque in hunc modum de filiis Ier. in c. 1 egimus, ut, quod essent paullo rudiores, monerentur et discerent a domina. Quodsi quis quaerat, quid agant 1,8 sqq., nunc respondemus eas non ita esse actionis participes, ut necesse fuerit eas aliud ibi agere nisi audire, admirari, discere; sed eas non abisse, elucet ex 2,7. Porro in iis, quae sequuntur, eas adesse recte concluditur ex v. 9 (« nostrum ») et v. 15; sed rursum spectatrices sunt, non actrices; quodsi quis id miretur, dici oportet, ut modo

significabam, non *tam* iis, quam nobis ibi Sponsam loqui. Haec enim a Sponso educatur et per eam ad comites gratia virtusque sua sponte derivatur; vident enim illius exemplum et paulatim ad perfectum amorem quasi non animadvertentes informantur. Nec necesse fuit distincte huius progressionis gradus et absolutionem designari; id scriptori videri potuit perturbare actionis simplicitatem; certe quidem usque ad finem Cantici volaticam quandam parumque definitam speciem actionemve fil. Ier. prae se ferunt. Denique c. 3, unde digressi sumus, non cogimur vv. 1-4 proprie narrationem dicere rerum praeteritarum, quo instruantur ad aliquid agendum comites (nullum tale consilium indicatur), sed Sponsa soliloquio *nobis* (et sane etiam comitibus, quia revera adsunt, sed his indirecte) acta refert, vel etiam rectius : proponitur dilectum amplexa, eumque a se quaesitum et inventum gloriatur, ut rectissime S. Hier. futuro tempore usus sit in « dimittam »; « tenui » autem est quasi praesens : « arripui ac teneo ». Itaque ut iterum brevi complectar hanc de forma Cantici disputationem : lyricum carmen est, sed tale, in quo multa collocutione inter Sponsam et Sponsum agantur, alia autem ita, ut Sponsa *non tam* alloqui comites vel cum iis colloqui, quam quasi sola sui animi sensus eloqui videatur.

Historica interpretatio loci huius in tot tantasque incurrit difficultates, ut id plerique recentiores fatentes somnia, nisi forte iam 2,8 coeperunt, inducere cogantur. Indicium autem in verbis frustra quaeras, cur hic potius, quam 1,1 sqq. Sponsa somniet. Nec rem expediunt somnia; quia sic quoque inexplicabile est ipsum poetae commentum. Inscite et absurde enim, nulla cogente causa, sponsam regiam faceret, contra omnem morem populorum, urbem noctu percursantem idque ipsam, nulla necessaria causa, virginibus enarrantem. Deinde quomodo vel in somno, nisi maxime singulari (quali poeta uti non debuerat), Sponsa Sponsum regium noctu cogitet urbem pererrare? Quae porro est ea urbs prope domum maternam puellae rusticae (v. 4)? Num etiam filiae Ier. ibi sunt? Apud Del. enim et Zoeckl. Sponsa, etiam cum narrat somnium, in patria versatur, neque sane post 2,9 loci mutatio indicatur, et 3,6 sqq. indidem deducenda est; ergo desunt etiam, quibus narret somnium, et revera fatetur Z., animo commotam Sulamitidem *absentes* filias alloqui! Postremo adde turpitudinem, quod v. 1 nondum nupta in lecto suo quaerit Sponsum. Del. somniari hoc et somniatum mulieribus narrari non censet turpe; Z. frustra conatur explicare : in lecto cubans *mente* quaesivi; dicendum autem fuit אֲנִי עַל־מִשְׁכָּבִי, et manet tamen subobscoena ambiguitas. Quid quod suum amicum noctu in (dormientis) matris cubiculum introducit? Annon id quidem maxime indecorum? Hoc quoque inconveniens, quod filiae Ier. certe non potuerunt, si praesentes erant, ut Kaempf opinatur, divinare somnium ab illa narrari. Stick. negat aut in somniante aut in vigile ullam cerni turpitudinem, sed fortitudinem; ergo inutile somnii commentum respuit; item Graetz. Quotusquisque assentietur?

PARS II.

DESPONSATIO.

IV. scena 3,6-5,1.

Differentia Vulg. et LXX. III 6. Quae est ista... sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae; τίς αὕτη... ὡς στελέχη καπνοῦ τεθυμιαμένη σμύρναν; 7. lectulus, κλίνη; tenentes, κατέχοντες (= אֹחֲזֵי); 9. ferculum, φορεῖον; 10. reclinatorium aureum, ἀνάκλιτον χρύσεον; ascensus purpureus, ἐπίβασις πορφυρᾶ; media (neutr.) charitate constravit propter, ἐντὸς αὐτοῦ λιθόστρωτον ἀγάπην ἀπό. — IV 1. quam pulchra; absque eo, quod intrinsecus latet, ἐκτὸς τῆς σιωπήσεως σου; greges, ἀγέλαι (plur.), item v. 2; quae ascenderunt, αἳ ἀπεκαλύφθησαν; 2. omnes — eas; αἳ (sic lege) πᾶσαι (fem.), αὐταῖς; 3. eloquium, λαλιά; clausula ut v. 1; 4. cum propugnaculis, εἰς Θαλπιώθ; 6. Λιβάνου, sed cf. v. 11; 8. veni, δεῦρο (quasi ab אָתָה = venire); coronaberis de vertice Amana (שׁוּר = cingere, v. g. muro?), διελεύσῃ ἀπὸ ἀρχῆς πίστεως (שׁוּר = migrare, et pro nomine proprio appellativum); 9. vulnerasti, ἐκαρδίωσας ἡμᾶς (רִנִּי pro רַנִּי); in uno crine colli tui, ἐν μιᾷ ἐνθέματι τραχήλων σου (? Theodor. ἑνί); 10. mammae, ubera, μαστοί, ut initio libri; 11. favus distillans, κηρίον ἀποστάζουσιν; odor thuris, ὀσμὴ Λιβάνου (sed idem nomen est appellativum); 12b. hortus, κῆπος (גַּל); 13. emissiones, ἀποστολαί; pomorum fructus, καρπὸς ἀκροδρύων; 14. fistula, κάλαμος; ligna Libani, ξύλα Λιβάνου (an λιθ-?); ἀλώθ sine καί; 15. κήπου (sing.), item ὕδατος; 16. additum καί ante διάπνευσόν, item ante ῥευσάτωσαν (hic etiam « et » in Vulg.). — V 1. pomorum suorum, καρπὸν ἀκροδρύων; favum cum melle meo, ἄρτον μου μετὰ μέλιτός μου; extremo loco : carissimi, ἀδελφοί (hebr. דּוֹדִים).

Arg. — Sponsus coelestis cum insigni apparatu advenit, occurrunt Sponsa eiusque comites (3,6-11). Ipse Amicae describit pulchritudinem (4,1-5). Haec laudes declinans iubet ire « ad montem myrrhae » (4,6). Ille decorem « *Sponsae* » praedicare pergit cum eaque ad locum convivii venit (4,7-5,1).

Rursum non sine intercapedine scena scenae iungitur. Quievit Sponsa v. 5 nec est, cur eam quietem repente interpellari dicamus; immo vero Sponsus, qui modo aderat (ut nos quidem rĕcte statuere visi sumus), nunc e longinquo, prorsus ut 2,8, redit, nec quidquam habent ea, quae sequuntur, cum superioribus commune. Itaque altius repe-

tenda est orationis continuatio. Quae in describendo amoris incremento ac familiaritatis posita est. Parata atque educata satis est Sponsa, ut nuptiale foedus rite iniri possit. Itaque Salomon coelestis pompam sponsalem ducens occurrere dilectae obviam eunti fingitur 3,6 « *Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?* » *v.* 7. 8 « *En, lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi; uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* » Vulgatam si sequimur, hinc *Sponsa*, illinc *Sponsus* adventare dicitur, suntque multi, qui v. 6 מִי זֹאת velint reddi (ut factum est ab Hier.) feminine : « quae est ista ». Cuius interpretationis ratio sane probabilis est, quod eadem verba 8,5 de Sponsa usurpari videntur; ut multi censent, etiam 6,9. Alii זֹאת pro more Hebraeorum neutrum interpretantur : « quid est istud », idque sine dubio rectius. Ad totam enim pompam, non ad unam personam spectat descriptio adiuncta; Sponsa enim non potest fumi volumini et aromatum vaporibus comparari. Praeterea v. 7 videtur ad illam interrogationem *responderi;* non enim profecto decet, Sponsam incerta aliqua interrogatione tantum, Sponsum autem manifesta appellatione et longa descriptione designari. Porro hebr. sequitur : « ecce lectica *eius* », i. e. Salomonis, ubi « eius » respicit eiusdem mentionem iam factam, etsi hoc quidem non urgeo. Denique v. 11 demum cum filiabus Sion procedere Sponsa videtur. Quod autem eadem verba hic paullo aliter atque alibi explicanda sunt (sed v. infr.), id in hebr. lingua minus offensionis affert, quia omnino promiscue forma fem. etiam pro neutro usurpatur; hoc autem ipso loco explicat poeta, quid intelligi velit.

Ad verba Vulg. haec nota : pro « virgula » solent vocem hebr. vertere « columnam »; S. Hier. fortasse *virgulta* scripsit, nam et hebr. vocabulum et graecum (στελέχη = stirpes) plurali num. positum est (Ioel 2,30, hebr. 3,3, pro « virgula fumi » Vulg. habet « vaporem fumi »). Origo verbi hebr. satis obscura est, sed recte duci potest a יָבַר (= erigere), ut designet rem erectam (cf. תָּמָר = palma; itaque fumi ascendentis erectam columnam vel quasi virgulam, virgultum intelligamus. Quod Hier. fumum ad sola aromata refert (« *ex* arom. »), id suo iure facit; nam pro מְקֻטֶּרֶת legit מְקֻטֹּרֶת (ut Aq., Symm.) et עָשָׁן optime de aromatum fumo usurpatur. Sed recte etiam LXX τεθυμιαμένη, quod ad τίς αὕτη refertur; minus quidem apte id de *persona* dicitur, cui incensum adoletur, sed aptissime de tota *pompa* (ut explicavimus), quae cum sit circumfusa aromatis fumantibus, speciem offert fumi ignis convoluti.

« Desertum » explicatur aliquatenus 3,8 : loca vasta parum *tuta* ipsi Salomoni, et 4,8 : prope Libanum montem. Comitatus igitur armatus non *solum* honoris, sed etiam praesidii causa adducitur, vel propter hostes et latrones (extra fines, ut videtur, terrae Israel) vel propter feras bestias (4,8) noctu vagantes; et quoniam hebr. pcnuntur timores noc*tium*, Sponsus videtur aliquantum iter usque ad fines terrae sanctae fecisse.

Haec omnia allegorice intelligenda sunt. Ille Salomon, qui hic celebratur, e longinqua regione per montes diruptos (2,17) non sine difficultate et periculo (ut humana fert rerum consideratio) armatus appropinquat; cui obviam fit paullo ultra limen patriae filia Sion. Iam 2,8 ille simili modo accedebat, atque ad 1,8 visus est nobis quidem (quasi) curru vectus e longinquitate venire. Et sane etsi suum iste Salomon domicilium habet etiam in terra Israel, in templo potissimum urbis Jerusalem, tamen cum Sponsam ducit filiam Sion, multo rectius fingitur non eandem, quam illa domum terramque habitare; solent enim principes aliunde sibi arcessere uxores (quem morem Salomon, David successor, contra legem divinam secutus narratur 3 Reg. 11, 1 sqq.). Ergo tamquam e terra aliena, montuosa et inculta (« desertum ») ad terram lacte et melle fluentem quasi immigrare Sponsum cernimus. Deus ab aquilone venit etiam Ez. 1,4; ceterum pro ipso coelo aquilo positus est Job 26,7 (quia haec nostra hemisphaera ad septentrionem vergit); denique plerique populi praeter Arabes et Aegyptios Hebraeis habitant ad aquilonem, ut Babylonii, Assyrii, Syri, Medi (cf. Zach. 2,10 [6]; Ier. 3,18; Is. 14,31; Dan. 11,6 sqq.). Neque *pulchrior* videtur esse descensus quam a Libano ad Ierusalem, cum in eo itinere universa fere terra peragretur. — Numerus quoque sexaginta symbolicus est, ut explicavimus p. 397, et « fortes Israel » sunt Dei militia (צְבָא יְהוָה), Israel populus Dei; eodem enim prorsus iure, quo coelum Ierusalem, licet coeli militiam fortes Israel vocare. Ergo nihil obstat, quominus Sponsus peregre adveniens, tamen in comitatu habeat fortissimos Israel, i. e. angelos.

Sequitur descriptio vel eiusdem lecticae, cuius mentio facta est modo, vel fortasse potius ipsius lecti nuptialis, quem secum affert v. 9. 10 « *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum; media caritate constravit propter filias Ierusalem* ». S. Hier. idem existimavit lectulum v. 7 (מִטָּה) et ferculum (אַפִּרְיוֹן), nisi quod hic maluit ipso vocabulo magis spondam lecticae, quae columnis nixa esset, significare. Sed hic non tam lectica describitur portabilis (cum circulis et asseribus, quibus portantur lecti vel sellae gestatoriae) quam potius

lectus stabilis cum sua sponda. Habet enim columnas s. pedes argenteos, et basim seu fulcrum ipsius tori purpurei s. ascensus (מֶרְכָּב = id, in quod ascenditur, Lev. 15,9 de sella equitantis). Magis autem proxima verba de instrata a filiis Ier. (Vulg. *propter* fil.) caritate ostendunt lectum nuptialem describi divini Sponsi, cuius sit quasi culcita plumea caritas earum, quae desponsandae sunt. Accedit tanta magnificentia rei descriptae, ut minus lecticae usitatae, quam lecti nuptialis esse videatur. De lectorum ornatu cf. Am. 6,4; Prov. 7,16 sq. Quamobrem post ipsam lecticam (v. 7) nunc id, quod est in illa collocatum, ob oculos poni censeo. (Vocabulum ipsum hebr. incertae originis est ac notionis, cf. supr. p. 343).

Congruit, quod deinde ipse Sponsus, cuius est lectus hic pretiosus, distinctius designatur atque ita *gradatim* a communioribus ad singularia maximeque insignia descriptio progreditur[1] v. 11 « *Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius* ». Coronam Salomon fert, quia nunc proprie Sponsus est; « veterem autem morem », inquit Del., « coronatos procedere sponsos, Sota 9, 14 testatum videmus », suntque loci ipsius Scripturae, unde concludas id vel constanter usurpatum esse vel usurpari potuisse (supr. p. 343). « Matris » est autem imprimis, ornatum huiusmodi filio providere. At quae tandem Salomonis coelestis mater? Apostolus (Gal. 4,26) mysticam Ierusalem matrem nostram vocat; et similiter Sponsae matrem supr. p. 481 interpretati sumus; in eundem autem modum Sponsi mater recte dicitur patria eius coelestis. Quae metaphora etsi nihil habet prorsus insoliti, tamen omnino ne opus quidem est de matre quaeri; *consequentia* enim ipsa *poetica* exigit, ut Sponsus sit a matre corona redimitus. « Laetitia » indicat, cuius rei sit corona symbolum; addi autem potest, id quod « diadema » in Vulg. significat, eam *simul* regium esse insigne (idem verbum sic usurpatum est Zach. 6,11. 14). Evocantur ad Sponsum contemplandum « filiae Sion », quas distingui non est *necesse* a « filiis Ier. »; fortasse tantum varietatis causa hoc nomine appellantur. Quamquam est bona ratio distinguendi ob rem ipsam, non ob verbum, in eo posita, quod, ut mater Sponsi est coelestis Ierusalem, ita lecti eius exornatrices v. 10 quasi sorores coelestes sunt, i. e. spiritus beati, qui non minus, quam animae piae in hac terra incolentium, *filiae* Ier. vocari possunt. Quadrabit fortasse melius : « medius lectus constratus caritate *a* filiis Jer. », quae sententia

1. cf. « Salomon » v. 7, « rex Sal. » v. 9, « rex Sal. in diademate ».

in Vulg. leniter immutata est. Sane Sponsae comites, terrestris Ierusalem filiae, *minus* apte dicuntur Sponsi lectum e longinquo allatum constravisse, etsi id recte intelligi *potest* de ea caritate, quae movit Sponsum, ut lectum nuptialem compararet. Necesse est autem filias *Sion* v. 11 dici eas, quae sunt terrestris Ierusalem, sed in coelestem, in mysticam, desponsatione assumendae; quarum regina ea est, quae magis proprie nunc Sponsae personam gerit. Hae igitur salutare iubentur Sponsum adventantem, cui hucusque obviam processerunt. Occurrunt igitur nunc inter se Sponsus et filiae Sion, quarum dux est ipsa Sponsa, et adiungitur c. 4 consalutatio.

Sed eam antequam explicemus, breviter inquirendum est, a quo ista omnia 3,6-11 pronuntientur; nam pro narratione hic quoque quasi scenica dictio adhibetur. Ipse *Graetz* scenica interrogatione et descriptione rem absolvi concedit, sed ita, ut his ipsis, quae ad amorem a Sponsa *narratum* proprie non pertinent, eius narratio *interpelletur :* subito praeterire pompam nuptialem Salomonis; qua praetergressa resumi narrationem. Quae explicatio etsi maxime singularis est, tamen idem Gr. recte dicit, scenam non esse *proprie* dramaticam. Nam v. g. apud *Ren.* Salomon cum Sponsa *nihil loquens* solum praetervehitur et c. 4 *alio* loco versatur et v. 8 inducitur pastor amicus Sulamitidis (sic enim *vult* ille). *Stick.*, etsi loqui Salomonem statuit *eodem* loco ea, quae sunt 4,1-6, tamen reliqua censet alio loco ab amico rustico dici; Salomon autem 4, 6 Sponsam, cui modo occurrit, valere iubet usque ad vesperam! Licet igitur haec iusti dramatis pars non sit, tamen certae personae sunt quae loquantur scenicum in modum. Dubitatur quae sint. 3, 6 ita se habet, ut possit videri ipse poeta, animo prospiciens futura, admirari rem oculis suis obiectam; cf. Is. 63,1 : « Quis est iste, qui venit de Edom? » Et possit ad huiusmodi interrogationem, ut Isaias facit l. c., ipse respondere. Ne v. 11 quidem huic explicationi obstat. Sed alia ratio contraria est, quod, cum plerumque in hoc libro colloquia referantur aut saltem personae certae inducantur loquentes, non est verisimile, poetam voluisse se illis adiungere, vel in hoc loco vel in illa adiuratione 1,7; 2,5 ac similibus versibus. Facile enim est, ea omnia alicui ex iis personis attribuere, quae cetera loquuntur, idque ars poetica videtur requirere. Quamobrem statuendum esse puto, *aliquam vel aliquas* e Sponsae comitatu hic loqui. Videt aliqua vel plures vident procul advenientem Salomonem; omnes enim eum exspectantes identidem prospiciunt. Tum illae, si plures sunt, inter se interrogantes ac respondentes ea dicunt, quae sunt v. 6-10, atque domo evocant sodales cum ipsa Sponsa. Verum hoc quidem est, ordinatius omnia proponi, quam fieri in vero colloquio probabile sit; nam v. g. *absoluta* descriptione distincta lecti iam praesentis, tum demum socias advocant. Ita hoc quoque loco cernitur, eiusmodi *quasi* scenicam collocutionem non dramaticam imitari veritatem, sed *formam* quandam esse poeticam, qua lyricum carmen iucundius ornetur atque

excitetur, ut nobis legentibus potius quam testibus audientibus illa dicantur; id enim est lyrici carminis, si cum dramatico comparatur, maxime proprium.

Cernitur autem in hac ipsa re dictionis artificium; ad quod, ut id breviter attingam, accedit eiusmodi ornatus, quo cogitata sublimia pulcherrime vestiantur. An Sponsi adventus aptius designari potuit, quam aromatum incensorum tanta copia, ut nubeculae instar iter facientem praecedat? Symbolum autem hoc est coelestium gratiarum (cf. 1,1 sqq. 12 sq.). Maiestas militari apparatu significatur, suavitas lecti nuptialis descriptione, laetitia ornamento capitis. Atque omnia in hac quarta scena, ut decuit, ornatiora sunt et laetiora.

Sponsi est Sponsam alloqui et blandis sermonibus eius promereri consensum; qui datur 4,16 (cum 5,1[a] in Vulg.), et, ut nobis videtur, 4,6, etsi multi hunc versum Salomoni tribuunt, quod v. 6 sq. non sit certum indicium mutatae personae. Versus singulos percurramus. 4,1[a] « *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet* » (LXX ἐκτὸς τῆς σιωπήσεως, quod *secretum* intellexit Hier., recte, ut videtur; hebr. verbum nunc reddunt *velum*, cf. P. *Knabenbauer* ad Is. 47,2). Repetitur 1,14 idque prorsus ad verbum in hebr., nisi quod illic Sponsi oratio ab amica interpellabatur, hic autem versiculus ab ipso congrue expletur; consentaneum est enim *relatam* Sponsam adduci. Per tenue igitur velamen vel post (מִבַּעַד) similem amictum ea, quae intrinsecus (*non :* in animo!) latent, maxime oculi radiantes, cernuntur; ad hos autem primos sua sponte fertur intuitus Sponsi Sponsam consalutantis. Deinde reliqua, quae sunt in capite et muliebrem pulchritudinem (allegorice) designant, describuntur; quae ad amplificandam hanc ipsam pulchritudinem, non vero eo consilio adhibentur, ut in singulis *propria* attendatur allegorica *significatio :* 1[b]-3 « *Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet.* »

Prius illud « ascenderunt » non satis intelligitur; alii ex arab. vertunt « consederunt, cubarunt », alii « levigatae, comptae sunt ». « Omnes » et « inter eas » rectius ad dentes refertur legiturque *eos;* nam in hebr. pronomen est generis masc., quod quidem interpretes solent pro fem. accipere, non necessario et ne melius quidem. « Eloquium » an « os » vertendum sit, dubium est. « Genas » quoque (vel potius *genam*), alii vertunt *tempora* (ut Iud. 4,21; 5,26); sed tempora omissis genis ab eo, qui ex adverso intueatur, nominari profecto permirum est; LXX quoque habent

μῆλον, quod graece pro gena dicebatur; et fortasse tempora רַקּוֹת vocata sunt ob eandem mollitiam, quae est propria genarum, ut illud vocabulum proprie sonet *molliorem* capitis partem. Haec de verbis; cf. interpretationem, quae sequitur.

Filia Sion, quae est eadem filia *Israel*, i.e. populi universi gerens personam, grandibus imaginibus, a *terrae sanctae pulchritudine* depromptis, adumbratur. Id autem facile fieri potuit, quia poetice populi persona cum urbe vel terra saepe ab Hebraeis commutatur, cf. Ier. 46,19; Is. 1,8; eiusdem rationis est et in eodem argumento, quod in Apocalypsi S. Ioannis coelestis Ierusalem modo urbis, modo sponsae personam fert idque in uno eodemque versu 21,2. Estque haec regula summi momenti, ut Canticum recte interpretemur. Nam etsi allegorica poesis facile patitur magnas exaggerationes, tamen si diligenter attenditur, non potest esse dubium, quin in Cant. inveniantur quaedam prorsus *ingentes* superlationes eaeque tales, ut omnino ab *amoenitate terrae sanctae* translatae sint : 4,1. 2. 4. 11 (mel et lac). 13-15; 6,3. 4; 7,4. 5. 7 (de palma cf. Fuerst lex. s. v. תָּמַר); immo vero paene omnia, quae de Sponsa dicuntur, huc eodem referri possunt, et 7,2 hac explicatione facile amovetur species indecori, quia praeter mel et lac et oleum vinum et triticum imprimis erant propria Palaestinae (Deut. 32,13. 14). Illud fortasse maxime scriptorem sacrum commovit, ut imagine terrae promissionis decorem Sponsae depingeret, quod haec omnino connexa inter se copulataque sunt; pignus enim quoddam et imago terrae fertilitas fuit eorum donorum coelestium, quibus Deus, qui et populum et terram elegit, Hebraeos ornavit. Semper autem versari ob oculos debet, poetam allegoricum grandes requirere imagines, quo ea, quae rebus humanis altiora sunt, digne describat. Iam nihil reliquum erit in comparationibus adhibitis ineptum.

Ergo caput Sponsae monti confertur (7,5), coma igitur defluens hoc loco describitur quasi greges caprarum cingentium verticem montis Galaad. Caprae enim intelliguntur pilis nigris et mollibus et leniter compositis, quorum abundantiam coma muliebris bene nutrita decenterque pexa, si semel parva grandibus explicare placet, apte imitatur. Sed id hoc loco de ea muliere dici, quae plus quam humana fingitur specie, non oportet oblivisci. « Galaad autem », inquit *Zoeckl.*, « mons opulentissimus *gregibus* (cf. Num. 32,1; Mich. 7,14; Ier. 50,19), quem recentiores quoque quasi obsitum gregibus inveneruntt ». Quae comparatio sua sponte deducit ad similitudinem ovium tonsarum, cum modo lotae pulcherrimo sunt aspectu. « Tertium comparationis » partim sane in pulchritudine generatim invenitur, quia

oves post tonsionem et lotionem *nitidiores* sunt atque ita quasi dentium albedinem prae se ferunt; sed imprimis id, quod sequitur de *gemellis* foetibus, comparatur. Narrant, qui orientem peragrarunt, plerumque oves ibi geminos agnos edere; sunt autem dentes, nisi qui exciderunt, omnes gemelli; ex hoc igitur ducitur exaggerata sane, sed eadem peridonea descriptio dentium. In hebr. ipsi dentes, audacissima dictione, vocantur gemelliparae oves, in quibus nulla sit orba (attende suffixa masc.).

Deinde ad flores fructusque descenditur. Labiorum rubor similis dicitur coccini filo (Vulg. ornatius : *vittae*), cingenti *os decorum*. Ita enim verba adiuncta intelligo, quia vox hebr. pro « eloquio » aeque bene « os » reddi potest, et praedicatum « decorum » (sic hebr.) ori magis convenit, quam sermoni; deinde sermonis dulcissimi mentio fiet demum v. 11. Sed quoniam ori non accommodatur comparatio, haec pars enuntiati cum priore quasi in *unum* iungenda est, ut vitta coccinea intelligatur os reddere decorum (« cingens os decorum»). Mali punici imprimis *forma* rotunda videtur genae conferri; nam si de colore interno dissecti pomi neglecta forma (ut quidam volunt) ageretur, is sine dubio magis perspicue quam verbo *segmenti* designatus, dictumque esset pluraliter *genae* (nunc hebr. *sing.*); deinde graece quoque μῆλον ad elata ubera ob *formae* similitudinem transfertur. Quamquam color subrubeus mali punici (sive externus sive internus) novam efficit similitudinem. Augetur autem notio rei pulcherrimae, quod rursum additur, ea omnia adhuc subobscure tantum dispici; multo enim videri pulchriora necesse est velo remoto; sed decentiae est, etiam in descriptione hanc adhiberi moderationem verecundiae.

Post capitis partes, ut res postulat, inferiora similem in modum laudantur v. 4 et 5 « *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis* (hebr., ut videtur : *tereti structura aptata*) *mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis* ».

Quod Vulg. reddit « propugnacula », hebr. est תַּלְפִּיּוֹת; cuius vocabuli quae sit propria notio, incertissimum est : LXX non vertunt omnino, *Aq.* et *gr. Ven.* ut *Hier.*, alii aliter. Demonstrat *Del.*, aramaice atque in Talmud usurpari לוּף et לְפִי, subst. לוּפִי et לוּפְתָא de iunctura s. commissura variarum rerum. Ex hac notione optima sententia derivatur haec : turris David exstructa per modum commissurae, i. e, accuratissimo opere aptata. Latini teretes cervices, teretia crura appellant, quae sunt « in longitudine rotundata » (Festus), accurate et firmiter compacta. Id optime quadrat et in turrim et in collum, quia haec et oblonga et apte structa et quasi tornata firmitatis pulchritudinisque speciem prae se ferunt. Del. tamen explicat : per gradus exstructa, ut quasi una turris alteri videatur, more Assyriorum, imposita.

Quae sit turris David, difficile dictu est, etsi turres quaedam insignes commemorantur 2 Esdr. 3,25 sq. et alibi (cf. Fuerst lex. s. v. מִגְדָּל); sed *mille* scuta *extrinsecus* huiusmodi turri *appensa* fuisse ne verisimile quidem est; quingenta Salomonis scuta (aurea et argentea) posita dicuntur « in domo saltus Libani » (3 Reg. 10,16 sq., cf. ib. 14,26 sq.). Ceterum allegorica interpretatio non requirit nisi fictam imaginem rei verae similem : turris aliqua fingatur David, eique appensa fortissimorum omnium mille scuta. Sic explicatur etiam « omnis (i. e. universa) armatura fortium » (noli vertere : quae omnia fortium fuerunt scuta — dicendum enim fuerat כֻּלָּם pro כָּל). Ergo *Ecclesia*, quae est Sponsa, magnae cuipiam structurae comparatur armis optimis ornatae, quae eius sunt tamquam torques pretiosus (1,9). Porro ubera gemellis capreae inter lilia pascentibus aequantur, ubi « pasci inter lilia » (cf. 1,16) sine dubio aliquid purum sanctumque signat, ne necessaria hoc loco pubertatis mentio (Ez. 16,7 : « Grandis facta es... ubera tua intumuerunt », cf. infra 8,8) indecori speciem afferat.

Hoc loco respiciamus breviter v. 1-5. Huiusmodi descriptio aliena sane esset a carmine sacro, si puellae Salomoni carissimae venustas ita singulatim exponeretur, quia nihil nisi corporea eaque coloribus acribus depinguntur; et esset subabsurda comparatio in versibus 1. 2. 4, quamvis magnae aliquando a sacris quoque scriptoribus superlationes usurpentur. Sed et, quae inhonesta videntur, fiunt honestissima et, quae nimium exaggerata, ad rei dignitatem exprimendam optime inventa et personae (filiae Sion s. Israel) egregie accommodata. Negavi in allegoria expolita minutam explicationem partium adhibendam esse; ergo hoc loco sola notio pulchritudinis muliebris quasi articulatim expanditur. Nihilominus hoc quoque significatur, *omnes* partes singulas Ecclesiae suam habere propriamque perfectionem, ut in hac muliere descripta corporis membra; in quibus si quae proportione quadam sublimioribus rebus respondent, ea directe *licet* transferre. In eo genere sunt oculi; est enim sane in Eccl. visio et intelligentia; sequitur, ut sit ita praestans, ut poetae praedicare liceat oculos columbinos. Item magnifica quaedam et invicta Ecclesiae potentia est, in quam cadit similitudo turris armatae. Sed longius ea persequi vel absurdum est vel inutile vel non necessarium, nec apparatus poeticus subtili disquisitione discuti destruique debet. Cf. supr. p. 398.

Haec Sponsae descriptio pertexetur vv. 9-15. Etsi enim fortasse satis dictum est, ut iam haec laus eius cum 1,8. sqq. comparata videatur multo esse magnificentior dignaque die ipso desponsationis, tamen non debet tam cito absolvi. Nam ad vim poeticam aliquantum ipsa mora valet et longitudo descriptionis. Quam proportionem et mensuram pro rei tractatae natura optime hic poeta servavit. Itaque primam scenam Cantici satis copiosam esse vidimus, ut divini Sponsi liberalitas fieret manifesta; secundam

breviorem, ne laborem longiorem exigere videretur; tertiam brevissimam, ut probationis atque luctus contraheretur tempus; in desponsatione vero effusam cerni largitatem oportet. Accedit, quod Sponsorum iter ad urbem Ierusalem, vel ad locum convivii nuptialis (5,1), diuturnior oratio comitari debet; expleri enim huiusmodi tempora aliqua ratione idonea artis praeceptores iubent. Sed fecit optime poeta sacer, ut descriptionem Sponsae paullisper interrumperet et itineris initium indicaret, ut deinde illam persequeretur.

Sponsa igitur interpellat laudantem, verecundia suffusa, ut fieri vidimus in c. 1, et videbimus 7,9 (qui locus est admodum similis) : 4,6 « *Donec aspiret dies et inclinentur umbrae vadam ad montem myrrhae et collem thuris* ». Non sunt hic indicia mutatae personae omnino certa, sed valde probabilia. Nam 1) nihil loqui Sponsam ante v. 16 non videtur tolerabile, nisi consuetudo aliqua id prohibebat, sed nihil tale notum est; verecundia autem nimiam laudem declinantis satis placet. 2) Verba repetuntur a Sponsa ante (1,17) pronuntiata; sed id eiusdem personae indicium est, nisi quid certo obstat. 3) Si haec verba Sponso attribuuntur, et ad hunc versum et ad proximum est parum apta transitio. 4) Existimo his verbis aliquem contineri Sponsae consensum (etsi manifestius 4,16 et 5,1[a] Vulg. exprimitur); quae sit id opinandi ratio, statim intelligetur.

Ergo Sponsa finire huiusmodi sermonem cupiens in hunc fere modum loquitur : Ante vesperam redire velim, quo oportet. Quo igitur? Ad montem optimorum aromatum. Haec explicari de certo aliquo loco non possunt nec debent, quia poeta nihil addidit; solum fortasse ex v. 8 colligi licet, opponi inter se Libanum cum suis feris animalibus et montem iucundissimae suavitatis. Iam confer 1,2. 12 seq.; 3,6; 5, 13; 8,14 (opponitur 2,17) : erit opinor prorsus verisimile, montem intelligi, in quo Sponsus *dulcissimam suam caritatem* cum Sponsa communicet, illum, inquam, ad quem hoc potissimum desponsationis die eam adducturus sit. In ipsa quoque Sponsa caritas odorum symbolo declaratur 1,11; 4,14; 7,8. Locus quoque, in quem venit Sponsus et 6,1 et in hac ipsa scena extrema 5,1, dicitur aromatis refertus. Ergo eo cupit ire (אֵלְכָה־לִּי = utinam vadam, ire velim), ubi plena perfectaque Sponsi liberalitate fruitura sit. Is autem locus sine dubio in ipsa terra sancta atque re vera urbs est Ierusalem, quo Sponsa reducitur. Sed etsi iure intelligemus « montem filiae Sion, collem Ierusalem » (Is. 10,31) isque propter templum est proprie locus aromatum, tamen nomen ponere scriptor noluit, ne quis quaereret, possetne a Libano unius diei itinere Ierusalem perveniri. Inutilis est haec quaestio in allegorico carmine, sed melius est, ne moveri quidem dubitationem.

Apparet autem Sponsam hoc loco foederi nuptiali consentire; vult enim eo, quo oportet, quam proxime adduci.

Itaque quasi gratias ei agens Sponsus uno verbo repetit laudem omnem v. 7 « *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* ». Ante dixit tantummodo *Ecce pulchra es*, nunc *tota*, iteratque idem, negans quidquam in ea posse displicere. Deinde quasi concludens foedus nuptiale, *Sponsam* eam appellans (hic primum) et bis repetens *mecum* (in Vulg. ter *veni*, cf. not. crit. p. 485) eam invitat, ut una secum, a Libano in terram lacte fluentem et melle descendat, v. 8 « *Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, veni; coronaberis* (hebr. vel *descendes* vel *despicies*) *de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* » In hebr. futurum pro imperativo positum magis etiam ostendit, Sponsum precanti Sponsae gratificari, quasi dicat : utique ibis, quo desideras. Descenditur autem a Libano per Amanum et Hermon (cuius pars Sanir, cf. Deut. 3,9, ubi id nomen pro Hermon usurpatum esse ab Amorrhaeis dicitur). Ergo a septentrione ad meridiem versus, ut supra statuimus, proceditur. Quodsi negaveris שׁוּר hic ea vi, qua Is. 57,9, sed usitatiore *spectandi* notione adhiberi (Num. 23,9), eadem tamen fere sententia est; nam e Libano ipso in longinquum tantum ad illos Antilibani partes prospectari, non recte statuas, quia iam descendere Sponsa iussa est a Libano, huiusmodi autem contemplationem oportuit antecedere descensum.

Descendens autem cum ea, quae nunc proprie Sponsa est, divinus Salomon pergit eam laudare, ut Sponsum in huiusmodi occasione prorsus decet (nisi qui iustus pudor in sponsis mortalibus id prohibet), v. 9 « *Vulnerasti cor meum, soror mea, Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui* (hebr., ut videtur, uno monili torquis tui, vel : colli tui; pro *vulnerasti* alii rectius, ut puto : *rapuisti*, nonnulli : *animum addidisti mihi*; LXX ἐκαρδίωσας — ἐνθέματι τραχήλων). Pulcherrime et hic et 10.12 et 5,1 *soror* praemittitur *Sponsae*, ut spiritualem esse Sponsam facilius intelligatur; bis tantum (v. 8 et 11) sola *Sponsa* ponitur, et fortasse non sine causa numquam Sponsa *mea* (v. 8 in hebr. pronomen deest), semper autem soror *mea* appellatur. Vocabulum autem Sponsae cur hic toties repetatur, nusquam autem in reliquo carmine, sua sponte elucet; cf. supr. p. 409. Ceterum hic versus est quaedam repetitio v. 1 (« oculi »). et 4 (« collum »). Atque in simili repetitione (ab amatoriis blandimentis minime aliena) versantur duo versus proximi 10 et 11 « *Quam pulchrae sunt mammae tuae* (hebr. amores tui), *soror mea, Sponsa! pulchriora sunt ubera tua* (hebr. amores tui) *vino, et odor unguentorum*

super omnia aromata. Favus distillans labia tua, Sponsa, mel et lac sub lingua tua et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris (hebr. Libani) ». Priore versu Sponsum quandam *sui* similitudinem in Sponsa deprehendere dixeris, quo maius usurpari nihil potest; cf. 1,1-3. Deinde altero versu distinctior terrae sanctae descriptio ponitur; iam enim, ut poetice loquar, fines Palaestinae transierunt; itaque mellis et lactis similitudo sua sponte offertur, quibus turis fragrantia additur (hebr. Libani, cf. Os. 14,7, et Eccli 39,18).

Sed comparari Sponsam cum ipsius terrae pulchritudine magis perspicue cernitur vv. 12. 13 « *Hortus conclusus soror mea, Sponsa, hortus* (hebr. *fons* vel *puteus*) *conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardis* ». Hortus bene septus atque tutus aptissime vocatur terra Hebraeis a Domino ipso attributa et circumscripta; eaque imago ad gratiarum abundantiam *populo* concessam transfertur etiam Is. 58,11 « Eris quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae » (cf. Ier. 31,12). Ecce tibi ibidem fontis imago eo modo usurpata ut hic in hebr. et infra v. 15. Ea igitur, quae personam sustinet universi populi, hic confertur cum horto concluso, qui habeat ad irrigandum fontem quoque non minus diligenter custoditum. Cui *fonti* magis proprie et hic iam et v. 15 Sponsa, ut caput populi, comparatur. Adiungitur terrae fecunditas : « emissiones », i. e. germinationes paradisum efficiunt, malis punicis ornatum, ac simul exquisitissima illa, cyprum et nardum, procreantem. Huic ubertati allegorice conferuntur, quos Sponsa fructus edit operum honestorum atque utilium. Quod amplificatur vv. 14.15 « *Nardus et crocus, fistula* (*canna s. calamus*) *et cinnamomum cum universis lignis Libani* (hebr. turis); *myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis* (= odoribus). *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano* »: Germinationes illae fusius explanantur et quidem, ut repetita vox nardi demonstrat, praeter cetera herbae odoriferae proponuntur, quas singulatim exsequi nobis non est necesse, praesertim cum separatam significationem non habeant, sed ad explicandum *paradisum* adhibeantur. Deinde repetitur, unde orsi sumus : *fons* huius paradisi fertilitatem efficiens ipsa est Sponsa. Ab (Anti-) Libano defluit Iordanis, qui quodammodo implet eum fontem vel puteum, unde terra irrigatur, cuius aquae vivae sunt, i. e. iugiter manantes nec unquam deficientes[1].

1. Ad totum hunc locum cf. 7,4 sqq.

Atque ita absolvitur Sponsae laus, cuius imagines, ut iam satis, opinor, manifestum est, ad terram promissionis proprie spectant, id quod eo facilius intelligitur, quod saepissime vineae aut horti metaphora ad populum Israel transfertur : Ps. 79, Is. 5 aliisque locis notissimis. Apud Oseam prophetam 14,6 sqq. personificatio quoque populi, tamquam si unus sit homo, prorsus ut in Cant., accedit. Ibi etiam « rami » (= emissiones) usquequaque « euntes » ponuntur (v. 7) et ter Libani fit mentio, semel « odoris Libani ». Quem locum esse Cantici imitationem atque adeo explicationem satis certum videtur; atqui ibi in Israel *Sponsa* (cf. c. 2) salus *messianica* fecunditate *terrae* proposita explicatur. Placet hic referre, quae ad illum locum P. *Knabenbauer* scite animadvertit (comm. p. 183) : « *Plantatio Dei* describitur ita, ut in se sit pulcherrima, firma, inconcussa, *frugum feracissima* et omnes in sui admirationem rapiat et undique *odorem aromatum* spiret; praeclarum sane cernitur symbolum *sponsae Christi Ecclesiae* ». Optime igitur tota nostra interpretatio cum Oseae descriptione Israelis congruit. Poetica autem pulchritudo ex hoc ipso aspectabili dictionis colore, ex gratissima terrae sanctae, quae simul depingitur, mentione, ex iucundissima recordatione promissionis divinae, cuius pignus est terrae fertilitas, denique ex aptissima itineris descriptione, quod Sponsi faciunt a Libano ad montem myrrhae, enascitur. At ipsa Sponsa, inquies, s. *Ecclesia* ubi describitur? Respondeo *universam* hanc aspectabilem pulchritudinem sic, ut v. g. Is. 35,1 et 2, moderate transferenda est ad ordinem supernaturalem. Itaque intelligenda est imprimis immensa quaedam Christi erga Ecclesiam *liberalitas* eiusque dona *maxime varia atque exquisita* (nam ipse suam ornavit Sponsam), imprimis vera eius *caritas ac familiaritas*, quae ex tam magnifica Sponsae laudatione facile cognoscitur. Deinde, prout rerum sinit natura, etiam *singula* quaedam transferri oportet. Vere enim Dei oculos Ecclesiae decor insigniter delectat ipsique imprimis oculi Eccl., in quibus est cognitio et contemplatio et radians quidam amor, illam efficiunt delectationem (v. 9); est etiam odor quidam Christi (2 Cor. 2,15) et similis caritas, atque ipsius Christi, in Ecclesia (v. 10, cf. 1,1-3); est in verbis eius mira dulcedo, exhalant autem « iustificationes sanctorum » (ita huius Sponsae *vestem* S. Ioann. Apoc. 19,8 explicat) odorem quasi turis (v. 11); est eadem hortus Dei ab ipso circumseptus, et in medio horto fons uberrimus aquae salientis in vitam aeternam, renovantis autem hanc miseram terram, ut paradisi recipiat decorem (v. 12 sqq.). Neque vero nimium excuti singula verba debent nec v. g. Libanus intelligendus est coelum, etsi nomen *candoris*, et quod *aquae* illae vivae a Libano fluere dicuntur, fortasse causam afferre possunt; sed recordari oportet Sponsum per « timores nocturnos » (3,8) ad eum montem accessisse et 4,8 ita hunc describi, ut minime sit iucundus, et Sponsos eum relinquere. Rectius S. Thomas Libanum dicit mundum. Praestat autem fortasse nullam quaerere mysticam interpretationem.

Ideo solum mons iste in ipsis finibus terrae Hebraeorum (Ios. 13,5 sq.) electus est, ut Sponsa videatur paullo ultra limen patriae processisse

obviam Sponso. Intelligitur autem v. 8 sine dubio ea Libani pars, quae proprie et in S. Scriptura plerumque eo nomine vocatur, quae saltem non tota Palaestinae finibus includebatur; adiunguntur enim *separatim* partes Antilibani. Sed v. 15 hic ipse designatur, nam ab Hermon originem ducit Iordanis; ibidem fuisse Salomonis illam domum aliasque possessiones censendum est (3 Reg. 7,2; 9,19). Rursum odor Libani (Vulg. *turis* Cant. 4,11) et ligna Libani (hebr. *turifera*, 4,14) oportet de illa altera parte, ut videtur, accipere, si quidem, ut multi volunt, cedrorum potissimum odor et non omnium promiscue herbarum fragrantia significatur. Ibi variae incolebant gentes (una etiam colonia Hebraeorum, Aphec, Ios. 13,4; 19,30, Iud. 1,31); Phoenices autem summam imperii tenuisse videntur (3 Reg. 5); ipsi Israelitae usque ad *Dan* terram suam pertinere plerumque dicebant.

Quae cum ita sint, satis certum est occurrisse inter se Sponsos usque ad eas partes Libani, quae erant extra terminos duodecim tribuum et hinc descendisse ad locum convivii nuptialis (5,1). Est enim Sponsi, qui spatio aliquanto abesse solet, ad Sponsae viciniam accedere, huius autem paullulum domo sua exire, deinde utriusque, domum Sponsae redire; ita quidem in Christi parabola Matth. 25,1 sqq., quae pro explicatione aliqua Cantici habenda est, res describitur. (Nota in Vulg. v. 1 non recte dici : exierunt obviam Sponso *et Sponsae;* haec enim ultima verba desunt in optimis mss. graecis, et sane Sponsam oportet esse *inter* decem, vel potius hae omnes sunt Sponsae.)

Miror interpretes Cantici Salomonem facere intra fines terrae sanctae vel Hierosolymis vel prope Sunem vel alibi occurrentem Sponsae. An in sua dicione obiicitur « timoribus nocturnis » (3,8)? Nonne saltem id inepte hoc loco nominatim efferret scriptor? Deinde quomodo a Libano deducitur Sponsa? *Ren.* statuit a pastore amico Sponsam e *palatio* Hierosolymitano evocari; quo quid absurdius, si vel semel legas 4,8! *Kaempf* regem ipsum tum in Libano commoratum esse statuit; pastorem autem inde ad suam patriam revocare amicam. Ergo inter medios leones et pardos erat domicilium regium; non, inquit ille, sed pastor ita appellat *regem et eius adiutores!* Praeterea, nisi nos ille doceret, quis sibi persuaderet post v. 7 « abire regem » et pastorem nescio quem accedere « ad horti fenestram », ut dicat : veni a Libano, ab Amana, a Senir et Hermon! Apud *Stick.* iam 4,7 novum illud par amantium prodit in scenam; « nec enim, inquit, aut Sulamitis aut rex versabantur in illis tribus Libani verticibus aut inter leones et pardos ». Sed novus ille amator ab uno ad alterum montem se suam amicam aliquando ducturam pollicetur! Quis id ex verbis divinabit? Et inter leones ac pardos eam deducet? Atque in amplexus maritales (quos apparari St. dicit) demum scena desinit, audetque sponsus etiam amicos hortari, ut similes sibi quaerant voluptates (5,1)! Ita carmen sanctissimum a quibusdam commaculatur! Apud *Graetz* amicus item invitat Sulamitidem, ut secum excurrat in montes, et dum feras bestias nominat, ostendit amicam « animos sibi addere ad pericula superanda »! An illam secum obiiciet bestiis? *Zoeckl.* rem agi quidem Hierosolymis censet, sed hyperbolice Libanum vocari colles Sunem oppido propinquos, leones autem et pardos illas vulpeculas 2,15! *Del.* interpretatur : Ego, ut tu cupis (4,6?), non omittam te in *solitudinem* educere; mecum descendes a Libano... Dicit au-

tem statim « descendes », quia non est in ascendendo, sed in descendendo delectatio amoena loca contemplandi. Mirum; ergo pro hoc : « visemus montem » oportet dicere « descendemus a monte »! Quid vero fit illis : « *venies* mecum »? Deinde, ut aliquo modo explicet hunc versum in medio flumine laudum, cogitur v. 6 ita interpretari, ut Sponsa e loco convivii domus regiae (hic Del. vult agi totum c. 4) in hortum subito velit exire usque ad *vesperam;* nihilne fuit melius, quod scriptor posset Sponsam loquentem facere, cum in desponsatione et in nuptiali convivio os primum aperiret? Credat, si quis potest. Praeterea cogitur Del. v. 16 sic enarrare : « Ut nunc est, Sponsa nondum se dignam iudicat Sponso; demisse de se sentiens, praeparatione sibi egere videtur, efficienda *illo flatu, qui Dei est* in rerum natura animisque *spiritus* ». Quam prorsus incredibilem allegoriam arbitramur. Et 5,1 Del. quoque statuit, iam veniri ad amplexus maritales; sed quoniam maxime obscoenum esset haec verba Sponsi (5,1) in ipso convivio audientibus convivis dici eosque moneri, ut similia agant, ideo ille 5,1 *postridie* nuptiarum pronuntiatum esse itemque *postridie* moneri amicos, ut vino naviter utantur, et huiusmodi dictionem abruptam proprie dramaticam putat. Ne hoc quidem aliud nisi effugium est ingeniose excogitatum, sed cum ipsius carminis conformatione discrepans. Neque turpitudo eo vitatur, quod haec desponsationem sequuntur vel die desponsationis pronuntiantur; nam iis *coloribus* toto c. 4 et multo magis 5,1 voluptas amatoria depingitur, ut ne in profano quidem carmine tolerandi sint. Oportet etiam recordari *nihil in his omnibus esse, quod non possit libidinosissimus amator dicere,* nihil de animi pulchritudine, nihil de virtute, nihil de religione, omnia ad corporis decorem spectant ardentissimumque, vel potius libidinosum, amorem spirant, cumulantur 5,1 ea gloriatione Sponsi, qua uti nisi homo impudens non possit. Dixi de religione nihil significari; ergo omisit etiam scriptor usitatas caerimonias sacras; an ut toti mergeremur infimis cogitationibus? Sensit *Zoeckl.*, quam id esset incongruum; itaque statuit inter c. 3 et 4 interpositos esse ritus nuptiales — idem semper artificium, ut *addendis* iis, quae scriptoris incuria omisit, carmen hiulcum explicetur.

Profecto cogunt omnia, ut tandem ad eam redeamus Cantici interpretationem, in qua et sancta sunt omnia et apte cohaerent. Quodsi revera Christus hic Ecclesiam sibi despondet, non *possunt* verba specie amatoria nisi ad supernaturalia exclusa omni turpitudine referri, nec est locus ritibus religiosis, quia sanctissima sunt omnia, auctore ipso gratiarum ac sacramentorum praesente. Praeterea suam habet propriam venustatem descriptio indirecta terrae promissionis; unam eandemque scenam (ut ipsa conformatio carminis suadet) efficiunt 3,6-5,1; nullus intercurrit rusticus Sponsae amicus. Levis est, cum tot difficultatibus historicae explicationis comparata, illa quaestio, possitne apte fingi Sponsus divinus ex *aliena* terra cum *militari* comitatu fortissimorum *Israel* advenire; atqui hae solae dubitationes restant, quae prudenti existimatori occurrere possint. Sed attulimus Matth. 25,1, ut demonstraremus (quod aliunde quoque satis probatur) Sponsi exspectari ex aliqua longinquitate adventum, exspectari autem a Sponsa comitibusque paullum domo sua egressis, denique nuptias in Sponsae domo celebrari (nam l. c. v. 6 sqq. sine dubio ita cum faculis obviam eunt Sponso virgines, ut deinde ad *eandem* suam domum redeant, cf. v. 11). Potuit igitur sane filia Sion prope Ierusalem, domicilium suum, occurrere Sponso; sed quia eadem *totius populi* perso-

nam fert, aptius ultra limen patriae paullulum progreditur. Sponsus autem, etsi non est proprie externus, tamen hac in descriptione non bene fingeretur in eadem quasi domo ac Sponsa, i. e. in terra Israel habitare. Et sane proprium eius domicilium in coelo est; itaque 1,8; 2,8 et alibi semper *subito* adest, postquam *diutius* afuit, 2,8 sine dubio etiam longo intervallo remotus cogitatur; domicilio toto Sponsae (in « urbe ») non invenitur, nisi cum se repente sistit (c. 3 et 5). Ita ergo omnino describitur, ut *plus* temporis absit quam adsit prope Sponsam et ut quasi *de coelo delapsus* adveniat. Nec satis apte in desponsatione, ad quam e domo *paterna* procedit, diceretur huius terrae vel regni Israelitici incola. Sequitur dubitatio de *militari* comitatu propter timores nocturnos. Eam multo facilius expedio, quam ceteri interpretes; nam intra terram Israel esset magis mirum, pericula tanta Sponso obiici; immo demonstravi 4,8 ipsa pericula partim indicari, nec eum versum a quoquam satis apte explicari, qui Hierosolymis vel prope Sunem vel in domo Salomonis « saltus Libani » versari Sponsum dicat. At, inquies, *Deus* ad nuptias cum filia Sion veniens nihil timet periculi. Respondeo 1) Sponsum divinum humanum in modum describi et illis verbis tantum significari, eum ex aliena terra advenire; 2) eundem 2,17 per montes *diruptos*, non sine aliqua difficultate profecto, transcurrere; nisi enim difficultas ostendenda esset, cur illud vocabulum adderetur? 3) rursum eundem 5,2 noctis pati iniuriam et tecti perfugium quaerere; 4) itemque in Ps. 44 uti eum gladio et arcu contra hostes, quibus profecto armis ad eos vincendos Deus non eget; sed quis tandem negabit, ea arma apte tribui Sponso? Ergo hoc loco idem apte praesidium secum ducit contra timores nocturnos. Sed negligendum non est, quod Deus-*homo* Sponsus est, qui non sine veris periculis ac laboribus suum opus perfecit. Restat illud « ex fortissimis Israel ». Quos si angelos dicimus, non videmur quidquam insolitum proponere. Annon est aliqua militia coelestis (צבא השמים, צבא י׳)? Cf. 3 Reg. 22,19; Ps. 102,21; Ios. 5,14. Ergo qui circumstant solium coelestis Salomonis, nonne poterunt recte fortissimi Israel vocari, praesertim cum etiam numerus 60 sit fortasse a similitudine regii exercitus Hebraeorum translatus (supr. p. 397)? Porro si coelum dicitur Ierusalem, nonne militia coeli dicenda militia Israelis? Quae cum ita sint, non potest generatim nostram respuere explicationem, qui non animum habeat ab omni allegoria alienum, nisi forte cum ipse ea ad amores describendos 4,16-5,1 eget; tum enim satis audacter « allegorizant ».

Sed tempus est scenae propositae ultimos versus ad nostram interpretationem enarrare. V. 16 Sponsa rursus interpellans Sponsi laudes ait : « *Surge aquilo et veni*; *auster, perfla hortum meum et fluant aromata illius*; *veniat dilectus meus in hortum suum et comedat fructum pomorum suorum* ». Haec altera pars a « veniat » in Vulg. (nunc) capiti quinto attribuitur, ut prior ad *Sponsi* orationem pertineat; in hebr. ex utraque unus efficitur versus. Hoc praefero, etsi « hortum

meum » 4,16 et « hortum suum » 5,1[a] mutatae personae indicium videri potest valde probabile. Sed tamen a v. 15 ad 16 non est lenis transitio, si uterque est eiusdem loquentis; fuerat potius v. 12 hucusque differendus, ut ad 16 apte traduceremur. Deinde Sponsus omnem horti suavitatem iam v. 14 percipit, ut non videatur opus esse ventis ad eam diffundendam. Nec tam bene hortus statim Sponsi dicitur; est enim prius Sponsae ipsius, quae in eum illum invitat. Quamquam certa huiusmodi indicia non sunt; sed alterum illud non magis certum; nam hortum a Sponsa suum dici ac deinde quasi tradi in Sponsi possessionem non modo mirum non est, sed etiam pulcherrimum. Etenim in hunc modum res iucundissime explicatur: Sponsa simili verecundia atque 4,6 commota, non sinit longius produci laudem tam insignem, sed unum verbum, in quo minimum videatur esse praeconium, arripit et quasi opus sit adiumentis quibusdam, ventos omnes, immo contrarios advocat, ut saltem vehementer percussae arbores ea fundant aromata, quae Sponsus laudavit. Apteque iungi possunt quae sequuntur in hunc modum, ut ventorum flatus condicio quaedam necessaria sit Sponsi adventus : perflate venti hortum, fluant aromata — sic (s. nam) veniet (s. ut veniat) dilectus in hunc hortum tamquam suum. Hic demum in huiusmodi verecunda invitatione perfectus cernitur Sponsae consensus. Sponsus autem ut in simillima causa 4,6. 7 consensum acceptat laetitia gestiens : iam se gloriatur in plena esse horti usu fructuque. Obtulit enim Sponsa aromata et fructus optimos; haec utraque ille dicit iam se habere, repetens brevissime, quae sunt in terra promissionis praestantissima : praeter aromata mel et vinum et lac, et haec singula non sine emphasi *sua* vocat. 5,1 « *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* » Quoniam autem adduxit « amicos », hos quoque participes vult esse eiusdem convivii : « *comedite amici, et bibite et inebriamini, carissimi!* » Convivii enim instar haec scenae conclusio describitur, idque decuit die nuptiarum; cf. Apoc. 19,9; deinde Iud. 14,10. 17 et Tob. 11,21, quibus duobus locis septem dierum convivium ponitur, et Gen. 29,22, ubi nominatim ipso die desponsationis « vocatis multis *amicorum* turbis » primum celebratur convivium. Cur autem non, ut hoc ultimo loco, vespere introducatur in thalamum Sponsa, nimis evidens est; sed qui omnia historice explicant, id affingere coguntur. Nec septem dies, ut illis omnibus locis, nuptiarum commemorantur; nihil enim in Ecclesiae nuptiis simile; quodsi *Boss.* aliique ex hoc ipso numero divisionem repetunt Cantici, vel hac sola repugnantia satis refutantur.

Dixi *eiusdem* convivii participes fieri amicos; hoc enim verba apertissime sonant, etsi qui historicam sequuntur interpretationem, id negare aliquando conantur; sed eorum aliqui id, quia nimis evidens est, contempta turpitudine fatentur (cf. *Stick.*) aut saltem verba haec eadem sententia referunt ad Sponsos, ac si hos *poeta* moneat: fruimini amore (*Eichh., Magn., Hitz.*). Sed hoc manifestum est, quam *ambigue* scriptor locutus sit, si de naturali amore agatur. Nonne *consulto*, hic maxime, sed toto etiam hoc versu, immo vero per omne caput quartum (cf. vv. 5. 10 sq. 14. 16, si quidem hic ultimus non ita *certo* Sponso abiudicatur), *omissa* omni virtutis ac religionis mentione *titillare atque excitare sensus studuit?*

Idque eo magis, quod ex hebr. verbum ultimum 5,1 (דּוֹדִים) *saltem* satis commode vertitur « amoribus » pro « sodales ». Quod quidem pauci agnoscunt, quia statim apparet in *historia* ingens turpitudo. Sed gravissima tamen ratio est, quod toto Cantico (1,2. 4, hebr.; 4,10; 7,13) et ceteris Scripturae locis id vocabulum, pluraliter usurpatum, sonat « amorem », cf. Ez. 16,8; 23,17; Prov. 7,18. Hoc quidem postremo loco ipsum illud « inebriari amore » ab ipso Salomone ponitur רְוֵה דֹדִים, in Cant. שִׁכְרוּ דֹ׳). Opponitur fortasse parallelismi responsio (« amici — carissimi »); sed haec optima est, etiamsi tantum *fruendi* notio repetitur, praesertim cum metrice versiculi ita se habeant: comedite, amici, bibite — inebriamini amore. Quodsi esset parallelismus ille tam severe servandus, quare non alterutro loco « filiae Ier. » oppositi sunt « amicis »? Illas enim interesse convivio necesse est; sunt enim individuae Sponsae comites; an spectandi tantum causa 3,11 evocantur? ubi dimissae sunt? Ergo « amici » communiter dicitur de utrisque, at incredibile est, *si* his illa notio exprimenda fuit, non esse dictum : « amici — amicae ». Nec debet veterum interpretum auctoritas opponi, v. g. Vulg. « carissimi »; iis enim *nota* non fuit illa « amoris » significatio, quam nunc nemo non ceteris locis agnoscit; vertunt igitur illi iam 1,2 « ubera », nisi quod *gr. Ven.* et ibi *et hic* rectius reddit ἔρωτες. Quae cum ita sint, tantum non est *certum*, vertendum esse « inebriamini amore »; ergo hic quoque consulto ambigue locutus est scriptor, cum posset, si parallelismum cuperet perfectiorem « amicos » ut 8,13 vocare חֲבֵרִים?

Profecto si esset haec *historia naturalis amoris*, Grotio videretur esse assentiendum turpiter existimanti, propositum fuisse Scriptori, ut ambigue tecteque amoris arcana, coniugalis amoris mysteria, aperiret. Nullum relinquitur igitur hoc loco effugium aliud nisi allegorica interpretatio, quae certissimis probatur argumentis tollitque vel *speciem* obscoenitatis. Invitatur enim Sponsus divinus ad caritatis intimae familiaritatem, cuius symbola sunt, quae ponuntur 5,1. Horti comparatio a terra ad Sponsae personam transfertur; amoenitas igitur fructusque eiusdem ad Sponsae caritatem; ex huiusmodi autem fructibus apparatur convivium, quo concludi nuptias consentaneum est. Mire *Graetz*, etsi epulas hic designari concedit, tamen eas ad nuptias spectare negat; quare, id inutile est videre; sufficiat, haec nova testimonia convivii a Deo suo populo parati et simillimis descripti coloribus afferre : Is. 25,6; 55,1. 2; Luc. 14,16 sqq., 22,30; Apoc. 19,9; cf. Prov. 9,1 sqq.

Breviter attingere iuvat, quid hoc versu 5,1 faciant ii, qui iustum drama efficere conantur. Apud *Ren.* pastor se insinuavit in gynaeceum osculumque accipit ab amica, deinde chorum invitat, ut sui triumphi sit particeps. Cuius triumphi, quomodo particeps? Quam audacter ille « allegorizat »! Chorusne igitur aliquis testis est? Qui chorus? Fatetur non eundem, qui initio actus, sed *aliquam* spectantium multitudinem. — *Kaempf* rusticum non sinit venire nisi ad horti fenestram; immo repellitur ab amica, deinde dolens suspirat « utinam venirem in hortum » et tamen spe-

rans meliora iam invitat absentes (!) suos amicos, ut gaudeant secum — et abit. Sine dubio haec eo iure eruuntur e verbis poetae, quo illa, quae Ren. invenit, sed potius eadem iniuria *finguntur*. — *Stick.* felicius vitat difficultates, inducens novum par amantium *et novum chorum*, qui constet ex novi sponsi sodalibus; de reliquo nihil eum prohibèt, verba omnia quam simplicissime ac nudissime de amore sponsali accipere! — Contra hos omnes *Graetz* suam persequitur *narrationem;* haec enim omnia non nunc fiunt, sed facta referuntur, et admonitio amicorum *ironiam* continet : vos, viles animae, manducate et bibite; ego sublimiore fruor voluptate, meae amicae, inquam, « voce arguta, cantu suavi, similibus muneribus »; nam ad haec *sola* spectare vult, quaecunque dicuntur, facit autem Sponsam 4,16 *canentem*. At is, qui 5,2 noctu pulsat ianuam amicae atque adeo 5,4 ipse conatur aperire, non quaerit cantum illius solum, porro 4,16 et 5,1 ea sunt verba, ut aut sanctissime interpretanda, aut ad libidinem commovendam accommodata sint.

Atque hoc loco non sit alienum, quia iam conspici aliquo modo totum carmen potest, de eius divisione pauca dici. Duabus in rebus haec quaestio vertitur, quarum altera ad *tempus* pertinet desponsationis (quae descripta est scena superiore), altera ad eius cum reliquis Cantici partibus *comparationem*. Nos etsi de ipso tempore adhuc nihil fere diximus, facile tamen elucet, desponsationem a nobis intelligi perfectam absolutamque Ecclesiae constitutionem; atqui eam certe vivo Christo Domino aut saltem die primo Pentecostes, cum Spiritus S. datus est apostolis, contigisse dicendum est. Quae antecedunt (1,1-3,5), ad quandam educationem Ecclesiae per Christum retulimus, i. e. ad initia aetatis christianae ac magis proprie ad vitae tempus publicae Redemptoris. Iam sua sponte sequi videtur, quoniam *unam* volumus toto carmine esse Sponsam, ut cc. 5-8 ad Ecclesiae propagationem fructusque spectent. Praeterea, ut hactenus vidimus gradus quosdam et incrementa cerni in partibus inter sese comparatis — id quod artis ipsius ratio requirere videtur, — item in reliquis non tam sola temporis consecutionem, quam perfectionis progressionem describi putabimus. Illum igitur fere ordinem rerum progressumque exspectamus, quem apud S. Thomam (p. 355) vidimus, sed eam partium minorum distinctionem, quam tempus postulat desponsationis, ut modo diximus. Nunc confer sis, quam supr. p. 413 significavimus, carminis dispositionem. Praeter scenas quattuor adhuc enarratas alias tres ex repetito quartae scenae (3,6) initio (6,9; 8,5) discernimus; in quarum prima nemo non videt novam proponi graviorem que Sponsae probationem simulque crescentem caritatis ardorem (5,6 sqq. 5,10 sqq.), sexta fructuum copia distinguitur (7,8 sqq., maxime 13), ultima aetatem christianam totam absolvet (cf. 8,11. 12. 14). Probatio autem nostrae divisionis repetenda est ex ipsa interpretatione, quae ad illam studiose accommodata est; cf. imprimis, quae de 3,6-5,1 dicta sunt; aliquot argumenta supra p. 408 sqq. exposui.

Atque ex his de aliis Cantici divisionibus, quas separatim excutere ac refutare longum est, existimari licebit. De S. *Thoma* et *Schaef.* diximus p. 355 sqq., de P. *Tiefenthal* p. 409 sq., de prioribus et de *Nic. Lyrano* et *Cornelio a Lap.* vide etiam *Cornely*, Introd. in U. T. libros sacros II 2 p. 195

n. 4. E quibus exemplis cognoscitur, quam varie a *temporis* progressione divisio repetatur. Temporum ordinem (ut Lyran. et a Lap. cf. supr. p. 476.) quaerunt non pauci. Ex protestantibus *Heunisch* septem Ecclesiae aetates distinxit, quarum ultima ab anno 2060 initium captura sit; *Goltz* sola extrema Ecclesiae tempora describi opinatus est, *Cocceius* autem ea, quae sunt a 6,9, ad saecula potissimum 15 et 16 accommodavit...

Plerique temporis rationi alias adiungunt, ut in S. Thoma, evidentius autem in Schaef. vidimus. De *Bossuetio* et *Calmeto* diximus p. 370 sqq. Quattuor tantum fuisse dies nuptiarum in consuetudine Hebr. et quattuor esse Cantici partes arbitratus est Ferd. Quir.de *Salazar* (Exposit. in Cant.). Item quattuor partes fecit *Rupertus* abbas ex illa formula « Adiuro » 2,7; 3,5; 5,8; 8,4. Apud *Honorium August.* quattuor partibus Ecclesia proponitur a quattuor ventis (cf. Matth. 8,11) vocata : ab oriente Deus patriarchas vocavit (1,1-2,17), deinde Iudaeos sub lege a meridie (3,1-6,9) gentes ab occidente (6,10-7,10), vel ab aquilone (7,11-fin.); his tempora ita respondent, ut ad finem mundi perveniatur (cf. p. 464 sq.). Ven. *Beda* 1,1-2,17 accommodat ad Synagogam fidelem, Christum desiderantem (1,1 et 2) et recipientem, deinde 3,1-6,8 ad Eccl. e gentibus; reliqua ad emendationem Synagogae perfidae. Sed haec magna ex parte per anticipationem ad primam Ecclesiae aetatem adnectuntur; nam 8,14 ita dicitur : « Qui sermo et de triumpho *Dominicae Ascensionis*, et de his, quae in Eccl. quotidie geruntur, recte potest accipi ». Omninoque obscurior est tota dividendi ratio. Quod multo etiam verius de antiquissimis graecis latinisque interpretibus dicitur, qui de dividendo minime fuerunt solliciti.

Recentiores plerique, cum drama iustum vel simile quiddam efficere conantur, Salomonisque amores describi opinantur, saepe continuationem ordinemque actionis non ita valde desiderant, dummodo aliquo modo se expediant. Exemplo sit *Stick.* (supr. p. 384 sqq.), qui etiam duas *diversas* actiones commiscet. Ceteri plerique nesciunt continuare carmen, nisi duos saltem Sulamitidis amatores fingant. Sed ne *Del.* quidem, qui (ut *Zoeckl.*, cf. supr. p. 377 sqq.) actionem simplicem versari censet in Salomonis et Sulamitidis amore mutuo, veram efficit carminis perpetuitatem et progressionem probabilem. Rectissime ille quidem non proprie esse dramaticam continuationem censet, sed similem tantum; cogitur nihilominus duo somnia in tam brevi ambitu Cantici inserere, et ne sic quidem omnia apte cohaerent, et scenarum ratio, cui actionem quasi dramatice astringit, incommoda affert non pauca. Recte idem 3,6 sqq. ad desponsationem nuptiasve refert, unde ceterarum scenarum ratio, quae sit, generatim cognoscendum sit. Sed quo pertineat 2,8-17, vix explicat; est enim haec scena apud eum mera iteratio primae, coloribus tamen *admodum obscuratis et flaccescentibus*, nec incrementum amoris mutui ullum cernitur. Tertia quia somnio constat, item incrementum amoris parum apte demonstrat; cur non vigilem potius de Sponso sollicitudinem poeta proposuit? Posteriorem Cantici partem c. 8 ita cogitur explicare, ut in ridiculum desinat actio. Denique etsi partes praecipuas Cantici septem, quas nos quoque fecimus, agnoscit,

tamen necessario plures addit, ubi vestigia in verbis certa non sunt, scenam mutari : 1,8 (hebr. 9); 6,2 (hebr. 3); 7,6 (hebr. 7); 8,8. Atque haec de divisione recentiorum sufficiant, ut intelligatur, sola allegorica interpretatione effici veram facilemque actionis continuationem ac progressionem.

PARS III.

QUASI CONIUGIS PERFECTIO ET FECUNDITÁS.

V. scena 5,2-6,8 (hebr. 9).

Vulg. et LXX. V. 2. κρούει; ἡ πλησίον, ἡ ἀδελφή (inverso ordine, sed A ut in hebr.); et καί ante « cincinni » additur; 4. ad tactum eius; 5. myrrha probatissima. Pessulum ostii mei aperui, σμύρναν πλήρη ἐπὶ χειρας τοῦ κλείθρου (ante ὀάκτυλοι omisso καί); 6. παρῆλθε (*unum* verbum, omisso etiam καί), liquefacta est = ἐξῆλθεν; 8. ut 3,5 additur ἐν ταῖς δυνάμεσι — ἀγροῦ, deinde τετρωμένη ἀγάπης; 11. κεφάζ (= καὶ דַּד); 13. φύουσαι (legerunt מִגְדָּלוֹת); 14. ἐπὶ λίθου σαπφείρου (? מְיֻעָל־פָּת); 17. ἀπέβλεψεν (פָּנָה); VI 1. et 2. *Vulg.* pascitur, sed LXX ποιμαίνει; 3. suavis, ὡς εὐδοκία (pro nomine propr. *Thirza*); 0άμβος (subst. אֵימָה pro adi. fem.) 4. avolare fecerunt, ἀνεπτέρωσαν; apparuerunt, ἀνεφάνησαν, cf. 4,1; 5. ἀγέλαι κεκαρμένων... ut 4,2. 3ª; sed 4,3ª in hebr. non repetitur; pro « tonsis » ponuntur « oves » (hebr. consentit *Vulg.*); 6. *Vulg.* fere ut 4,3ᵇ, item LXX.

Arg. — Sponsam contemplatione sopitam Sponsus *excitat,* dumque illa tardius aperit ostium, discedit sequentemque *doloribus* obiicit (5,2-7). Quibus tamen incenso magis amore maesta cum filiis Ier. Sponsa colloquitur ab iisque impulsa Sponsum divinum describit (8-16). Dum comites se ad eum quaerendum paratas offerunt, ecce ipse adest suamque quasi coniugem summis effert laudibus (5,17-6,8).

A 5,2 nemo dubitat quin nova quaedam actio proponatur. Quies sancta caritatis in convivio divini Sponsi omnes « inebriavit ab ubertate domus Dei » (Ps. 35,9). Similis clausula fuit scenae I. et III.; non hic tamen de quiete servanda monebantur « filiae Ier. » ob eam causam, opinor, quia iam *ipsae* quoque cum domina contemplationis sunt participes; nam 3,11 non una, sed omnes ad Sponsum procedere iubentur; saltem ratio ipsa convivii quandam gaudiorum *communionem* affert. Paullo post convivium rursum discessit Sponsus, ut post scenas superiores; unde apparet *inusitatae* esse liberalitatis, cum adventu suo suos consolatur; est enim ea contemplationis voluptas, quam nos statuimus, in donis Dei minime cotidianis, immo vero rara haec hora est et labore semper luctuque excipitur. Hinc quoque concludi oportet,

non tam corporis, quam gratiae praesentiam toto Cantico describi; illa enim perpetua fuit vivo Domino, haec non perpetuo sentitur, sed est Christi a mortuis excitati subitis accessionibus visionibusque comparanda. Non oportet igitur mirari, quod post ipsam desponsationem in Cantico dolor luctusque de absentia Sponsi describitur; necesse est enim laetitiam consolationis divinae et probationis tristitiam *reciprocari.* — Alia Sponsa (anima pia) cur non videretur inducenda, dictum est p. 360.

Redit scena et re et verbis secundae 2,8 sqq. et tertiae 3,1-5 similis; attendendum est autem, quid sit in ipsa similitudine dissimile. Nam verborum similitudine nos scriptor quasi cogit comparare, id quod Salomoni esse usitatum identidem diximus. V. 2 « *Ego dormio, et cor meum vigilat*; *vox dilecti mei pulsantis* : *Aperi mihi, soror mea amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* » Idem genus hoc est narrationis quasi scenicae, quod 3,1 sqq., tale, inquam, quod non sit proprie rei gestae cum « filiis Ier. » (5,8) communicatio, sed cum lectoribus potius, s. directa Sponsae locutio (1. pers. verbi) substituta scriptoris ipsius narrationi (in qua 3. pers. esset adhibenda, cf. supr. p. 481 sq.). Recte S. Hier. posuit tempus praesens, quia ita magis excitatur principium narrationis; infra redit ad praeterita. Sponsa 3,1 in lectulo dolebat de amico absente, hic dulci somno contemplationis sopita est, id quod post ipsam desponsationem consentaneum fuit; ergo a placidissima quiete scena orditur. Dormit illa, sed cor s. mens (לֵב) alacris est. Non potuit contemplatio aptius designari, in qua quidem sensu quasi sopito animus cum Deo agit. Sponsi autem adventus sic ut 2,8 inducitur; venit enim item, ut illam e quiete ad alia evocet; hic pulsare cogitur, quia penitus est mersa contemplatione, illic eum diceres ab ipsa exspectari. Semel sit dictum, singulis fere verbis *incrementum* amoris et Sponsae et Sponsi designari in c. 5. Quattuor igitur hoc loco Sponsae nomina cumulum laudis exprimunt, quodque Sponsus per noctis iniurias approperat nec mediocrem adhibet pulsando et tentando (v. 4) curam, abundantis est caritatis. Mirere, eum « Sponsae » appellatione tamen abstinere; sed recordari oportet, hanc propriam esse ipsius diei desponsationis. Nunc enim « coniux » est potius (6,7); sed honestius vocatur soror, ut iam 4,9. 12; 5,1, amica autem et columba (cf. 1,14; 2,14; 4,1; 6,8) toto carmine, immaculata (s. integra, hebr. תַּמָּה, LXX τελεία) hic et 6,8, quod videtur aliquam absolutam perfectionem significare. Pulsanti non respondet Soror, sed *narrando* explicat nobis, quam difficile sibi fuerit a quiete surgere v. 3 « *Exspoliavi me tunica mea; quomodo induar illa? lavi pedes*

meos, quomodo inquinabo illos? » Licet ex hebr. vertere : exspoliaveram, laveram, induerer... », ut magis perspicue id quod volumus exprimatur. *Non* enim persuadere nobis possumus, hoc esse Sponsae vel potius Coniugis plene vigilis, tam honorifice vocatae, *responsum* inurbanissimum. Etenim dicit ipsa se ad vocem « Aperi... » fuisse vehementer commotam (v. 6), et sane tanto postea desiderio exardescit, ut ne verbera quidem timeat (v. 7), id quod aegerrime cum illa socordia, ab Ecclesiae amore etiam aliena, conciliabitur. Summum hoc concedi possit, in aliqua mentis perturbatione illam, modo excitatam, ita locutam esse; sed ne hoc quidem aut in hoc somni genus aut in Ecclesiae caritatem satis quadrat. Sic igitur dicendum est : Sponsa narrat, quid fuerit in surgendo molestiae, qua tamen minime impedita sit ad obtemperandum; nec prohibet nos grammatica, verba hebr. plusquamperfectis et imperfectis reddere. Quodsi cui id minus placuerit, relinquat tempora, ut sunt in Vulg., sed intelligat, ita *secum* de illa molestia cogitasse Sponsam, cum vocaretur; sed haec, ut mihi omnino persuadeo de vera socordia aut somnolentia interpretanda non sunt. Ipsae autem illae vel excusationes vel difficultates allegoricam requirunt explicationem, ne risum moveant. Ergo Sponsa a negotiis ac sordibus (vestibus ac pulvere) rerum terrenarum feliciter exsoluta et cum Deo contemplatione familiarissima coniuncta, horret reditum ad illa; ergo est impedita quodammodo et experitur nescio quam naturalem, non voluntariam, tarditatem. Ut igitur 2,10 non sine longiore invitatione Sponsus ad laborem elicuit amicam, ita hoc loco plus etiam opus est, ut eam e somno exciat, praesertim noctu, nec tam ad laborem, quam ad dolorem subeundum. Itaque sequitur v. 4 « *Dilectus meus misit manum suam per foramen* (portae), *et venter meus intremuit ad tactum eius* (hebr. super eo, eius causa). Manus ergo significationem verbis addit, ut illa et auditu et visione impellatur sic, ut commotio consequens impulsam ostendit. Atque hac nova gratia (nam gratia et verbis et actione indicatur, cf. utrumque in Christi miraculis) superatur illa tarditas Sponsae naturalis, non voluntaria v. 5 « *Surrexi, ut aperirem dilecto meo; manus meae stillaverunt myrrham et digiti mei pleni myrrha probatissima* ». Aromata caritatis suavitatem hoc toto carmine significant (1,11 sqq.; 4,10 sqq.; 5,1), et bis hic ponitur myrrha, ut quam maxima in Sponsa caritas exprimatur; « probatissimam » (LXX πλήρη) nunc solent fluentem intelligere (מוֹר עֹבֵר — מ׳דְרוֹר Ex. 30,23). Orientalibus manus digitique et reliquae corporis partes myrrha manantes nihil censentur turpe habere; cf. Matth. 26,7 : « Effudit super caput ipsius recumbentis » et Ioann. 12, 3 : « Unxit pedes Iesu... et domus impleta est ex odore un-

guenti ». Additum *hic* est in hebr. et apud LXX « super pessulum claustri ». In Vulg. ea verba sequuntur v. 6 « *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est; quaesivi, et non inveni illum; vocavi, et non respondit mihi* ». Prima verba (vel superioris versus ultima) sine dubio omissa essent, nisi *mora* illa, *tarditas, difficultas* fuisset poetice describenda; pessulus enim ut myrrha allegorice est interpretandus. Tanto aptius additur, interea quasi pertaesum abisse Sponsum. Qui specie huiusmodi taedii acrius illam stimulat, ut *nunc demum* vis *plena* cernatur superiorum verborum : « exiit s. exierat anima mea ad verba eius » (hebr.). Redit igitur nunc auctum illud desiderium, quo tenebatur 3,1, eademque verba ponuntur, sed additur : « vocavi », quia modo adfuit (non item c. 3). Mente intelligi deinde oportet, quod 3,2 dictum hic non repetitur. Porro 3,3 sic huc transfertur, ut Sponsa percussa, vulnerata, spoliata tamen non statim inveniat, quem diligit anima eius v. 7 « *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem; percusserunt me et vulneraverunt me; tulerunt pallium meum mihi custodes murorum* ». Ergo desiderio eius adiungitur dolor, ad quem ipsum sustinendum evocata est a contemplationis quiete; oportet enim amorem Sponsae perfectum (post desponsationem) etiam *pati* gravia pro Christo. Ipse autem quod rore nocturno aspersus venit, iam demonstravit exemplo, quid cuperet, ut 2,8. 17 commoratio eius in « montibus diruptis » *laborem* Sponsae imperandum exemplo adumbrabat.

Verbera Sponsae inflicta cur poenam interpretari non deberemus, supra ostensum est; fuisset enim culpa socordiae tanta, quanta in Ecclesiam non quadrat; porro facilius post dolorem pro *Christo* quam pro *culpa* toleratum is exardescit amor, qui hic describitur v. 10 sqq. Sane si qui custodes urbis *angelos* intellexerunt, ii videant, quid dici possit. At angeli, opinor, 3,3 respondissent aliquid interroganti et cur, si « civitas » est mundus universus, custodes non intelligamus eos, qui in *mundo* vel sapientiae (c. 3) vel potestatis (5,7) principatum tenent? Sed non dubito quin ideo nihil sit in custodibus perspicue determinatum, ne curiosius inquireremus. Voluit enim dicere poeta, Sponsae quaerenti per noctem nullum potuisse dari responsum, sed ab hominibus dolorem etiam gravem esse illatum. A quibus, nisi ab iis, qui noctu in urbibus vigilant? Necesse igitur fuit (si poetice loquimur) poni aliquos custodes. Quod*si* quid tamen amplius explicandum videtur, teneamus id, quod modo dictum est. Nesciunt enim mundi vel sapientes vel principes, ubi sit Christus, praesertim si se hic ipse occultat; immo aliquando sanctissimam caritatem quasi pro meritricia dissolutione tractantes verberant eos, quorum divinum ardorem non intelligunt.

Sed vulnere accepto et bonis externis tamquam vestibus amissis ardentius amor effervescit. Quem Sponsa gemitu quodam amoris manifestat v. 8 « *Adiuro vos, filiae Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo* ». Ita hic absente Sponso non minor habetur amor, quam 2,5 praesente. Qua in re summa cernitur *patientis* amoris perfectio; non aequa apparuit 2,8, et in c. 3 statim Sponsus accessit. De reliquo hoc loco Sponsa filias Ier. alloquitur, quia primum sua sponte tantus dolor in querelas erumpit, deinde ut commodius inducatur descriptio Sponsi, quam audiri a filiis Ier. maxime convenit. Hic igitur vere scenica collocutio proponitur; in *hebr.* etiam excitatior est oratio : « si inveneritis, quid dicetis ei? Languere me amore ». Respondent comites v. 9 « *Qualis est dilectus tuus ex dilecto* (*hebr.* prae dilecto), o *pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?* » Sane inusitata obtestatio mirificum spiravit amorem, ex dolore praesertim ipso efflorescentem. Sed nondum hunc gradum illae quoque videntur attigisse, cf. in re simili similem earum inscitiam 1,4-7; nec dicuntur aut c. 3 aut c. 5 *doloris* participes, sed tantum 2,15 *laboris*. Quae igitur semper *uno quasi gradu* virtutis praecedit, illa nunc describendo Sponso et suum levat dolorem et illas incendit, ut 5,17 iam cupiant ipsae quoque ad omnes casus se Sponsi quaerendi causa obiicere. Non est autem idcirco existimandum; illas *omnino* non nosse satis, Sponsum esse prae ceteris amabilem, sed solent amici omnes nimium lugentes impellere, ut levandi doloris causa, libere sua sensa copioseque expromant; mirantur illud unum, quod Sponsa nunc potissimum insolito amore effervescat. Sic igitur hoc loco peridonee descriptio uberior Sponsi inducitur, quae illi congruit Sponsi orationi (4,1 sqq.), ad quam ne responderet, verecundia illam impediebat. Nunc absente Sponso, quodam aestu amoris abrepta, vicem reddit. Nos enim aliqua tali descriptione carere non debebamus.

Incipit in hunc modum v. 10 « *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus* ». Albus color rubro mixtus in homine pulcherrimus censetur, cf. Lament. 4,7 : « Candidiores Nazaraei eius nive... rubicundiores ebore ». Ratio est quia carnis pura albedo sanguine vivo colorata et valetudinem et teneritatem cultumque quendam corporis designat. « Ex millibus » (*hebr.* multis vel decem millibus) idem fere sonat, quod ex omnibus, cf. Eccl. 7,29. Iam ad partes corporis oratio deducitur v. 11 « *Caput eius aurum optimum; comae eius sicut elătae palmarum, nigrae quasi corvus* ». Elatae vox graeca est sonatque germen, ramum. Ut enim caput auro *solido* (ac pretioso), ita capillus s. caesaries ex capite nascens ramulis *fluitantibus* compa-

ratur; cf. de Sponsa 7,5. Quid sit his comparationibus significatum praeter soliditatem, mobilitatem, decorem, non censeo inquirendum. Nam poeta, ut humanum in modum Sponsum (Deum-Hominem) describeret, optima quaeque comparat et pro cuiusque membri natura similia assumit; summam igitur pulchritudinem humanam atque superhumanam splendidissimis imaginibus illustrans amplificat. Item v. 12 « *Oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae et resident iuxta fluenta plenissima* ». Oculos columbinos Sponsae vide 1,14; 4,1. Non inopia facit, ut *eadem* adhibeatur similitudo; sed revera Sponsus, ut se Sponsae similem natura, sic illam sui similem gratia finxit. Additur autem aliquid singulare, quo magis ornetur Sponsus. Caveas enim oculorum lacubus aquarum (אֲפִיק vallem s. fundum sonat) vel, quasi corrigendo, stagnis lacteis ob puritatem nitoremque Sponsa comparat; in quibus lavari videntur columbae. Hae enim ipsae sunt pupillae ita *vivae mobilesque*, ut columbae, cum lavantur in aquis moventque huc illuc capita. Deinde renovata pulchritudine quiescunt iuxta plenitudinem (ita *hebr.*, id quod ad ipsum lacum refero, alii ad fundam gemmarum Ex. 28,17, alii ad imum fundum cavatum oculorum). Etiam modo in *auro* capitis insignior species (si cum 7,5 confertur) designata videtur; nam saltem hoc in carmine aurum de Sponsa non dicitur, at de Sponso rursum 5,14. 15; item de donis eius aurum et argentum usurpatur (1,9 sq.; 3,10; 8,9). Deum enim solum decet et habere et dare pretiosissima quaeque. Parvi sane momenti haec esse dixeris, sed consilio usurpata iudico, ut quemadmodum supra dictum est, in similitudine dissimilitudo cum apta significatione cerneretur. Eodem pertinet, ut id statim dicam, auri et eboris et marmoris soliditas in hac *viri* descriptione; in Sponsa solum collum ob firmitatem laudatur 4,4; 7,4, nam 7,1. 2 artis fabricatio potius quam firmitas et 7,5 pulchritudo praedicatur.

In viro porro barba non fuit praetereunda v. 13ª « *Genae* (hic rectius *malae*) *illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis* ». Grandis haec sane comparatio et in *historia* etiam ridicula (ut alia hoc loco), sed in allegoria non aspernanda, ut pili barbae herbis aromaticis, malae ipsae areis hortorum similes dicantur. « Consitae a pigmentariis » ad sententiam recte vertit S. Hier.; LXX φύουσαι μυρεψικά, qui in hebr. מִגְדְּלוֹת מֻרְקָחִים legerunt, quod sonat « facientes ut crescant (s. procreantes) balsama », cf. Is. 44,14. Num. 6,5... (Puncta masor. מִגְדְּלוֹת non facile explicantur, quia turres aromatum inepte dici videntur; sed toto hoc loco participia frequentissime usurpantur).

Quodsi quis barbae descriptionem parum consentaneam Sponsae iudicat, is *genarum* quasi fragrantem pulchritudinem generatim cum areolarum fragrantia componi dicat. Sed idem fortasse ventrem eburneum et crura marmorea fastidiet. Ceterum satis quasi *asperitas* barbae, si quem offendere potest, ipsa comparatione mitigatur, itemque versus altera parte : « *Labia eius lilia distillantia myrrham primam* » (fluentem); cf. de Sponsa 4,3. 11, ubi *feminae gratia* optime est paullo fusius descripta.

Deinde in eundem modum (post caput, capillum, oculos, genas, labia) inferiores corporis partes poetica comparatione designantur (manus cum brachiis, venter s. medium corpus, crura cum femoribus, pedes) v. 14 et 15[a] « *Manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis* (intellige *lapides*). *Venter eius eburneus distinctus sapphiris. Crura illius columnae marmoreae, quae fundatae sunt super bases aureas* ». Inusitatae sunt hae superlationes, sed in allegoria aptae, quia formam communi et humana maiorem atque ampliorem designant. Sane negari non potest, quandam metaphorarum *luxuriam, Orientalibus usitatam*, assumptam esse a poeta sacro, ut rem omni humana similitudine excellentiorem adumbraret. Manus igitur teretes ac solidae ex auro tornatae videntur; plenae autem sunt lapidibus Tartessiis (תַּרְשִׁישׁ), quos plerumque veteres et recentiores chrysolithos (topazios) intellexerunt. Quibus ornamenta pretiosa manuum (in annulis) significari puto. Licet enim quidam ungues interpretentur, quibus tamquam gemmis manus distinguantur, et licet reliqua descriptio ad partes naturales corporis spectet, nihilominus valde incertum est, tantamne veteres in unguibus pulchritudinem posuerint, praesertim cum hi a colore carnis non multum discrepent et difficile sit gemmarum vel formam vel colorem cum eis comparare [1]. S. Hier. certe non comparavit ungues, quia gemmam *caeruleam* posuit. *Ornamenta* autem *addita* corpori vide etiam in Sponsa 1,8. 9; 4,4[b]; 7,1; sed recte in femina colli pedumque decora, in rege et Sponso tantum digitorum annuli nominantur. « Venter » (מֵעִים) medium corpus est et quidem hoc loco *forma* eius aspectabilis et externa consideratur, ut in simillima statuae symbolicae descriptione Dan. 2,32 sq. « Statuae caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex aere, tibiae autem ferreae, pedum quaedam pars erat ferrea, quaedam autem fictilis ». Ebur et sinceram albedinem et soliditatem (in Sponsa 7,4) designat; in hebr.

1. In onyche id facilius esset, sed haec שֹׁהַם dicitur Gen. 2,12 et alibi.

adiungitur : *opus* eburneum (LXX πυξίον i. e. res laevigata). Sapphiros quidam *vestes* caeruleas interpretantur; sed num. plur. potius gemmarum indicat copiam. Itaque *zonam* intelligo velantem eas partes, quas ne cogitatione quidem decet nudas fingere; illud enim « distinctus » hebr. est « velatus » (non simpliciter « vestitus »). Cf. in Sponsa 7,2ᵇ. Decoris item causa nominantur crura (שׁוֹקַיִם), non femora (יְרֵכַיִם). Ceterum ipsa descriptio cum quasi *statuae* imaginem prae se ferat (aurum, opus eburneum, marmor) tanto minori est offensioni, et quoniam tota in allegoria sublimi versatur, nihil restat omnino indecori. Postremo, si opus est, recordari oportet, hic iam Coniugem a Coniuge describi.

Absolvitur imago Sponsi divini, ut coepta est v. 10, communi quadam speciei delineatione v. 15ᵇ et 16 « *Species eius ut Libani, electus* (est) *ut cedri. Guttur eius suavissimum et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Ierusalem* ». Libanus notat maiestatem eius qui, ut cedri Libani, singulari ac magnifica est pulchritudine; idem Sponsus ante (2,3) « malo » ob *fructus* suos comparabatur. Electa species quoque dici potuit, sed hebr. בָּחוּר semper ad personas refertur; teneamus igitur quod est in Vulg. Quod autem absoluta iam hoc ipso epiphonemate corporis descriptione tamen additur « *Guttur* eius suavitates et totus ipse deliciae » (*hebr.* abstracta usurpata sunt), non corporis pars hic proprie intelligenda est, quae certe v. 13 post *labia* nominanda fuerat. Sed *guttur* saepe de loquendi organo dicitur, ut Iob 6,30; Prov. 8,7. Quodsi his locis componitur cum lingua et labiis, apparet potuisse iam 5,13 cogitari labiorum fluentem orationem; nihilominus ibi rectius intelleximus solam huius partis venustatem, ut in ceteris membris, at nunc est, cur guttur aliter interpretemur. Similiter differre inter labia et labia 4,3 et 11 statuimus. Ergo pulchritudo Sponsi corporea nunc *cumulatur* orationis suavitate, qua pulcher homo proprie fit « totus desiderabilis ». Iam vero oratio quasi *spiratio* est animi, atque ita gutturis suavitas magis poetice accipi potest; dicemus : oratione tamquam *aspiratione animi* omnem internam amoris suavitatem *transfundi* ab amante in amatum et ab hoc quodammodo hauriri atque imbibi. *Interius* etiam aliquid, quam osculum exprimi censeo. In hunc modum prorsus de Sponsa gutturis suavitas ab ipso poeta explicatur 7,8. 9 (« *odor* oris tui sicut malorum, guttur tuum sicut *vinum* »); cf. de profano amore idem Prov. 5,3 sq., ubi oleum et absynthium ad gutturis descriptionem asciscuntur. Quae symbola summae caritatis in hoc Sponso et hac Sponsa sanctissime esse interpretanda manifestum est;

sed necesse fuit, caritatis quasi *coniugalis* hic familiaritatem intimam describi, item 7,8 sq., ut perpetuo incremento cresceret ardor carminis.

Appellat Sponsa verbis ultimis filias Ier., a quibus fuit ad loquendum de Sponso inducta. Quae incensae tam ardenti praeconio cupiunt iam ipsae exire ad quaerendum illum v. 17 (hebr. 6,1) « *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum, quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum* ». Ecce autem repente, ut alias, adest ipse; frustra enim quaererent, nisi ipse occurreret (cf. 3,4): vicissim ubi ardentius caritas inflammata est, se ipse solet offerre desiderantibus. Videns igitur eum in hortum, i. e. domicilium dicionemque suam ingressum, ut 4,16 et 5,1, laetitia gestiens Sponsa exclamat 6,1 (hebr. 2) « *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur* (intell. : pascat, sed pascens ipse quoque delectatur) *in hortis et lilia colligat* ». Numquam omittit poeta imaginibus loqui, intelligenda autem sunt cogitata sublimia. Tamquam in *suum* hortum Sponsus venit, quia nihil habet Sponsa quod non sit illius, i. e. ab eo datum, ei consecratum, eius delectationi apparatum. Aromata flores sunt odorati virtutum, caritatis potissimum. In huiusmodi horto pastor divinus libenter moratur et lilia, i. e. purissimi amoris tamquam pignora colligit; cf. 4,5; 2,1. 2. Cui divino pastori se Sponsa dat atque consecrat v. 2 « *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur* (intell. : pascit) *inter lilia* »; cf. 2,16; 7,10.

Respondet ipse simili ardore amoris crescentis v. 3 et 4ª « *Pulchra es, amica mea, suavis* (LXX ὡς εὐδοκία, hebr. *sicut Thirza*), *decora sicut Ierusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt* » (LXX ἀνεπτέρωσαν, intell. ex hebr. : perculerunt ac perturbarunt). Pulcherrimas urbes terrae sanctae comparat, antiquam illam Thirzam (de qua supr. p. 342) et recentem pulchriorem Ierusalem; ita optime totam filiam *Israel* et temporum et locorum omnium designat. Et quia hic non tam venustatem, ut c. 4, quam *vim* victricem amoris intuetur, capita regni munitissima nominat et aciem militarem, instructam *sub signis* (hoc enim sonat נִדְגָּלוֹת, cf. de verbo hoc denomin. אַרְחוֹת Is. 21,13). Tanta est autem illa *vis*, ut oculi intuentis praestringantur. Ingens haec superlatio est, ad modum humanum usurpata, ut ipse Sponsus reverentia percutiatur vixque ferat aspectum; cf. 7,5, ubi se (ex probabili interpretatione) captum et quodammodo irretitum coma capitis fatetur. Corroborata est igitur et consolidata iam forma Sponsae, ut non alliciat solum, sed percellat atque vincat; idque egregie notat maiorem perfectionem adultamque *Coniugis* aetatem. Sed ne amissam puten us

venustatem virgineam, iterantur e c. 4 aliquot praeconia v. 4ᵇ et 5 et 6 « *Capilli tui sicut grex caprarum, quae apparuerunt de Galaad* (cubant per clivos Gal.). *Dentes tui sicut grex ovium, quae ascenderunt de lavacro; omnes gemellis foetibus et sterilis non est in eis. Sicut cortex* (fragmen) *mali punici, sic genae tuae absque occultis tuis* (*hebr.* post velamen tuum) ». Pro « tonsarum » 4,2, quod magis ad pulchritudinem pertinet, hic fortasse consilio dictum est « oves » i. e. oves matres, רְחֵלִים Gen. 31,38, ut *Coniugis* fecunditas etiam distinctius significetur. Nam haec « coniugis » notio toto loco retinenda est; hinc supra tam distincta Sponsi per partes corporis descriptio, hinc 5,16 intimi amoris familiaritas, hinc illa vis victrix perfecti solidique amoris explicanda fuit, et hoc ipso loco *reginae* etiam nomine (nunc primum) praedicatur v. 7 et 8 « *Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae* (legendum *matri*, cf. hebr. et LXX et « genitrici », quod sequitur). *Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt; reginae et concubinae, et laudaverunt eam* ». Hic regis humani aula, qualis tum erat vel dynastarum ethnicorum (Dan. 5,2. 23) vel ipsius Salomonis (3 Reg. 11,3) atque adeo David (2 Reg. 15,16), proponitur. Nulla enim tum fuit in multitudine uxorum magna offensio. Sed ea hic ad sanctissimam Christi cum *multis*, immo vero *innumerabilibus* animis desponsationem accommodatur; item Matth. 25, 1 sqq. in graeco non una, sed decem sunt sponsae. Recte tamen *poeta* potuit unam fingere personam Ecclesiae immaculatae (Ephes. 5,27) tamquam Sponsam *unice* caram; habent enim suos naevos reliquae, sola haec mente concepta persona, quae nihil est aliud nisi Ecclesia, *quatenus Dei solius est opus*, nihil habet ulla ex parte imperfecti; cf. supr. p. 435. Haec praecipuae coniugis persona est ita venusta ut columba (4,1), ita integra (5,1, ubi in Vulg. *immaculata*), ut nihil ad *adultam* absolutamque virtutem deesse videatur. Quamvis igitur multae sint filiae mysticae urbis Ierusalem, quae suis gradibus participes fiant caritatis quasi coniugalis, qua Salomon illius rex Ierusalem familiam suam complectitur (de significatione *numerorum* supr. p. 397): tamen una est et Christo et suae ipsius matri quodammodo unica et longe praecipua. Cui matri? Nimirum ei, cuius ceterae quoque sunt filiae, i. e. mysticae urbis Ierusalem, civitatis supernaturalis coelestis Salomonis.

Hoc enim loco vehementius, quam 3,4 urgemur, ut definitam concipiamus matris speciem; illic satis fuit « matris » domum intelligere « meam », hic distinguenda est mater a sororibus (= fil. Ier.). Gaudet igitur de tanta

Sponsae perfectione totum regnum Christi, quam late per coelum terramque patet, tota quasi creatio Dei supernaturalis, cuius pars est haec militans Eccl. Haec enim cum ipsa poetice contrahatur in unam immaculatam personam, possunt etiam mater eius, sorores aliaeque propinquae, si opus est, per gradus quosdam distingui: quas omnes in illa immaculata Sponsa laetari atque exsultare decet. Haec in *poetica* confictione, ut dixi, omnia versantur: *personificationes* sunt notionum mente conceptarum : Eccl. dividitur tamquam familia in *dominam* ipsam nuper matrimonio iunctam, et regem *maritum*, qui viva *matre* illius domum intravit, et reliquos *familiares*. Nec enim obliviscendum est, Salomonem hunc regem c. 3 e terra aliena advenisse, *non* in suam domum paternam Sponsam induxisse; id faciet demum infra c. 8 in altera quasi desponsatione [1]. Dixi ad 5,1 « amicos » ibi designare convivas omnes, sive quos Sponsus adduxisset, sive quae cum Sponsa essent; in his esse etiam matrem intelligere debemus. Sed scriptor hanc personam, ut etiam *Sponsi* matrem (3,11), non nominat, nisi cum propria ratio est: fortasse id ideo facit, ne perturbentur legentium animi, quos unam *distincte concipere* satis sit. Est autem illa *Sponsi* mater non admodum diversa; sed idem inter utramque differt, quod inter coelestem et mysticam Ierusalem, *civitatem Dei* terrestrem et coelestem. Illa speciem aspectabilem coelestis regni, quod patria est Sponsi, ob oculos ponit, haec regnum terrestre, sed supernaturale, quod sibi novum ipsa desponsatione supra descripta creavit, quod domicilium quasi patrium est Sponsae assumptae. Statuimus ab initio (ad 1,4), in hunc modum interpretandam esse appellationem « Ierusalem ». Atque haec omnia idcirco accuratius expono, ne quid subterfugere videar difficultatis, etsi vix opus fuerat in his rebus immorari.

Restat ut circumspiciamus *historicam* atque *dramaticam* huius scenae interpretationem. *Fatentur* igitur paene omnes absurdam proponi actionem. Et sane modo nuptam cur tandem deserit Sponsus, cur noctu rediens eam evocat, cur, ne inveniatur, avolat? Num veri simile est Salomonem regem per nocturnum rorem pervagari agros aut urbem? reginam Hierosolymitanam excurrere per tenebras et ad verbera se obiicere...? Quid opus est plura? Itaque plerique ad *somnia* confugiunt. Scilicet « vigilans cor » dormientis manifesto (?) designat somniantem, et quae semel c. 3 aut etiam saepius somniavit, ea potest iterum ac tertio somniare. Attamen somniantium corda vigilare mire profecto dicit poeta: praeterea nemo non existimat ad vocem pulsantis *excitari* et re vera surgere dormientem, nunc autem volunt pulsum ianuae, colloquium, excursionem, omnia esse somniata, sed v. 8 sqq. tamen a vigile pro-

1. Ez. 16,45 Ierusalem, Dei Sponsa, habet patrem et matrem et fratres et sorores et viros affines. Apud Dantem in ep. ad Cardin. de Sponsa Christi Ecclesia dicitur : « Non Caritas, non Astraea, sed filiae sanguisugae tibi factae sunt *nurus* »; idem poeta philosophiam fingit « amicam » et « dominam » suam, de qua sic scribit : « Non in ipsam solam ferebar desiderio, sed in eas omnes *personas*, quae illi aliqua propinquitate vel *amicitiae* vel *sanguinis* erant coniunctae » Conv. III. 1). Nosse igitur tantum oportet dicendi modum poetarum allegoricorum, ut nihil mirere amplius Sponsos Cantici suas habere *matres*.

nuntiata; cur tandem *haec* subito a vigile? Credemusne filias Ier. tam stultas esse, ut velint 5,17 cum Sponsa quaerere eum, quem in *somno* illa amisit? Num re vera Salomon rex ita amitti potuit, ut quaeri deberet? Unde autem subito scit Sponsa 6,1 (hebr. 2), Sponsum esse in *horto? Del.* haec omnia verisimilia censet : somniavit Sponsa abesse regem, experrecta invenit revera abisse, excurrit ut quaerat, in via occurrit filiabus Ier., iis (in via?) describit Sponsum, suspicatur eum esse in horto (cur tam *mane* evasit in hortum, ut ibi *pascat?*), denique pergunt eum quaerere, et *nova* deinde scena proponitur oratio Sponsi; quae tamen scena post paucos versus abrumpitur. An ipsum somnium non absurde fictum est, item absentia Sponsi, *pastio* eaque in *horto* (!), narratio somnii, inaudita socordia Sponsae eiusque mira excusatio, « quod pedes maculare vereatur »...? Ceterum concedit Del., amorem coniugum iam flaccescere. *Zoeckl.* apertius de fide Sponsi coniugali dubitare Sulamitidem dicit et tamen pia *simulatione* insigniter eum laudare 5,10 sqq. et *simulate* dicere eum in hortum discessisse et rursum tamen ibi *revera* eum invenire, severo autem vultu eum excipere (6,3, *hebr.* 4; cf. tamen 6,2, *hebr.* 3); deinde ad novas laudes non attendere, sed sibi melius fuisse domi plane queri ac velle abire (6,10 sqq.)... Amplius : 5,9 suspicantur filiae Sulamitidem adulterino amore *alium* complecti cupiuntque eum cognoscere, item 5,17; negat autem Z. Sponsam in hortum pergere, deinde abrumpi scenam 6,3 (hebr.) et 6,8 (hebr. 9). Nec Del. autem nec Z. magnopere laborant, ut ab indecentia (si ad solam corpoream regis pulchritudinem spectat) descriptionem Sponsi liberent. — *Schegg* Sponsam in scena facit somnium narrantem *solis* spectatoribus; deinde 5,8 subito mutatur scena, ut prodeant filiae Ier., sed colloquium cum his amicis et tota descriptio partes sunt eiusdem *somnii*; v. 5 somnians ungit, antequam aperiat ostium, ipsa sibi digitos, ut inepta amicula (« coquette », inquit p. 69). Del. et Z. hic dixerant, *Salomonem* ita unctum venisse, ut, cum semel tetigisset claustrum, id repletum fuerit myrrha, atque ita etiam manus digitosque amicae aperientis myrrha manasse! — Rursum *Stick.* sola « pluvia » manasse amicum « rusticum » affirmat, Sulamitidem autem vespere in lotione pedum ita unctam esse, ut nunc etiam myrrha manet! Sed ab initio rusticum suum aspere repellit, quod nolit eius causa pedes in pulvere ponere, deinde ita exardescit amore, ut ex aula in plateam currat ibique vigilans vapulet. « Atque haec omnia mira non sunt; nam decorum laedere, magna audere etiam bene moratarum est puellarum, cum amore sunt inflammatae ». Quae sibi revera accidisse cum narrasset ceteris gynaecei mulieribus, eas etiam rogat, ut mandatum deferant ad suum rusticum; hae autem iam iamque sunt abiturae in hortum, in quem cum toto grege ovium rusticus invasit (!) : cum Salomon in scenam redit. O miseram fortunam! — *Graetz* quoque somnia aspernatur, quod ubi desinant nusquam sit notatum, et ordine omnia rectissimo inter se excipiant; non enim Sponsa, quae interdiu nudis pedibus (!) incedit, uncta est, sed amicus non unctus ille quidem, at manans myrrha accedit, quia venit e *monte* myrrhae. Filiae Ier. amicum Sponsae *aliquando* (!) amissum quaerere cupiunt; hic autem apud Gr. quoque hortum grege devastat. Proximos versus fatetur se ita, ut sint, explicare nullo modo posse. — Apud *Ren.* Sulamitis somnians vel audit vel sibi videtur audire amicum *pastorem*, exit ad eum quaerendum, occurrit custodibus urbanis, deinde choro feminarum (item per urbem vagantium?), denique ipsi pastori; « visio autem haec amici toto loco confunditur cum *vero* adventu ». Fateor non intelligi a me, quid sibi velit haec scena, veri dramatis actum integrum explens! Sed satis dictum est, unde appareat, nullam posse partem carminis ullo modo aut historice aut dramatice explicari.

VI. scena 6,9 (hebr. 10)-8,4.

Vulg. et LXX. VI. 9. utrobique fem. legitur : quae ista, τίς αὕτη; θάμβος ut 6,3; 10. add. ex 7,12 δώσω τοὺς μαστούς μού σοι; 11. conturbavit me propter quadrigas Aminadab, ἔθετό με ἅρματα Ἀμιναδάβ; 12. Sulamitis, Σουναμῖτις (sed A Σουλ-), item VII. 1,ubi etiam : castrorum, παρεμβολῶν; τί (= quam *Vulg.*) Alex. ante ὡραιώθησαν; filia principis, θύγατερ Ναδάβ, Ἀμιναδάβ; iuncturae, ῥυθμοί; 5. purpura regis vincta canalibus; πορφύρα, βασιλεύς δεδεμένος ἐν παραδρομαῖς; 6. charissima (sed LXX ἀγάπη, ut 2,8...); 7. τοῦτο μέγεθός σου. ὡμοιώθης (2. pers.) 8. fructus, ὕψεις; 9. dignum dilecto meo ad potandum labiisque et dentibus illius ad ruminandum, πορευόμενος τῷ ἀδελφιδῷ μου εἰς εὐθύτητα, ἱκανούμενος χείλεσί μου καὶ ὀδοῦσιν; 12. ubera, μαστοί; VIII. 2. apud LXX repetitur καὶ εἰς ταμιεῖον τῆς συλλαβούσης με ex 3,4, sed omittitur : docebis me; ῥοῶν μου (legerunt רִמֹּנַי, ut Hier.); 4. additur ἐν ταῖς ἰσχύσεσι τοῦ ἀγροῦ, cf. 5,8; ἐάν, *Vulg.* ne (hebr. hic מָה).

Arg. — Sponso cum insolito apparatu adveniente quodammodo exterrita Sponsa se avertit, sed ab illo revocata, ut sui contemplandi copiam det, verecunda obedit (6,9-7,1ª). Sequitur illustris eius laudatio (7,1ᵇ-9ª); quae ubi ad fructus meritorum translata est, a Sponsa modeste interpellatur : rogat eum ut ad ipsos fructus potius inspiciendos, quam ad se laudandam intendat (9ᵇ-13). Dumque obsecrat, ut sibi frater sit et amicus praeceptorque domesticus, in altae contemplationis intrat quietem (8,1-4).

Novam incipere 6,9 (*hebr.* 10) carminis partem similitudo suadet aliarum partium, cf. 3,6; 8,5, nec ipsa verba apte continuarent superiora, quia admiratio haec « Quae est... » certe 6,3 (*hebr.* 4) collocanda fuisset. Adde quod, si una est perpetua actio a 5,2-8,4, nullus est hic *modus* a poeta servatus, sed scena efficitur ceteris iam non comparanda ob longitudinem. Aliquam dubitationem sane affert, quod non quiete contemplationis, ut illis locis, superiora absoluta sunt. Sed varietatis causa, ut 5,1, substituta est alia clausula; ut illic convivium nuptiale, sic hoc loco singularis prorsus commendatio Sponsae proposita fuit, qua cumulata non potest non etiam reliquos favores maxime insignes a Sponso accipere.

Quaeritur autem, num vertendum sit « Quid est istud », an « Quae est ista »; supra 3,6 nobis visum est omnino sequendum illud prius, atque hic in eandem *sententiam* intelligamus Vulg. v. 9. « *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* » Ergo non ad Sponsam haec referimus, etsi *ultima* verba (cf. 6,3) id probare videntur et hebr. prima sunt ambigua (מִי־זֹאת). Ratio autem haec est, quod

Sponsa v. 11 exterretur aut saltem commovetur quadrigarum aspectu, ita ut etiam fugere incipiat; non igitur ipsa hic acies instructa dici potest, sed advenientem exhorrescit (de « choris castrorum » 7,1, hebr. 2 mox videro). Sequitur, ut is, qui in quadrigis vehitur tantoque splendore appropinquat, coelestis sit Salomon, qui et alias non minus repente et 1,8 (ut prudenter existimare licet) item curru vectus e coelesti regione advenit. Nunc et splendor divinus et ipse locus, unde proficiscitur, accuratius describitur. Pars enim coeli rubescit (« aurora »), lux lenis procedit (« luna »), deinde eadem aestu effervescit (« sol »), postremo distincta exercitus species (« acies ») in oculos incurrit. Cuius rei intuitu elicitur ab iis, qui vident (i. e. a Sponsa potissimum), illa admiratio. Additur autem quaedam loci notatio v. 10 « *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma* (germina) *convallium, et inspicerem, si floruisset vinea, et germinassent mala punica* ». Quae verba ὕστερον πρότερον quodammodo esse versum nonum ostendunt : anticipata fuit ad descriptionem magis excitandam admiratio illa; ordo enim rerum usitatus esset : descendi (v. 10)... quae est (v. 9)... nescivi (v. 11)... Cf. quae de simili ordinis perturbatione ad 3,11 supr. p. 489 diximus; sunt haec artificia poetis usitata. Ipsum « descendi » prima pers. enuntiatur pro tertia, ut ea, quae narrantur 3,1 sqq.; quare non quaerendum, quibus haec Sponsa narret, licet sine dubio dicendum sit comites eius adesse (cf. clausulam scenae : 8,4). Pertinet autem sollicitudo hic descripta (de horto, arboribus, vitibus) ad perpetuum Ecclesiae officium; nihil enim aliud ei in hac terra propositum est, nisi ut per labores et dolores « eat et fructum afferat et fructus eius maneat » (Ioann. 15,16); hortus, convalles, vinea, arbusta poetice ponuntur, quia in his versari oportet feminarum laborem; de reliquo nihil est distinctius exquirendum. Cf. autem 2,12 sq. 15. Sed occupatam in huiusmodi laboribus idque iam satis diu atque feliciter (cf. v. 13) Sponsus divinus pro sua caritate invisit, ut eam ob merita sua collaudet ac remuneretur. Venit autem cum apparatu insolito; quo enim studiosius Eccl. per saecula pergit laborare, eo insigniore fit digna honore. Iam vero tantus est splendor appropinquantis, ut paullisper illa perturbetur v. 11 « *Nescivi; anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* » « Nescivi » ita ut « descendi » narrantis est, sed ad illum modum poeticum, quem explicavimus supr. p. 481 sq. Non intelligit Sponsa, quid rei sit, et cogitationibus (« anima ») conturbatur (sic vertendum cum Vulg.), videns quadrigas Dei, etsi hae revera sunt « quadrigae salvationis » (Hab. 3,8). Pro Deo nomen symbolicum usurpatur ad rem praesentem accommodatum : Aminadab s., ex hebr., Amminadib, i. e. Deus

princeps (עַם in nom. propr. pro *Deo* poni v. apud Fuerst). Magnificentia igitur regia ipsaque divina natura isto nomine indicatur. Iam vero ut verba recte construamus, meminisse oportet « propter » in *Vulg.* additum esse; ergo post « me » sequitur *exclamatio :* quadrigae Aminadab!

Summam hic esse in verbis hebr. difficultatem omnes fatentur. S. *Hier.*, quem sequimur, pro שַׂמַתְנִי (= posuit me) legit שַׁמַּתְנִי (= conterruit, conturbavit); item ante eum *Symm.* Tota differentia in punctis est, ipsa sententia quam optima, constructio verborum longe facillima. Debet autem claudi sententia post « conturbavit me », ut modo dicebamus, et reliqua separari (omisso « propter »). Id unum inusitatum, quod verbum transitive usurpatur; sed idem factum censet Gesen. Ez. 36,3, et participium שׁוֹמֵם identidem « vastatorem » sonat; quodsi opus esset, liceret legere שִׁמַּתְנִי, *piel* (= שִׁמֵּמַתְנִי, cf. de coniug. piel : קִלֵּל); ergo haec exigua difficultas est, praesertim cum saepe intr. notio et trans. notio misceantur, v. g. in דָּמָה, בָּלָא, חָדַל. — Porro etsi in plerisque codd. hebr. Ammi — nadib separatur, tamen ut *Hier.*, ita iam LXX nomen proprium legerunt, id quod certe licet; nam si aliis locis nomen propr. est Amminadab, tamen et *nadib* idem vale quod *nadab*, et apte potuit scriptor hac lenissima varietate eo consilio uti, ut *facilius* agnosceretur significatio *allegorica* nominis (atque ita ipsa separatio illa tolerari potest).

Sed videamus qua ceteri uti explicatione soleant. Quae cum sit maxime varia, aliquot tantum modos afferam. Ut sunt verba hebr., vertendum esset : nescivi, fecit me anima mea currus (LXX ἔθετό με ἅρματα); facilis esset et usitata structura (שׂוּם cum duplici obiecto); at hoc loco Sponsa nec revera efficitur currus Dei (fugit enim), nec apparet, cur animi tantum *cogitatione* id efficiatur. Alii explicant : anima posuit me ad (inter, in) currus; sed credi aegre potest, in huiusmodi verborum formula omitti licere בְּ, etiamsi accus. loci aliquando verbis motionem designantibus adiungitur. Quodsi de sententia quaeritur, interpretatur *Del.* (et item fere *Zoeckl.*) : « mea me anima (= voluntas) sustulit in currum regis, fecit me amicam eius ». Ambulaverat enim Sulamitis in horto, rediens occurrit filiis Ier., quae eam alloquuntur mira admiratione : Quae est ista procedens ut aurora, luna, sol, castra militaria! Quibus illa respondet : Descendi... Quid autem sibi velint illa de curru : « nescivi meam me voluntatem sustulisse in currus populi mei, principis » (sic ille), quis explicet? Item quae sequuntur? Del. vult invitari Sulamitidem, ut redeat in hortum et sui contemplandi copiam filiis Ier. det; assentitur, ut angelicam (!) saltationem coram iis imitetur, seque sinit cumulari laudibus. Quis tandem id consentaneum reginae existimet? *Abrumpitur* deinde scena 7,6 (*Vulg.* 5), ut dein sine testibus amorem mutuum audiamus ardentissime eloquentes. — Apud *Kaempf* Sulamitis cum feminis domus regiae descendens in hortum rustici amatoris sui ab eo salutatur : Quae est ista... Respondet se animi quodam instinctu factum esse currum Aminadib, i. e. iam totam in potestate esse amici sui, « cuius fuit nomen proprium Aminadib ». Hortantur comites, ut cito in palatium redeat. Sed libenter se patitur retineri et subobscoene laudari, mulieribus praesentibus, et a 7,12 (11) illis item comitantibus (8,4) cum amico in patriam suam abscedit! Salomon autem aemulo suo generose cedit! *Stick.* certum putat neutrum ex illis suis rusticis amatoribus, quos induxit, hoc loco primas agere, sed Salomonem; cui se « truce vultu » (6,3. 4) sistit Sulamitis, laudibus

cumulata non movetur. 6,10 (*Vulg.* 9) feminae gynaecei repetunt, quae tum (!), cum primum viderent illam, admirantes dixerint, et Sulamitis quoque rediens in praeteriti temporis memoriam narrat, quo pacto *rapta* sit: curiositate erat ad currus principum virorum adducta (עַמִּי, non עַמִּי, quod suffixum illi offensioni est). Porro repetunt comites, quae tum (!) puellae inclamarint. Deinde partim pristina iterantes partim nova addentes describunt « quasi » (non *vere*) saltantem. Volunt enim *amorem* eius lasciva oratione commovere, ut ipse rex 7,8 sqq. (Vulg. 7) aperte libidinosum effundere possit desiderium. Illa suo rustico se servare amorem protestatur eumque absentem (!) alloquitur (7,12 sqq.), usquedum vires ipsius deficiunt (8,3). — Apud *Ren.* Salomon pronuntiat verba 6,3-6 (Vulg.), pastor autem foris stans 6,7 sq., mulieres gynaecei 6,9, deinde Sulamitis « tergum iis vertens » secum reputat, quomodo capta sit, hortantur illae 6,12, ut sibi faciem advertat, sed una aliqua ex iis invidia commota saltando regis laudes captat ac nanciscitur; 7,11 accurrit pastor, inter cuius brachia suaviter obdormiscit; deinde dormiens ab eo in suum vicum portatur et sub arbore malo (8,5) dormiens deponitur! — *Graetz* post 6,3 intercidisse aliqua opinatur, v. 11 sq. ponit ante 4 et verba sic mutat, ut sententia sit : Non novi meipsam, tu mollisti me, filia Aminadab (qui *pater* eius est). Toto autem loco colloquium aliquod cum amico habitum Sulamitis narrat sodalibus; quod ut apte inducatur, illi versus traiiciendi sunt; ipsa verba hebr. negat posse ullo modo explicari et ceteras interpretationes « desperationem prae se ferre » iudicat. — Atque haec satis, opinor, declarant, quanto sit facilior allegorica interpretatio. Itaque pergamus.

Sed in ipsa allegoria obiicitur opinio valde diversa. *Theodor.* Aminadab voluit esse « principem huius saeculi », itemque alii *diabolum* (*Apon.*) vel generatim inimicos Ecclesiae (v. g. Turcas) interpretati sunt, Iudaei inimicos Israelis. Sed ea explicatio, quam supra probavimus, in Eccl. est multo communior; eaque sola satis congruit nominis notioni, quia, quomodo hebr. verti possit « princeps *mundi* », nullo pacto assequor. Praeterea Sulamitis ipsa simili nomine appellatur (בַּת נָדִיב 7,2, *Vulg.* 1), LXX plane habent « filia Aminadab ». Ergo hoc nomen aut « Deum Principem » (*Fuerst*) aut « genere Principem » (*Gesen.*) sonat; est autem Princeps κατ' ἐξοχήν Deus potius quam diabolus, et Sulamitis Dei filia. Ipsa etiam multitudo nominum, in quibus est pars altera עם (cf. *Fuerst*) tanta est, ut dubitare vix liceat, Dei aliquam hanc esse appellationem; inveniuntur etiam עַמִּישַׁדַּי, עַמִּיאֵל, אֱלִיעָם, אֲנִיעָם.

Sed *B. Schaef.*, ex altera illa explicatione profectus, toto hoc loco facit Sulamitidem a diabolo vel eius aliquo quasi administro *tentari*. Nimiam enim censet in laudibus c. 7 turpitudinem inesse (in Vulg. vv. 1. 2. 6. 8. 9); addit has quoque rationes : quod inverso ordine corporis partes laudentur, quo libidinis sensus exprimatur, deinde quod dictio ipsa iam sit prorsus diversa. Probabilior etiam idcirco fortasse ei haec opinio visa est, quod a 5,2 *animam* vult esse Sponsam, quae cum statim ab initio fuerit perquam socors et negligens, non incongrue obiicitur tentationibus.

Nihilominus ista sententia mihi non probatur. De « Aminadab » diximus; addo, non intelligi, quare Sponsae nomen pulcherrimum soli tentatori poeta tribuerit loquenti, itemque quare sanctissima Christi verba partim

repeti illudique a spurcissimo tentatore voluerit (cf. Vulg. 7,3 cum 4,5, estque tota Sponsi oratio c. 4 hic in risum deflexa). Et cogitur Schaef. 6,9 superiori scenae iungere, etsi a similibus verbis 3,6 et 8,5 nova actio orditur. Gravius est, quod Sponsam facit satis patienter auscultantem usque ad $7,9^{b}$, id quod cum tanta eius caritate (5,10-16; 8,1-4) difficilius conciliatur; deinde quod 7,11 Schaef. abrumpere actionem novamque incipere scenam debet, cum tamen indicium sit nullum. Cur autem toto loco diversa videatur esse habitus orationis, non satis apparet; *similitudo* potius videtur permagna inter 7,1 sqq. et 4,1 sqq. 6,3 sqq. atque etiam 5,10 sqq. intercedere; membrorum autem enarratio inversa et varietatem affert et sua sponte e saltationis et pedum mentione 7,1 derivatur. Restat igitur sola turpitudinis ratio; cetera mihi omnia contraria esse Schaeferi opinioni videntur. Sed illa turpitudo, quae in verbis esse putatur, non offendit *veterum* quemquam; neminem eorum invenio, qui novum amatorem induceret, neque tamen verba aliter ac nos legerunt. Nec profecto multum differt, si *species* turpitudinis attenditur inter 7,1-2 et 5,13-15, inter 7,3-6 et 4,3-5, inter 7, 8^{b} et $5,16^{a}$ cum 4,10. 11, inter $7,7-8^{a}$ et 5,1, quoniam hic quoque « hortus » revera est, ut 4,12 sqq. demonstrat, *ipsa Sponsa*. Sed quomodo recte interpretando evanescat *species* inhonesta, ostendet versuum enarratio.

Alii ab huius scenae initio non amatorem, sed sponsam novam induci volunt. Putarunt S. *Greg.*, Ven. *Beda*, S. *Thomas*, alii nonnulli sermonem iniici de perfidae Synagogae ad Christum reditu. Id antiquissimi non existimaverunt : S. *Iustus Urg.*, S. *Ambr.* et *Graeci* (apud horum neminem id significatum video). Nec affertur ratio idonea, cur aliam hic prodire et laudari Sponsam putemus (cf. ad 8,5).

Sponsa perturbata et aversa revocatur v. 12 « *Revertere, revertere* (vel, si videtur : converte te huc), *Sulamitis; revertere, revertere, ut intueamur te* ». Timor enim eiusmodi fuit, qui a Sponsi divini subita visione profectus esset; idcirco deponendus est. Accedit autem ille, ut aspectu eius exhilaretur; id enim est amantium, et sane Dei quoque oculi aspectu bonorum delectantur. Dicit pluraliter « intueamur », ut 1,10 « faciemus », sive hic numerus maiestatem indicat, sive includit amicos, quos secum adduxit (v. 9 « castra », cf. 3,7). Sponsa ipsa familiariter nomine suo appellatur : Sulamitis. Id hoc demum loco ob aliquam rationem graviorem usurpari evidens est. Iam vero modo verum ac proprium Sponsi nomen positum, ut eius *summa* maiestas magis ostenderetur, sua sponte fortasse requirere visum est, ut aliquando etiam Sponsae propria ac maxime splendida appellatio adhiberetur; nam in quoddam fastigium adduci in hac scena ipsum Canticum necesse est (cf. magnificentiam v. 9, Sponsae laborem v. 10, timorem divinae maiestatis v. 11). Atqui Sulamitidis s. pacificae, vel

potius pacificatae, appellatio (v. supra p. 381) *perfectionem* Sponsae similem coelestis Salomonis declarat (8,10). Quodsi dixeris, iam ante, ut Sponsum Salomonem, ita Sponsam Sulamitidem fuisse nominandam, id non recte concluditur, quia ille ab initio est perfectus, haec perficienda, ille pacem (s. salutem perfectam, שָׁלוֹם) affert, haec accipit; nunc demum simpliciter pacifica (salva, perfecta) dicitur. Ipsa nomen acceptans modeste respondet 7,1ª « *Quid videbis* (videbitis) *in Sulamite, nisi choros castrorum* ». S. Hier. vertit, ac si scriptum esset כִּי אִם; sed ex hebr. haec postrema verba responsionem videntur Sponsi continere : simile quid (כְּ) choreae. Vocabulum autem « castrorum » (מְחֹנַיִם, sive hic plur. est numerus sive dualis, id quod minus probabile) ex Gen. 32,3 (*Vulg.* 2) intelligendum est de castris Dei, i. e. de militia coelesti s. angelorum. Atque hanc responsionem Sponsus proximis versibus non minus magnifice exsequitur 7,1ᵇ « *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Iuncturae femorum* (circuitus f.) *tuorum sicut monilia, quae fabricatae sunt manu artificis* ». Incessus quasi saltantis angeli laudatur (quae comparatio in homine aliquo absurda est, in Eccl. non item). Itaque hic a pedibus incipitur nova Sponsae descriptio, et ad femora pergitur, quia in motu corporis horum quoque forma rotunda ac flexilis imprimis attenditur. Sed ut in Sponso 5,14 (« opus eburneum »), sic in Sponsa quasi *opus artis* describitur, ut facilius speciem mente fictam, non naturalem, intelligamus. Item partim in v. 2 « *Umbelicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Cf. ad v. 1 et 2 de Sponso, cuius debet esse Sponsa simillima, 5,14. 15; sed tamen in illo soliditas quaedam, in hac pulchritudo laudatur et fecunditas. Quae fecunditas ad similitudinem terrae sanctae in vino et tritico laudatur; cf. Deut. 32,14 et quae diximus ad 4,11 sqq. Itaque ne vestigium quidem indecori prorsus relinquitur in ea imagine, quae *a terra ad Sponsam transferatur*. Quamquam, etiamsi id non admiseris, *ipsa allegoria* absurdam stultamque esse omnem de re turpi cogitationem satis demonstrat; cf. supr. p. 352. Frustra conantur aliqui pro umbelico pudenda mulieris interpretari; nam שֹׁר est umbelicus Ez. 16,4; Prov. 3,8, quare etiam *Fuerst, Gesen., Del.* illam explicationem longe arcessitam repudiant. Ergo in medio corpore, ut oportet, Sponsae fecunditas, sed honestissime describitur; inter alia (ut supra 5,14) postrema verba ventris descriptioni addita sanctitatem praeclare significant. Fecunditatem autem (non Sponsae, sed Coniugis) hac scena ob oculos poni diximus iam ad 6,10 et copiose explanandum est ad 7,7 sqq.

Nihilominus *adhuc* potius pulchritudo attendenda est, ut ostendunt ea, quae de superioribus corporis membris adiunguntur v. 3-6 « *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinae in Hesebon, quae sunt in porta filiae multitudinis* (urbis frequentis). *Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum. Caput tuum ut Carmelus et comae capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus* (ex *hebr.* rectius, ut videtur : *sicut purpura; rex vinctus cincinnis* — aut explica : sicut purpura regis vincta per gradus atque annulos s. per nexus instar canalium rotundatos). *Quam pulchra es et quam decora, charissima* (*hebr.* caritas), *in deliciis.* » Prima verba iterantur ex 4,5 et recte uberum fit mentio, quia Coniugis fecunditas describitur; cf. iam in Sponsa matura 4,5; Ez. 16,7. Turris eburnea (ut ostendere videntur nomina propria, quae sequuntur, et 4,4) certa quaedam et nota intelligitur; de reliquo in collo gracilitas et firmitas maxime cernitur. Prope Hesebon etiamnunc magna piscina est; urbs autem fuit illa satis magna (Num. 21,26 sqq.); hic addita « multitudo » significat Eccl. iam numerosam, cf. 8,11, ubi idem de toto mundo dicitur. Imagines piscinarum et turris et montis absurdae essent, nisi et allegoria sua sponte ascisceret exaggeratas comparationes et semper, ut 4,11 sqq. et iam 4,1 sqq. simul cogitandum esset de *terra,* quam incolit Sponsa (supr. p. 496). « Purpura regis » referenda est ad subnigrae comae pulchritudinem et « vincta can. » ad comendi artem; quodsi vertitur « rex vinctus cincinnis » (cf. etiam LXX), non inepte vis tota pulchritudinis hac clausula descriptionis declaratur, additurque aptissime exclamatio : « quam pulchra, caritas, in suavitatibus (hebr.) ». *Caritas* non prorsus idem est atque « charissima »; iam 2,7 eam confundi omnino cum « dilecta » aut « dilecto » negavimus (apud LXX semper ἀγάπη). Personae enim dignitatem hic ut 8,6 sq. induit ipsa caritas, id quod est magis poeticum.

Sed ita absoluta descriptione pulchritudinis (in qua iteranda solet saepe versari ardor amantium), nunc, quod proprium est huius partis et iam significatum 6,10; 7,2, fusius explanatur : *fecunditas* Sponsae s. Ecclesiae per tempora ac loca propagatae v. 7. « *Statura tua assimilata est palmae et ubera tua botris* »; *v.* 8. « *Dixi : Ascendam in palmam et apprehendam fructus eius* (*hebr.* ramulos), *et erunt ubera tua sicut botri vineae* (vitis) *et odor oris tui sicut malorum* » (hebr. *narium tuarum,* id quod Hier. studuit ad nostros sensus accommodare, LXX ῥινός σου); v. 9ª « *Guttur tuum sicut vinum optimum* ». Palma cum per se esset ob varias rationes apta ad comparandum (hic gracilitas etiam *staturae* attingitur; nomen quoque satis usitatum est

mulieris « Thamar »), hoc loco ob *fructuum* potissimum multitudinem confertur : « ascendam, apprehendam ramos eius ». In nummis iudaicis palma insigne est Palaestinae (*Fuerst*, lex. s. v. תָּמָר), unde cognoscitur, quam illa arbor apta fuerit, qua filia Sion designaretur. Palmae additur « botrus », quem priore loco (v. 7) referunt ad similis formae *dactylos;* sed potius *duae* res, palma et vitis, comparantur, quia proximo versu (v. 8) *utriusque* fructus percipitur. Quibus tertio loco iunguntur arbor malus et poma, quorum mentio facta iam est 1,3. 5, fietque 8,5. Verbum illud « Dixi », quo saepe Salomon utitur in « Ecclesiaste » (v. g. 2,1. 15), propositum conclusionemve significat (= stat sententia). Ergo percipiendorum frugum tempus iam adesse Sponsus dicit; quidam igitur *autumnus* aetatis christianae proponitur. Postremo loco (v. 9ª) vinum illud pressum sementem novam (ante ipsam hiemam) et primam pluviam iam attingit (cf. Am. 9,13). De gutture et vini potu hic statuendum est, ut 5,16 (supr. p. 512), nec sine causa haec Sponsi oratio eodem modo, quo illa Sponsae c. 5, concluditur. *Sermonis* commercium summopere laudatur, quo hominis amabilitas vere perficitur atque absolvitur; sed sermo poetice *aspiratio* quaedam *gutturis* appellatur, quia est intima animorum communicatio. Et haec imago praeparatur « odore narium », quem intelligi oportet quodammodo *afflatum* animi et caritatis generatim.

De cetero haec praeconia repetitio quaedam sunt capitis quarti; quaeritur, quid sibi ista iteratio velit. Respondendum est, idem spectari, quod in c. 5 comparato cum 3,1 sqq. et 2,8 sqq. : simillimam esse conditionem rerum, atque id ipsum verborum similitudine indicari; at non solum similem, sed eandem etiam dissimilem, quatenus ipsa *verba* differant. *Consuetudo* haec est Salomonis et toto hoc libro et in « Ecclesiaste » (p. 151 sq. et saepe). Ac bona ratio est, qua ea possit defendi. Hoc ipso loco comparatio docet, perseverare amorem diei desponsationis atque adeo increscere; ardentior enim hic laus est et grandior exaggeratio et splendidior accessio Sponsi, ita ut ipsa Sponsa conturbetur. Deinde etsi utrobique Sponsus fructibus quibusdam recreatur, tamen in hac parte, quam explicamus, multo diligentius *cura* de fructibus *ipsi*que fructus notantur (6,10 ; 7,2. 7 sqq. et 12 sq.). Id ipsum, dum pergemus, clarius elucebit.

Ut 4,16 Sponsa Sponsi blandimenta verecunde interpellavit, ita 7,9ᵇ mediam orationem intercipiens dicit : « *Dignum dilecto meo ad potandum labiisque et dentibus illius ad ruminandum* ». Summa sententia perspicua est : vinum illud optimum gutturis sui sic laudari vult, ut fruendum propinetur Sponso divino. In hebr. est : *Fluens* (LXX πορευόμενος, cf. Prov. 23,31) *dilecto meo recte* s. leniter (id quod est

re ipsa idem), *subiens labra dormientium* (alii vertunt : loqui faciens, vel commovens l. d.). Sententia est : « ita subiens labia, ut suavem conciliet somnum ». Dicitur pluraliter « dormientium », ut communis et necessaria vis significetur, qua, *quisquis* biberit, suaviter consopiatur; ac proleptice dicitur pro « ad dormiendum », figura poetica notissima; somnus autem ipse est quies amoris et contemplationis, quia vinum quoque propinatum nihil est aliud nisi caritas.

Haec verba hebr. facilius explicantur, quam LXX : ἱκανούμενος χείλεσί μου καὶ ὀδοῦσιν = aptatum labiis meis et dentibus. Unde haec nata sint, apparet; legerunt enim שִׁפְתֵי וְשִׁנַּיִם pro שִׁפָּתִי יְשֵׁנִים. Dentes autem cum vini gustatione nihil habent commune. Pro דבב (frequenti errore) fortasse דבך, quod compingendi, coniungendi vim habet, substituerunt; S. Hier. in *Vulg.* propius attigit id, quod nunc explicare solent. Videtur enim vis illius vocabuli primigenia esse « ebullire, stillare »; in ruminantium autem ore bullire vinum non inepte dixeris; sed Hier. totum versum difficilem ad sententiam potius quam ad verba liberius interpretatus est. Addere autem hic iuvat, quosdam לְדוֹדִי (dilecto meo) expunxisse, quod id ex proximo versu huc irrepsisset, aut legisse לְדוֹדַי (amori meo) aut לְדוֹדִים (dilectis), atque haec omnia eo consilio, ne Sponsa Sponsi orationem interpellaret; sed haec verecunda interpellatio laudum suarum indecora non est, et simile quid 4,6. 16 (supra p. 501), immo vero etiam 1,14 sq. (p. 451) factum statuimus. A se ipsa laudem, quantum licet, avertit, et ipsos fructus, ob quos laudatur, iubet inspicere.

Apte adiungit Sponsa ea verba, quibus se totam esse in potestate ac possessione Sponsi profiteatur v. 10 « *Ego dilecto meo et ad me conversio eius* » (hebr. desiderium). Idem usurpavit 2,16 et 6,2 (*hebr.* 3), i. e. iis locis, ubi generose se tradit Sponso *necdum* tamen illico eum complexa tenet; hoc enim ultimum indicatur his verbis « Laeva eius... » (2,6; 8,3 et simillime 3,4), ut in huiusmodi quoque iteratione consilium et constantia cernatur. Hoc loco ne ipsa quidem quietis videtur esse cupida, sed intelligens, Sponsum ad fructus percipiendos venisse, eum potius invitat, ut ex horto in agrum pergat secum, ut omnem fructuum abundantiam videat. In c. 5 v. 1 manetur in Sponsae horto; hic ab initio (6,10) item horti mentio facta est; at nunc foras et in villas excurritur, ubi Sponsa maiorem videtur messem fecisse v. 11-13 « *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis* (vicis, oppidis). *Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica; ibi dabo tibi ubera mea* (amores meos). *Mandragorae dederunt odorem. In portis nostris omnia poma* (fructus optimi); *nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi* ». Non est dubium, quin haec egressio in agrum ad fructuum copiam maiorem percipiendam et ad horrea quodammodo Sponsae inspicienda aliquid sibi velit.

Statuunt plerique recentiores, Sulamitidem vel cum Salomone vel cum suo rustico

domum paternam ex urbe remigrare et peripetiam quandam volunt hic esse carminis. Sed Salomonem rusticatum per vicos, et in casa paterna puellae rusticae habitatum abire tam est incredibile, quam cum pati, praedam suam (puellam raptam) impune redire aut etiam aufugere. Haec ultima mera somnia sunt interpretum, quae e verbis carminis non intelliguntur; quodsi *Stick.*, *Kaempf*, *Ren.*, *Ew.*, *Hitz*... comparantur, evidens est, quam diversa possint statui, si semel comminiscendi plena detur facultas; cf. quae p. 520 sq. attulimus. Quod autem *Del.* et *Zoeckl.* Salomonem *ipsum* rus educunt, ut ibi in tugurio rustico habitet (nam domesticae fratrum consultationi interest et de matrimonio futuro impuberis sororis consulitur et in clausula carminis ibi relinquitur) : id quidem et per se absonum est et nullis argumentis probatur. Sola ratio, quae videri possit probabilis, haec est, quod Sulamitis sit rure nata et summo semper desiderio vitam rusticam efflagitet. At maxime incertum est, eam e Sunem oppido oriundam esse (supr. p. 380 sq.) et hoc ipso loco 7,1 ita dicitur filia principis ut 6,11 ipse Salomon princeps (נָדִיב), nec *usquam* Sulamitis aperte dicit, sibi urbem displicere, atque 3,4 materna domus eius in ipsa *urbe* est, nisi novo commento dixeris eam noctu in urbem excurrere et inde cum amico suo noctu rus revolare. Praeterea quomodo fieri potuit, ut uxor Salomonis rure fructus novos et veteres illi servaret; an omnino anni magnam partem rure peregit ibique laboravit?

Allegorica interpretatio hic sua sponte Ecclesiae *inter gentes* labores felicissimos recordatur. Quas quidem gentes foris in vicis habitare oportuit, quia hortus ille urbanus Palaestinam significat (4,12 sq., 6,10). Inter paganos autem imprimis desudavit Ecclesiae industria, ut ei suo iure gloriari liceat, multos se ibi fructus Sponso deposuisse ibique se posse praestare ac probare amoris sui magnitudinem (« nova et vetera » — « dabo tibi amores meos »). Bene abundanter dicitur « in agrum egrediamur » « in villis commoremur »; nam et ruris notio premenda et propter fructuum copiam multa loca inspicienda sunt. In singulis enim oppidis fructus asservantur; pro oppidis v. 13 *hebr.* ostia ponuntur (פְּתָחִים), non portae (שְׁעָרִים), ut tenuitas quaedam rustica indicetur. Ceterum ut haec appellatio Deut. 12,12; 16,5... pro urbibus, ita illa pro vicis apte usurpatur. Nec idcirco opus est ostia ad domum *maternam* referre; an super ostia solent fructus asservari? et quid plur. num. sibi vult, cum nec multae portae cum frugum penu nec amplissima aliqua ianua illi domui apte attribuatur? Quodsi in *allegoria* ita velis explicare, id sane non ineptum; domus enim matris erit civitas Dei terrestris (supr. p. 480 sq. 515 sq.), quae multas habet portas tum urbium tum domorum.

Sed non statim abeunt; dictum est enim « mane surgamus (pergamus)... ». Itaque quia nunc fructus non traduntur, redit ad caritatis ardorem exprimendum oratio 8,1 sq. « *Quis mihi det te fratrem meum sugentem*[1] *ubera matris meae, ut inveniam te foris et deosculer te, et*

1. Partic. praesentis intellige de re praeterita (pro « lactatum »); sic et graece et hebr. partic. praes. non raro usurpatur.

iam me nemo despiciat. Apprehendam (abducam) *te et ducam te in domum matris meae; ibi me docebis et dabo tibi poculum ex vino condito et mustum malorum granatorum meorum* ». Audacius Sponsa, quam solita est, petit, ut intima ac plena familiaritate Sponsi frui aliquando liceat. Quid vero? Nonne idem ei contigit frequenter, nonne eum 3,4 iam matris quoque domum adduxit? Nonne oscula saepe nacta est eumque vicissim recreavit? Non igitur in his omnibus quidquam novi est. Et tamen singulare quiddam in hac scena gravissima exspectamus. Sed novum revera est « fratris » vocabulum, quo adhuc Sponsa usa non est, etsi Sponsus ipsam sororem appellavit. « Frater » autem hic qualis intelligatur, id explicat, cum dicit, « sugentem... ». Ergo *uterinum* eum fratrem vel potius instar (*hebr.* כ) uterini fratris esse sibi cupit; et ut *talem* secum morari vult domi matris suae; et ut *talem* perpetuo adesse sibi, id quod etiam illud « docebis me » demonstrat. Sentire ipsa videtur, post fructuum perceptionem tamquam post messis laborem iam prope abesse *perpetuam fraternae familiaritatis cum Sponso consuetudinem* et altissimae contemplationis otium; nam hoc alterum quoque videtur indicare, cum dicit « docebis me ». Quamquam non omnino iam *futuram* vitam significat, sed continet se in *praesenti* rerum conditione ac tantum Sponsum vult non, ut ante, discedere, sed domi suae matris secum in posterum manere. Domus enim matris nihil est aliud nisi domus ipsius, aut saltem non plus differt, quam 3,4. Quodsi Sponsus « fratris » loco ei esse voluerit, tum omni et tempore et loco eo fruetur; nam et « foris », nullo pudore impedita, eum osculabitur et domi doctrina eius recreabitur nihil aliud ipsa agens, nisi ut vicem caritatis referat. Prius dicit « foris », quia ut 3,4 labor, qui foris potissimum exercetur, domesticam quietem praecedit. Ut brevi omnia complectar, haec est sententia versuum 1 et 2 : Utinam mihi instar fratris uterini sis, et mihi liceat e tumultu negotiorum te domum ducere tuaque perpetuo ut fratris maioris praesentia uti! Annuere statim Sponsus videtur; nam largitur ei contemplationis quietem, quae ita exprimitur, ut 2,6 sq. « *Laeva eius...* » et « *Adiuro vos...* » Atque ita ad suum initium redit carmen. Quare? Quia ut ibi favore contemplationis inaugurabatur sponsalis amicitia, sic hic non solum eadem post labores diuturnos confirmatur, verum etiam *nova rursum desponsatio* inauguratur. Huc enim spectat reliqua pars Cantici. Finita enim mundi aetate Eccl. in aeternum Sponsi thalamum et ad quietem labore omni vacuam deducenda est. Cuius rei pignus haec ultima in hac terra Sponsi liberalitas. Sine dubio pro meritis, quae praecedunt, dulcior quam ante hic est somnus contemplantis; id quod fortasse etiam formula verborum indicat. Ante enim dictum est, « Adiuro

vos... *si* excitaveritis », nunc (in hebr.) vehementior est obtestatio : « Adiuro vos... *quid* excitabitis? » i. e. omni modo cavete ne...

Sed illud breviter, quod et ad hanc scenam intelligendam et ad ultimam praeparandam pertinet, ostendendum est : in proximis (8,5 sqq.) revera de Sponsae transitu in coelum agi, ne quid videamur temere affirmare et ex huiusmodi incerta opinione hanc posteriorem partem Cantici explicare. Nam quae modo exposuimus, ea sola profecto non possunt vim habere persuadendi ; *probabile* tantum est, 7,13 (*hebr.* 14) *extremam* quasi messem proponi eorum fructuum, quos Eccl. toto saeculorum cursu protulit, et 8,1. 2 fraternae consuetudinis imagine *summam absolutamque* familiaritatem designari, eam, inquam, quae transitio quaedam sit ad gaudia coelestia, item probabile tantum est. Ergo nunc aliquas rationes afferam, quibus et ista confirmentur et certus etiam ad reliqua explicanda aditus patefiat.

8,5 Sponsa *innixa super dilectum* ab eo aliquo deducitur, ubi admiratio huius adventus maxima excitatur ; id aptissime quadrat in supremam Ecclesiae assumptionem, cum exspectantibus angelis (« *amicis* » v. 13) in coelum a Sponso deducetur. Tum etiam *caritas* ita inardescet atque invalescet, ut v. 6 et 7 describitur, tum *pacem* perfectam Eccl. nanciscetur (v. 10), tum nova desponsatione s. « *allocutione* » ex « *parva* » repente fiet maxima (nam vv. 8-10, quantum verba sonant, ad Sponsam videntur referenda, quia alterius personae indicium nullum additur), tum ad *montes aromatum* (v. 14, cf. ex altera parte montes diruptos 2,17) cum Sponso perget. Sed plane certum eius rei, quam quaerimus, argumentum est in vv. 11 et 12. Ibi vinitrix Sponsa (cf. 1,5 ; 2,15 ; 6,10 ; 7,12) laborum fructuumque suorum *rationem* reddit, ibi *tradit* sua « nova et vetera » (7,13), ibi messis est *universae vineae*, quam Salomon coelestis habuit locavitque in « ea, quae habet populos », i. e. in *mundo*. Accedit quod difficultates, quas c. 8 maximas affert interpreti, huiusmodi explicatione facillime expediuntur, carmenque apte digneque absolvitur. Immo vero pauca iam ad ea, quae dicta sunt, videntur addenda esse ; quibus etiam explicatio scenae iam propositae amplius confirmabitur.

VII. scena 8,5-14.

Vulg. LXX. VIII 5. deliciis affluens, λελευκανθισμένη ; corrupta est — violata est, ὠδίνησε (bis) ; 6. lampades, περίπτερα ; flammarum, φλόγες αὐτῆς (legerunt שַׁלְהֶבֹתֶיהָ) ; 7. potuerunt (fortasse legendum : poterunt), LXX δυνήσεται (sing.) ; in fine : quasi nihil despiciet eam ; 8. ἀδελφὴ ἡμῶν (*hebr.* לָנוּ), item Vulg. : nostra ; 9. propugnacula (טִירוֹת, plur.) ; 10. διαγράψωμεν ἐπ᾽ αὐτὴν σανίδα κεδρίνην ; omittitur apud LXX אֲנִי ; ὀφθαλ-

μοῖς αὐτῶν, A. αὐτοῦ; 11. ἀμπέλῶνα αὐτοῦ (*hebr.* deest suff.) 12. mille tui pacifici (fortasse : tibi, pacifice), οἱ χίλιοι Σαλωμών; 13. mire ὁ καθήμενος (masc.).

ARG. — Mirantibus superis Sponsa innixa Sponso prodit e deserto; eum ultimum rogat, ut se in *suam* transferat *coelestem* domum firmetque in perpetuum sanctam caritatem (8,5 et 6). Annuit ille eandem praedicans caritatem (v. 7). Angeli de novae desponsationis ratione deliberant (vv. 8. 9.). Sponsa se Sponsi gratia suoque merito digne comparatam probat (vv. 10-12). In coelum intrat beata (vv. 13. 14).

In hac ultima parte placet ea prius diluere, quae non recte dici persuasum habemus. Ergo omnibus rebus differre a nostra recentiorum interpretum opinionem, qui quidem historice omnia explicent, prorsus necesse est; discrepat autem ita, ut eam brevissime attigisse satis sit. Solum *Del.*, qui paullo prudentius plerisque ceteris agit, audiamus : Sulamitis consequitur, inquit, quod concupivit, ut in patriam iam redire liceat. Ergo manibus brachiisque iunctis Salomon et uxor eius per campos incultos ac prata (מִדְבָּר) Sunem pergunt. *Cires* admirantes accurrunt « Quae est ista... ».

Praetereunt *arborem malum*, ubi Salomon dicit a se amorem Sulamitidis primum incensum esse. Deinde *domum* maternam demonstrans dicit : ibi tu nata es. Obsecrat uxor, ut amorem sibi servet, quem amorem vocat *flammam Dei*. Nova deinde scena proponitur deliberatio de parvula *sorore*, quam deliberationem Sulam. instituit; *fratres* autem eius (allegorice!) hoc respondent : si pudica erit et casta et firma, ornabimus eam, sin aperta ad flagitium, constringemus eam severitate. Quod consilium Sulam. *in se probatum* esse dicit; nam quia sic custodita innocentiam servaverit, ideo se pacem (Salomonis coniugium) invenisse. Porro petere munus aliquod fratribus incipit : vineam non ita longe abesse, quam Salomon custodibus quibusdam millenis argenteis locaverit; sed aliam esse *se ipsam* Salomonis vineam; quam quia fratres optime custodierint, dignos eos esse quinta parte lucri, i. e. regio aliquo munere. Rex benigne arridens eam iubet *canere*, quia auscultent *vicini atque noti*, rei novitate adducti. Illa obsequens canendo hortatur eum, ut (secum) montes percurrat.

Iam vero 1) plurima in *mera* coniectura et voluntaria opinatione versantur : malum aliquam esse prope domum, quae testis sit primi amoris Sulamitidis (id 2,3 certe non probat); « suscitavi, commovi te » sonare « amore te incendi » (nonne potius dicendum fuit : « tu, Sponsa, suscitasti me », praesertim in tanta inaequalitate conditionis amantium?); « ibi » referri ad domum, non ad arborem; sororem esse aliquam impuberem, de qua nihil toto carmine; v. 9 *fratres* loqui (ne rogatos quidem), id quod nullo modo indicatur; v. 10 non sororem, sed Sulam. respondere; v. 11 Salomonem possedisse atque elocasse vineam nescio quam; v. 12 vineam Sulamitidis esse ipsius personam, non possessionem; v. 13 amicos esse incolas oppidi, curiositate et nescio qua insolentia ad domum irruentes. 2) Scena indigna est rege : audire cogitur in casa agresti (2,14) consultantes de puellulae *futuro* matrimonio et satis iam nunc *dubitantes* de eius pudicitiae amore; audire statim emendicantes aliquid a regio hospite; videre rusticos circumstantes; mirum ni eum taedeat istiusmodi rerum! 3) Carminis clausula subabsurda fit : miscentur maxime sublimia (v. 6 et 7) tritis ac vilibus; inducitur soror illa *nullam* ob causam aliquo modo idoneam, sed ita, ut risus moveatur; Salomon quasi abdicare regnum videtur, « iamiam futu-

rus rusticus » (Hor. ep. 2,68); quod autem Del. pulcherrimum existimat, Salomonem a simplici puella discere simplicitatem, id totum in praeiudicata opinione est, ad quam ille carminis explicationem, *protrita regis dignitate*, accommodavit. Sed iam ad allegoricam interpretationem redeamus.

Sponsa procedens describitur v. 5ª « *Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* » Licet hic quoque, ut 3,6; 6,9 vertere « Quid est istud — deserto », ut primum *obscura* species procul advenientis, deinde reliquis verbis distincte persona Sponsae describatur; sed minus est necesse. Illud « deliciis affluens », quod in hebr. non legitur, fluxit (ut probabile est) e LXX : λελευκανθισμένη (= candida) ἐπιστηριζομένη ἐπί. Cuius autem haec admiratio sit, ex iis, quae sequuntur, (ut 3,6 et 6,9) cognoscendum est. Iam vero v. 13 amici auscultant, quos collatis 5,1 et 3,7 sq. congrue interpretabimur *Sponsi* amicos, i. e. angelos, qui obvii exspectant adventum Sponsorum. Ipsa admiratio grande quiddam indicat, ut in eiusdem Sponsi adventu 3,6; 6,9.

Verba proxima ab interprete Syro, a SS. Patribus, in cod. Alex. LXX, a plurimis recentioribus Sponso tribuuntur : 5ᵇ « *Sub arbore malo suscitavi te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua* ». Ipsa vocabula difficilia sunt. S. Hier. Aquilam secutus passive vertit « corrupta, violata est », id quod suffixa addita in hebr. non patiuntur. Sed activae quoque formae varie possunt reddi : « peperit » aut « violavit »; de quarum significationum utraque generatim satis constat. Teneamus autem priorem; nam quomodo violata sit Sponsa a matre, quis explicabit? *Schaef.* quidem malum intelligens *arborem paradisi*, sub qua *Eva* totum genus humanum violarit, illam arborem simul *crucem* interpretari videtur, in qua nos Christus redemit et foedus sustulit antiquum (quasi matrem Sponsae?). Sed nec de arbore paradisi nec de cruce hic agi probabile est. *Beda*, Vulg. secutus, crucem mortem veteri Synagogae, quae Christum crucifixerit, attulisse censet; eandem autem vitam novae, i. e. ei, quam in hac parte Cantici Sponsae partes agere statuit, meruisse. *S. Greg.* similia dicit de Synagoga, quae Christum crucifixerit, et de *Eccles. christiana;* item S. *Iustus Urgell. S. Ambr.*, Veterem Latinam sequens, solus e Latinis habet « parturivit te », itemque Graeci, interpretantes LXX ὠδίνησέ σε. Quod quidem omnino amplectimur.

Sed iam quaeritur, a Sponso haec an a Sponsa dicta sint. Prius illud mentio matris et alia quaedam persuaserunt veteribus; qui hanc sententiam verbis subiecerunt variam : Christi caro Ecclesiam in cruce peperit (*Orig.* ap. Proc., *Philo Carp.*); gratia Spiritus nos peperit in Christo, qui est arbor mali (*Theodor.*); nati sumus sub umbra Christi

(ita neglecta matris notione *S. Ambr.*); mâli similis est, qui est sensibus bene educatus et iuxta hanc arborem mali parturit nos superna Ierusalem (*S. Nilus* ap. Proc.). Hae omnes explicationes sic apte iungi possunt : In umbra mea, qui sum malus (2,3), te amore incendi, ibi te peperit mater Ierusalem, i. e. gratia *regni mei spiritualis*. Nam mater Sponsae, si, omissa poetica personificatione, communi sermone explicanda est, in hunc fere modum definiri potest; cf. ad 6,8 p. 515 sq. Deinde poetice verum est, sub arbore malo 2,3 exarsisse maxime Sponsae amorem. Semper autem oportet recordari in allegorico carmine « matrem » et « malum » allegorice, non proprie esse intelligendas.

Obstat tamen 1) quod « suscitavi » interpretandum est « ad amorem incitavi », id autem ob eam causam potissimum displicet, quod idem verbum modo (v. 4) sonabat « e quiete excitare »; 2) non satis apparet, cur Sponsus tam mire loquatur nec simpliciter dicat : ego te elegi; 3) multo gravius est, quod a Masor. (ut puncta demonstrant) haec verba Sponsae attribuuntur, nec credibile est, cuiquam in mentem venisse, ut suff. *masc.* adderet verbis ita, ut hic, comparatis, nisi *vetus et communis auctoritas* id suadebat; neque enim aut Graecis aut Latinis interpretibus (etsi nec LXX nec Vulgatae auctoritas obstabat) in mentem venit, ut Sponsae verba assignarent.

Quae cum ita sint, statuendum videtur in auctoritate hebraicae scriptionis hoc loco magnum esse argumentum, ista verba a Sponsa de Sponso dici. Fortasse etiam sententia, quae huc maxime quadret, probabili (non dico *certa*) explicatione effici potest. Verbum enim hebr. עוּר saepe motum ipsum de loco in locum designat in qal, niph., poel, hiph. et iungitur cum מִן = a, לְ = ad, עַל = contra (v. *Fuerst* lex.). Licet igitur vertere, retenta ea notione verbi, quam ei tribuimus v. 4 : « Ego (Sponsa) te excitavi eo (שָׁמָּה), ubi peperit te (Sponsum) mater tua », i. e. sedens in umbra tua, quasi mali (2,3), fruensque tua dulcedine institi urgere te, ut eo mecum tenderes, ubi mater tua te peperit. In huiusmodi certe dulcissima quiete, cuiusmodi saepius Sponsa potita est, nullum potest esse desiderium vehementius, quam illud Apostoli : « dissolvi et esse cum Christo » (Phil. 1,23). Iam vero si ante fortasse « permanere in carne necessarium » fuit Ecclesiae ob munus apostolicum iniunctum, nunc tamen ipsa 8,1 sq. paullo grandiora visa est flagitare. Ergo sine dubio in ea contemplatione, quae v. 3 et 4 indicata est, maioribus precibus id ipsum impetravit, quod nunc consequitur. Ardorem orationis factae bene ipsa exprimit, cum se *bis* optasse dicit transitum « eo, ubi peperit te mater tua, eo ubi enixa est te mater tua ». Potest haec precatio etiam pro

directa exclamatione accipi : « Sub arbore malo excitavi et ursi te : eo, ubi peperit te mater tua! » Mater autem Sponsi, ut 3,11 vidimus, non est alia nisi coelestis Ierusalem. Nunc igitur Sponsa non iam rogavit, ut secum in domo matris suae, i. e. terrestris Ierusalem habitaret, sed ut in domum Sponsi ipsa induceretur; haec est a v. 1 ad 5 maxima progressio. Vocabulo שָׁם cum simili vi gravissima coelum demonstratur Eccl. 3,17 (Vulg. *tunc*). Quapropter existimo nihil iam relinqui in hoc enuntiato, quod non sit vel apte vel aptissime explicatum, et apparet, *cur* talia ac tali modo hoc loco dicantur, id quod est maximum. Illud unum opponas, supervacaneum esse haec *ipsi Sponso narrari*. Recte quidem, si revera esset rei praeteritae narratio. Sed admonitio et nova precatio est, qua uti solemus, cum ante petivimus nec tamen *illico* optata consecuti sumus. Ergo Sponsa post contemplationem ultimam, assumpta a Sponso, deducitur per *desertum*, sed nondum in coelum attollitur, atque in hoc temporis puncto admonet eum de superiore precatione et praesens desiderium pristino iungit in hunc modum : Rogavi te et videbaris annuere, ut in tuam domum maternam me traduceres, in tuam, inquam, domum maternam!

Sic demum etiam v. 6 aptius adiungitur, quo amplius praesens desiderium (flamma Domini) enuntiatur : « *Pone me* (haec item in hebr. Sponsae tribuuntur) *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio; dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum* ». Flagitat, ut cordi et brachio inscribat sui imaginem, tamquam sigilli formam, ne aut animo aut visu excidat, sed et consilia et opera Sponsi quasi soli sibi consecrentur. Nam perfecta demum caritas, ita obsignata, invicta est ut mors, ineluctabilis ut Scheol; exsuperat omnia et elidit aemulos atque inimicos: ignis vim, cui nihil resistat, quo cuncta illustrentur atque calefiant, prae se fert, ignis autem a *Deo accensi*. Nam « flamma Domini » est caritas. Hoc sonat hebr. שַׁלְהֶבֶתְיָהּ (cf. מְאֹפֶלְיָה = Dei tenebrae = summa omnino caligo). LXX legentes בַּתְיָהּ verterunt : περίπτερα αὐτῆς περίπτερα πυρὸς φλόγες αὐτῆς, sed φλόγες αὐτῆς non habet sententiam; rectius *Hier.* plurali amplitudinis reddidit affixum יָהּ et suo iure ipsum vocabulum (ut אֵשׁ) secundo casu expressit : lampades ignis (atque) flammarum, i. e. ignis flammantis. Quod LXX pro lampadibus exhibent περίπτερα, seducti videntur Ps. 76,4 (hebr.), ubi « fulgura arcus » appellantur *sagittae*, nisi scintillas περίπτερα vocarunt; certe quidem ceteri antiqui aliquo modo ignem vel eradiationem ignis intellexerunt (cf. etiam exempla in lex.).

V. 7 solent item Sponsae assignare, quae omni verborum abundantia celebret praestantiam caritatis, nec sane *certa* ratio est, qua id prohibeatur, immo vero transitio est eiusmodi, ut non statim occurrat cogitatio mutatae personae : «*Aquae multae non potuerunt* (*hebr.* poterunt, LXX δυνήσεται) *extinguere caritatem, nec flumina obruent illam; si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam* (*hebr.* despiciendo despicient eum s. eam). Repetitionem dixeris hanc quandam esse versus 6 non inutilem. Nihilominus est, cur haec aptius Sponso assignanda putem : 1) repetitio ipsa facilius explicatur, si est Sponsi respondentis confirmatio, vel, si proprie de *futuro* accipitur hebr. « poterunt », eiusdem *pollicitatio :* secura esto, faciam, ne umquam obruatur tua caritas. Et reliqua verba ostendent, quanti ipse aestimet caritatem, quam bonis suis omnibus praeponat. 2) Leve indicium mutatae personae cerni potest in ultimo vocabulo v. 6; ibi enim, quoniam tale dixit Sponsa, quo nihil maius sit, aptissime abrumpit orationem. Gravius paullo est, quod verbum « hominis », hebr. « viri », *nulla* necessitate positum non videtur valde consentaneum mulieri loquenti, praesertim cum « vir » non sit hoc loco « aliquis », sed vere dominus ac possessor *bonorum*. 3) Convenit certe Sponsum respondere tam enixe obsecranti nec tota hac scena usque ad v. 13 tacere, atque haec ratio me maxime movet. De reliquo in *Vulg.* « eam », ut patet, ad « substantiam » relatum est, idque rectius puto, quam hebr. לוֹ ad « virum » referre, ut solent interpretes. At « despiciet » mendum videtur in Vulg. pro *plur.* numero, quem exhibent et hebr. et LXX. Ita demum tam facilis quam congrua sententia exsistit : si vir empturus sit caritatem bonis omnibus, contemnent profecto tam vile pretium. Solent vertere : contemnent eum, i. e. emptorem; sed et hoc, et illud « despiciet » in Vulg. minus facile est. Quodsi hic versus *Sponsi* est, is pulcherrime ostendit, se quasi pro nihilo habere pretium sanguinis, quo emit sibi Sponsae caritatem (Eph. 5,25 sqq.).

Quae ubi dicta sunt, ad coelum versus ire pergunt. Tum illi admiratores (v. 5) agnoscentes Sponsam, quae adducitur, eius « parvitate » moventur (ut colore eius filiae Ier. 1,4). Et sane tam in hac altera desponsatione, quam in priore infinitis partibus superatur honore collato dignitas personae naturalis. Mirantes igitur et dubitantes (poetice saltem) possunt proponi angeli v. 8 « *Soror nostra* (*hebr.* nobis est) *parva et ubera non habet; quid faciemus sorori nostrae in die, quando alloquenda est?* » Dicunt « ubera... », quia ad (secundam et ultimam) *desponsationem* deducitur, cui illa terrigena humilisque videtur inhabilis. « Alloqui » enim (דִּבֶּר בּ, cf. 1 Sam. 25,39) est matrimonii causa

rogare. Sed quoniam eam vident adduci iam a Sponso, potius de *ornanda* Sponsa et sorore sua, i. e. eiusdem matris Ierusalem s. regni Dei supernaturalis filia, deliberant v. 9 « *Si murus est, aedificemus super eum propugnacula* (pinnacula)[1] *argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* » Hic civitatis coelestis (ut in Apoc.) imago ob oculos habenda est, cuius pars aliqua nunc fit Eccl., Sponsa Christi. Itaque confertur muro et portae (דֶּלֶת etiam de urbis et de coeli porta, Ps. 78,23, adhibetur); et haec et ille igitur ornanda iam atque in perpetuum firmanda sunt. « Si-si » saepe non contraria aut valde diversa distinguit, sed fere aequalia, ut hic recte vertas : sive murus sive porta sive utrumque est, ornamenta ei nova provideamus.

Haec autem verba Sponsa adveniens audit, seque Sponsi gratia respondet (ut 1,4) esse habilem omnino v. 10 « *Ego murus et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem* (salutem perfectam) *reperiens.* » Ad utrumque versum superiorem respiciens de muro et de uberibus ita respondet, ut una imagine iungat utrumque. Nec uberum comparatio offensioni esse potest ob indecentiam aut ob superlationem *in allegoria* (p. 521 sq.). Quod vero ipsa hic loquitur, non Sponsus, ea re fortasse fiduciam triumphantis exprimere poeta voluit. Et congruentius quoque ipsa rationem reddit dignitatis suae, omnia attribuens Sponso, cuius sit quaedam imago tantum ab ipso efficta. Nam cum pacem nominat, sine dubio Pacifici (v. 11) gratiam sibi collatam significat. Hebr. שָׁלוֹם et שְׁלֹמֹה cognata sunt, et hic oportet meminisse, nomen illud, quo *perfectam* Sponsam ipse 6,12 insignivit, esse eiusdem radicis. *Sulamitis* igitur, postquam hoc nomine facta est prorsus digna, est *Salomonis* simillima imago aptaque iam coniugio, quod oportet esse similium.

Pergit Sponsa explicare (quoniam coeli gloria *praemium* etiam est *meriti*, non *munus* tantum *gratiae*), quid afferat bonorum operum, quibus gloria fiat digna v. 11 et 12 « *Vinea fuit pacifico* (hebr. Salomoni) *in ea, quae habet populos* (hebr. בְּבַעַל הָמוֹן); *tradidit eam custodibus; vir affert* (ex *hebr.* : quorum unusquisque afferret) *pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui, pacifice*[2], (*hebr.* tibi, Salomon) *et ducenti his, qui custodiunt* (custodierunt) *fructus eius.* « Rectissime Hier., ne pacis notio obscuraretur utque sententia hebr. etiam latine appareret, vertendo expressit שְׁלֹמֹה et בַּעַל הָמוֹן. Nam in hac clausula carminis sine dubio scriptor poetice solvere

1. Recte videntur LXX et S. Hier. *pluraliter* legere טִירוֹת.

2. Sic lege pro « pacifici » itemque, opinor, « tibi » pro « tui ».

aenigma allegoriae voluit, et omnino in hoc genere nomina omnia aut symbolica sunt aut pro symbolicis potissimum usurpantur, ut consuetudo demonstrat poetarum et rei ipsa natura. Vinea igitur in urbe multitudinis, i. e. frequentissima, est ipse mundus, cf. « ager est mundus » Matth. 13,38; custodes ii, quibus cultura mundi supernaturalis commissa est, i. e. viri apostolici, e quibus constat Ecclesiae hierarchia. Voluit autem Salomon coelestis maximos afferri fructus (millenos argenteos ab unoquoque). Id quod omnium nomine iam Sponsa praestat, rationem reddens, ut est pollicita 7,13. Sed dum suos *Salomoni* fructus vinea affert, eadem pro portione aliqua prodest ipsis *custodibus :* ducentorum argenteorum est lucrum. Apparet quam feliciter a 1,5 (« vineam non custodivi ») ad hunc locum progressa sit carminis actio.

Fuit qui « sororem parvam » Synagogam infidelem in fine saeculorum ad Christum redituram intelligeret (*Apon.;* idem sonat *altera* apud *Honor. Aug.* explicatio; secuti sunt pauci e posterioribus, etiam *Schaef.;* cf. supr. ad 6,10 p. 522). Ad infideles generatim illa verba retulerunt *Proc.* et *Phil. Carp.*, sed ceteri ad Eccl. Hoc alterum prorsus amplectendum arbitramur, ita tamen, ut Eccl. *novae* desponsationi et coelesti gloriae quasi impar angelis videatur. Est haec « parvitatis » interpretatio singularis ac mira, inquies. At ubi desponsationis imago animo obversatur (*ubera* non habet — *alloqui*) non incongrua. « Sic enim », inquit S. *Ambr.*, « qui volunt differre nuptias, excusare consuerunt, ut praetendant immaturae aetatis infirmitatem et astruant, quod ubera non habeant, quae nubilis significant tempus aetatis » (quamquam hic, ut omnes fere veteres, secundam quidem desponsationem designari censet, sed tamen *christianae* Ecclesiae *priorem*). Nec vero in Synagoga non est aliquid, quod offendere possit; est enim haec potius maior natu soror; dicendum erit igitur : « in *Christo* adhuc parva », id quod non est minus, quam illud, singulare. Sunt autem rationes graves, cur Synagogam (infidelem) nolimus ut *novam personam* inducere : 1) id fit nimis *subito nec perspicue designatur;* 2) nec res ipsa cum vv. 5-7 et 11 sqq. satis apte *cohaeret;* 3) verisimile non est, rem tantam, de qua nihil toto libro actum sit, tam *breviter* significaturum fuisse scriptorem; 4) probandum est prius, Salomonis tempore haec vel ex parte et obscure intelligi potuisse a lectoribus? Num recte *Tiefenth.* ad id probandum affert Ps. 71 (72) et 2 Reg. (Sam.) 7,12-16? Quae obscuritas saltem non commendat eam opinionem, quam refutamus.

Student, qui omnia historice explicant, hos quoque versus in suam sententiam vertere et tamen vineam ad 1,5 accommodate interpretari. Itaque v. 12 et illo priore loco *personam Sponsae* vineam esse volunt, et v. 11 ascisci similitudinem alicuius vineae, quam Salomon habuerit in Baalhamon non longe a Sunem oppido; porro hoc ipso loco nihil tradi volunt Salomoni, sed ab eo, ubi primum domum intravit,

aliquid (rustice profecto) emendicari. At 1) statuunt fratribus *optimis* aliquid peti, sed in primo capite Sponsa se asperrime ab illis tractatam conquerebatur — mira animi mutatio! Porro illic vinea non erat custodita, hic fratres praemio afficiuntur, quod eam custodierint; illic vinea ad cutis colorem referebatur, hic ad mores animi. Aut dicit aut sentit contraria Sponsa; utrumque improbabile. 2) Ipsa merces mira oratione exprimitur : fratres in me, quae quasi mille argenteis consto, meriti sunt ducentos, qui supersunt ex laborum fructu — haec quomodo quadrant? Item « vinea coram me est »; nonne dicendum fuit « coram te »? Quomodo enim ipsa coram se est? 3) Vinea longe arcessita est; aliquot enim horis aberat a Sunem, et res proprie comparanda, i. e. lucrum ducentorum siclorum in simili desideratur. Vinea traditur custodibus; sed dicendum fuit « conductoribus », quia custodes tantum lucrum non faciunt (in allegoria quidem non *potuit* ita dici). 4) Incredibile est *singulos* conductores *divisae* vineae attulisse *millenos* siclos (ut computare solent, multo amplius bina milia marcarum); ex Is. 7,23 vitis optima uno siclo *ementi* constabat (in allegoria haec exaggeratio pretii fructuum supernaturalium pretium designat). 5) Absonum prorsus, Salomonem *nulla* coactum necessitate illius vineae nomen in Canticum inseruisse. 6) Nec est certum Baalhamon (quod nomen nusquam reperitur) esse Belamon, quod semel in libro Iudith 8,3 (*gr.*) legitur, et explicatio quoque tota loci illi non minus incertae opinioni superstructa est, Sulamitidem ex Sunem oppido appellatam esse (supra p. 381).

Restat, ut Sponsa coelesti gaudio potiatur. Iubetur igitur aeternum canere alleluia, quo et angeli et ipse Sponsus delectentur v. 13 « *Quae habitas* (habitabas, cf. Deut. 4,3 et modo v. 1 « sugentem » et v. 12 : « qui custodiunt ») *in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam.* » In hortis habitavit et merita est gloriam 4,16; 5,1; 6,1. 10 cf. 4,12 sqq.; idcirco nomen ab iis retinet; nisi velis intelligere, ex novis coeli hortis, in quibus iam licebit morari, eam appellari habitatricem hortorum. Postremo ipsa (cantans et) exsultans avet « fugere », i. e. cito properare (בָּרַח Iob 14,2) cum Sponso in montes aromatum, i. e. colles aeternos v. 14 « *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum* ». Iisdem fere verbis Habacuc propheta descriptionem eius salutis concludit, quam ipse sibi, et electo Dei populo universo optat ac pollicetur : « Ponet pedes meos quasi cervorum et super excelsa me deducet ».

Nostrum quoque est hoc libro pertractato ad nos ipsos, ut ille, omnesque singulos accommodare, quae de Ecclesiae fortuna Salomon vates cecinit. Atque in hoc negotio, si placet, paullum etiam temporis collocemus; deinde universam disputationem terminemus.

De mystica Cantici sententia.

Etsi ea, quam adhuc exposuimus, vera ac litteralis sententia suo iure appellari potest mystica, quia *caritatis* intimam familiaritatem Christi cum Sponsa Ecclesia demonstrat estque per se ipsa ad nostram

quoque inflammandam caritatem maxime idonea : tamen hoc loco (ut saepe solent) eam voco mysticam sententiam, quae, ex illa litterali derivata, quadam *impropria* interpretatione efficitur et ad usum alium pie transfert, quae de Ecclesia Christi dicta sunt. Colligi autem licet ex ipsa forma carminis satis communi et quodammodo ambigua multoque etiam certius ex perpetua piorum consuetudine, hoc *consilium* fuisse ipsius Spiritus Sancti, ut mysticae meditationis uberrima materies praeberetur, non eius tantum meditationis, quae litterae penitus adhaeresceret, sed eius quoque, quae ex illa aliam utilitatem erueret atque exprimeret. Nostrum quidem non est sane omnem varietatem piae accommodationis persequi; quae infinita est et, ubi longius e littera declinavit, a Scripturae interprete aliena. Sed tamen via patefacienda est ad ipsorum verborum sententiam *ita exhauriendam*, ut, quae ei proxime sint adiuncta vereque connexa, percipiantur. Aliud est enim videre, quid verba aperte demonstrent, aliud intelligere, quam late vis eorum atque significatio pateat, aliud denique fortuitam aliquam similitudinem rerum natura sua disparatarum consectari. De triplici Scripturae sententia cf. p. 346.

Recolamus breviter, quae in commentario explicata sunt. Ecclesia a divino Sponso quasi manu ducitur *primum* ad perfectionem Sponsa dignam, *deinde* ad munus suum in terra strenue obeundum, *tertio* ad coeli gaudia fruenda. Duo sunt potissimum, quibus formatur et exercetur : caritatis contemplationisque suavitate et laboris dolorisque asperitate; sed laboris et doloris campus undique septus cernitur donorum coelestium tamquam florum amoenitate. Ita gratia et meritum inter se perpetuo consequuntur atque excipiunt; in divinae igitur electionis liberalitate et humanae actionis fidelitate omnia vertuntur. Nihil est enim aliud Canticum Canticorum nisi inter increatam et creatam naturam supernaturalis consuetudo *communiter* plerumque descripta, sed aliquando raris lineamentis ad Ecclesiam Christi *proprie* accommodata. Quae lineamenta propria si delerentur, non esset, cur non ad omnem salutis supernaturalis varietatem Canticum transferretur. Nunc et in verbis et in rebus sunt nonnulla, quae non ad omnia conveniant, ut in singulis statim videbimus.

I. Canticum ad *theocratiam* veteris testamenti accommodari ab antiquis Hebraeis potuit. Nam etsi illud prophetia proprie dici debet de *Ecclesia Christi*, tamen haec ipsa adulta quodammodo persona est illius Sponsae, quae ab Ezechiele (c. 16), Osee (c. 2)... describitur. Quam quidem Sponsam V. T. simillima caritate Deus elegit, ornavit, gubernavit. Neque vero dubitare licet, quin Salomon populares suos et vaticinio de re futura consolari et indirecta rei praesentis demonstra-

tione exhilarare voluerit; subobscura autem ambiguitas carminis ad hoc alterum consilium egregie conveniebat. Itaque (ut singula percurram) desiderium et luctuosa expostulatio (1,1-7) multis modis ac temporibus congruebat populo electo, plenam salutem nondum consecuto et multa a fratribus (eiusdem familiae gentium alumnis) perpesso. At idem ille saepe etiam repentina praesentia Dei opitulantis recreatus est et incredibili favore ornatus (1,8-2,7). — Habuit etiam suum opus, perficiendum, cum laborandi erat occasio. Ita fiebat, ut plus uno vere, ab amantissimo Sponso excitata e quiete, strenue laborando proficeret (2,8-17). Sed haec de *apostolica* primae Ecclesiae institutione multo aptius dici evidens est, praesertim cum hic agatur de aliqua educatione ad sponsalem dignitatem, quae c. 3 conferetur, vetus autem Sponsa non nova huiusmodi gratia donata est nec eam Sponsus ad eam *communionem* laboris evocavit, quae 2,17 describi videtur. — Tertia scena (3,1-5) eiusdem est generis; nam et doluit identidem vetus Sponsa dilecti absentia, nec tamen videtur illi licuisse ita *familiariter,* ut 3,4 cernitur, domum suam eum inducere. — In quarta scena (3,6-5,2) desponsatio magno cum apparatu celebrata non cadit in theocratiam iam *constitutam,* sed fortasse ad foedus Sinaiticum et terrae sanctae donationem; ergo tantummodo si ordinem carminis negligas, similis efficitur illius gratia et Ecclesiae. Vocabulum Salomonis 3,7 sqq. certe in illud tempus non quadrat, nec vero licet interpretari, ipso Salomone regnante, v. g. in templi dedicatione, novam *desponsationem* factam esse. — Quinta scena (5,2-6,8), tertiae similis, in describenda vexatione externa eiusque fructu (i. e. caritatis incremento) versatur. Quam licebat ad servitutem Aegyptiacam vel Babylonicam vel alias calamitates paullo maiores referre, quibus populus erudiebatur et ad caritatem renovandam excitabatur. Sed in illo culpa plerumque fuit amare deflenda; nihil eiusmodi in Cantico, aperte quidem, significatur. Porro Sponsi descriptio 5,10 sqq. de Deohomine pulcherrime, de Iahve sine dubio valde *inusitate* proponitur. — Neque tam magnifica Sponsae laus, quam in sexta scena (6,9-8,4 et iam c. 4) exhibetur, usitata Deo est in V. T; immo vero ibi plerumque Sponsa reprehenditur ob infidelitatem. Quodsi Salomonis tempore sane nondum fuit tanta reprehendendi causa, et summa semper Dei caritas in populum electum sibi constitit, tamen totum Canticum spirare videtur *effusam Christi* in Sponsam N. T. benignitatem ac liberalitatem. Iam in hac sexta parte maior etiam ratio est, cur ita sentiamus : fructuum in villis asservatio (7,11-13). — Clausula vero carminis quomodo caderet in theocratiam antiquam, quis tum intelligeret? Immo, ut id strictim attingam, potius totum *genus hominum*

ipsaque *humana natura* a Christo assumpta donis coelestibus cumulata est, ut huc aeque bene canticum transferre possis.

Ac tamen vicissim notum erat Hebraeis hanc Sponsam N. T. *ipsam* esse filiam Sion, matrem suam, perductam « in mensuram aetatis plenitudinis Christi ». Quamobrem ad sese magnopere pertinere Canticum iure licebat illis gloriari. Ut igitur brevi concludamus : altera pars maior carminis a 3,6 manifesto spectat ad Sponsam N. T., nec in priore omnia ita dicuntur, ut satis probabili interpretatione ad theocratiam veterem directe transferri possint; sed indirecte eiusdem laudis, cuius Eccl. (1,8 sqq.), etiam Synagoga (*quatenus* erat *immaculata* Dei Sponsa) fit particeps atque in spem messianicam adolescit.

II. Ecclesiae *aetatibus* accommodare Cantici partes licet. Demonstrat commentarius non tam temporis ordinem rerumque seriem, quam gradus quosdam mutuae caritatis inter Sponsum et Sponsam proponi. Sed hi ipsi gradus aliquam temporis progressionem comitantur. Quaeritur igitur imprimis, quando factam esse desponsationem statuamus. Ex Eph. 5,25 et valde communi in Eccl. existimatione concludi licet, in *cruce* Christum sibi Eccl. e cordis vulnere natam despondisse. Ita factum est, ut 3,7-10 ad crucem et 3,11 ad spineam Redemptoris coronam etiam in officiis Eccl. accommodarentur (off. et miss. Spin. Coron. et SS. Cordis Iesu); item convivium 5,1 possit ad institutionem SS. Eucharistiae et alia ad passionis dominicae tempus et sacrificii N. T. fragrantiam fructumque referri (ut 4,6. 14 sqq.). Nec tamen dici debet scriptori sacro Christi patientis et crucifixi speciem clare obversatam esse; non sunt certe huiusmodi orationis *colores*, et in cruce pendenti minime congruit longa *oratio* c. 4.

Alius esse modus potest, ut a *mortuis redux* Christus invisere Sponsam c. 3 dicatur. Tum enim revera armatus et victor coronatus venit, quasi paratum afferens lectulum nuptialem Ecclesiae et pacem nuntians (3,7 primum « Salomon » appellatur). Colloquia etiam, qualia c. 4 continet, per 40 illos dies cum Sponsa habuit « de regno Dei » (Act. Ap. 1,3), et iucundissime cum ea coenavit (Luc. 24,30 et alias). Atque licet sane dicere coeptam in Passione desponsationem post Resurrectionem plene confirmatam esse. Immo vero non fuit ante adventum Spiritus S. revera perfecta absolutaque Ecclesiae structura, nec in Cantico Christi mortalis vita potest a gloriosa *certo discerni*, cum sic omnino in fine ut in principio eius adventus describatur. Non inepte igitur dixeris eum die Pentecostes flatu Spiritus Sancti concussisse hortum suum et messuisse primos fructus (4,16 et 5,1). Sed poetam inspiratum tam distinctam imaginem regni messianici esse intuitum *demonstrari* nullo modo potest. Hoc unum constat, ultra diem

Pentecostes differendam non esse desponsationem, si omnino velis ei certum tempus assignare.

Sequitur ut c. 5 prima tempora post absolutam Ecclesiae structuram complectatur. Ergo Sponsae vulneratio (5,7) non incongrue Iudaeis gentilibusque Sponsam Christi exagitantibus tribuitur. Quibus vexationibus ingens illius amor exarsit (5,10 sqq.). Reditum autem Sponsi (6,1-3) interpretabimur pacem Ecclesiae redditam a Constantino; nam tum demum Sponsa agnita est omnibus unica uxor Agni (6,8). Neque tamen rursum ulla *distincta* est temporis notatio, nec satis apparet, si aetas illa prima Ecclesiae scriptoris contemplationi erat *distincte* divinitus proposita, cur Sponsa initio (5,2) dormiat, Sponsum amittat, eumque quaerens in manus inimicorum incurrat. Itaque caute usurpanda est illa temporis accommodatio, ne quid forte *contrarium* consilio scriptoris dicatur. Possit enim quispiam v. g. urbis custodes (5,7) intelligere *solos* Iudaeos, quia agi videatur de urbe Ierusalem. Alius suo iure fortasse sic opinabitur : initio huius partis aliquam saltem veram *somnolentiam et negligentiam* (naturali generis humani fragilitate, sine maxime culpa) obrepsisse Sponsae, e qua vi quadam a Sponso excutienda fuerit, ob eamque causam potius ad *posteriora* tempora, cum aliquando sopiri visa sit Eccl., illam narrationem pertinere. Nam si *incertum* indicium verborum sufficere putabimus et reliqua coniecturis supplebimus, maxime diversae poterunt esse opiniones.

Veniamus ad 6,10 sqq. Quoniam satis constat, octavo capite extremam Ecclesiae aetatem attingi, non est dubium, quin aliquo modo ad mediam spectent, quae in sexta scena proponuntur. Sed ne hic quidem *perspicue* tempora signantur; tantum ex 7,10 sqq. (si conferas 8,11. 12) et aliis indiciis persuadere prudenter nobis potuimus, ibi amplissimam Eccl. fecunditatem describi et « agro villisque » (7,11, si hortum 6,10 compares) significari paganorum conversionem, quandoquidem etiam sine nova revelatione sciré poterat Salomon illam consecuturam esse.

Restant prima capita, de quibus multo etiam difficilius est pronuntiare. Quodsi desponsatio ad finem fere vitae Christi differenda est, ut explicavimus, priora illa apte reliquae vitae eius vel etiam publicae tantum attribuuntur. Nostra interpretatio, quam ad nulla tempora severe accommodavimus, tamen eiusmodi est, ut publicae vitae optime congruat; in qua quidem adultus Sponsus quaesivit Sponsam, cum ea familiariter egit, eam quasi experimenti causa evocavit ad laborem, dumque ipse quoque in montibus diruptis laborat (2,8.17), eam brevi ac levi probatione exercuit (3,1 sqq.). Nec vero negamus pri-

mam scenam probabili ratione ad Incarnationem accommodari posse, cum quidem diu desideratus primum se spectandum Sponsae praeberet, et mente saltem fingi potest cum ea familiariter collocutus. Attulimus autem complura, quare id nobis non videreter aut certum aut probabilius. Fuerunt qui prima capita de V. T. explicarent; sed ut ostendimus, id nimis incertum est, et licet desponsatio Christi prudenter intelligi possit Incarnatio, tamen cur totum V. T. *hoc modo* (ut est 1,1-3,5) descriptum sit, quis tandem explicabit? Quae cum ita sint, satius esse existimamus in temporum accommodatione non *nimium* haerere, quia demonstrari potest, scriptorem sacrum aut non esse certas aetates contemplatum aut eas noluisse perspicue signare.

III. Sponsa Cantici est B. V. *Maria*. Haec explicatio ex multis saeculis est valde pervulgata atque ecclesiastica officia de Deipara omnia pervadit. Cuius accommodationis rationes sunt gravissimae. Si enim ea, quae de divina Sapientia in Scripturis dicta sunt, frequenter ad illius imaginem quandam ac similitudinem perfectissimam, i. e. ad benedictam Dei Matrem, cum prudenti moderatione, transferuntur, quanto magis decet, poeticam Cantici personam cum carissima omnium coelestis Salomonis amica atque intima pie confundi? Quid enim est aliud Sponsa Cantici nisi persona Ecclesiae universae, quid vicissim aliud est Virgo Deipara nisi flos unice perfectus Ecclesiae? Digne igitur haec eademque sola digne potest Ecclesiae immaculatae sustinere personam. Quam varia autem sit in eius officiis Cantici usurpatio, ostendit B. *Schaefer* in comm. p. 253 sqq.; cf. imprimis officia missasque de Imm. Conc., Nat., Despons., puriss. Cord., Assumpt., Domus Transl.

Quodsi eam solam accommodationem exquisieris, quae sit ex ipsis Cantici verbis aliquo modo derivata, non extrinsecus afficta : haec breviter respondebo. 1) B. V. M. eatenus potissimum similis est Sponsae Cantici, quatenus utraque est et singularem in modum *Christo accepta* et prorsus *sine macula* et ardentissima *caritate;* ergo quae huc pertinent, i. e. praeconia omnia favoresque, quibus Sponsa ornatur, item ipsius virtutes, desideria, amoris significationes paene ad verbum conveniunt in B. V. 2). Ea autem, quae ad educationem probationemque Sponsae et munus apostolicum fructusque in vinea Domini spectant, paullo obscurius cernuntur in illa; sed aliquid simile proponi potest, v. g. : initium Cantici respondeat iis desideriis adventus Domini, quibus B. V. a prima aetate exarsit, et contemplationi in templo inter virgines sacras commorantis; altera scena labori domestico contemplationi adiuncto; tertia iis rebus adversis, quibus tentatam esse B. V. probabile est; porro desponsatio sit Matris Dei electio, sive

eam velis cum Incarnatione Domini proprie coniungere sive, ut in ipsa Eccl., post eiusdem Resurrectionem demum perfectam absolutamque esse dixeris; altera pars dimidia carminis accommodetur ad ea tempora, cum B. V. mater nutrixque exstitit Eccl. eamque sive in terris vivens sive in coelo regnans praecipua ope iuvit; ultimum caput vel ad assumptionem vel ad supremum illum triumphum, cum electos, sua intercessione imprimis servatos, tamquam messem plenam in coelum inducet, transferatur. Sed nemo non videt, quantum in huiusmodi accommodatione ab incerta opinione derivari necesse sit, quam multa singulis locis apte explicari non possint. Lege sis aliquem ex iis commentariis, quos p. 417 sq. indicavi.

IV. Licet pro portione de qualibet *anima pia* Canticum interpretari, idque factum est ab antiquis. Nimirum haec est interpretatio et moribus utilissima et proprie mystica, i. e. caritati singulorum inflammandae imprimis idonea. Qua in re distingui conditiones varias convenit. Sunt qui *sanctissimam* quamque sanctitatisque cupidissimam animam praeter ceteras « Sponsam » intelligant; recte quidem, quia ipsa Ecclesia ut immaculata potissimum in Cantico celebratur, nec satis *tanta* praeconia in omnem animam mediocriter piam quadrant. Primo igitur foedere Christi ipsius anima, deinde B. V., ac deinceps quo quaeque fuit purior et caritate ardentior, Verbo divino est desponsata. Praeterea recte v. g. S. Ambr. ad *virgines* potissimum Canticum accommodavit (in libro de Virgin.), et complures sanctas virgines accepimus a Christo omnino sponsarum appellatione dignatas esse. Sed *sacerdotum* quoque et *religiosorum* animae singulari foedere caritatis divino Sponso sunt coniunctae. Denique in quacumque anima per gratiam sanctificantem Spiritus diffusa est caritas, ea a nuptiis Agni aliena non est, immo vero nulla est prorsus, quae non sit liberalissima benignitate Sponsi saltem vocata atque invitata.

Iam in huiusmodi animae desponsatione quid fieri deceat, quid usu venire soleat, Cantico luculentissime vel describitur vel significatur. Imprimis *contemplationis* et *actionis* vicissitudo praeclare adumbratur. Alternis enim vicibus praesentia et absentia Sponsi proponitur. Absens ardenter desideratur et quaeritur, quaerendo reperitur, sed repertus rursum discedit. Non est autem dubium, quin, dum haec manet vita mortalis, multo saepius carere soleamus ea consolatione, quae est tamquam praelibatio aeternorum gaudiorum; interea gemitus audiuntur columbae languentis (1,1 sqq.), vel strenue laboratur in vinea Dei (2,10 sqq.), vel animi solitudo cum dolore toleratur (3, 1 sqq.), vel per cruciatus anima exercetur (5,7). Oportet enim meritorum tamquam fructuum copia redimi gratiam Sponsi divini (7,13;

8,11. 12). Sed omnia prosperrime cum eius favore evenient; beati erunt, qui ad alteras Agni nuptias vocabuntur (Apoc. 19,7-9; Cantic. c. 8). Atque adeo in hac vita sunt quidam dies festivi, cum quasi nuptiali laetitia liceat exsultare (3,6-5,1), nec omittit amicus divinus saltem suis temporibus repente invisere animas sibi consecratas. Quamquam id ipsum esse non hominis currentis, sed miserentis Dei in Cantico eo demonstratur, quod semper inopinato Sponsus accedere videtur, imo tum ipsum, cum spes relinquitur minor (cf. potissimum 3,4). Nec vero minus evidens est, quaedam tamen semper merita Sponsae praecessisse.

Omninoque ita Sponsa describitur, ut animae piae conditionem pulcherrime adumbret. Cuius quanta sit vel esse debeat *caritas,* iis verbis ostenditur, quibus ardentiora difficile sit excogitare; item quanta eius *naturalis indignitas* sit, identidem optime indicatur : 1,4 sq. 8,8, cf. modestum silentium et verecundam laudum interpellationem c. 4 et 7; vicissim quantam ei *supernaturalem dignitatem* Sponsi liberalitas conferat, ornamenta virtutesque laudatae demonstrant; adde angelorum iteratam praesentiam et filiarum Ierusalem utilitatem ac laetitiam, ex illius exemplo perceptam. Quid de ipsius Sponsi dicamus pulchritudine, bonitate, largitate, cuius nos omnes, Canticum legentes, gloriamur esse participes? Quid de magnificentia regni eius supernaturalis s. mysticae urbis Ierusalem? Nonne iucundissima suavissimaque sunt nobisque optime accommodata colloquia Sponsorum, non dulcissime ipse sonus verborum versuumque accidit ad aures, non regio omnia fulgent splendore, non quidquid est toto mundo pulchrum in hoc carmen videtur congestum, non coelestes undique halant odores? Quid mirum, si sanctissimus quisque et doctissimus inter scriptores antiquos atque adeo Christi Ecclesia Cantici verba tamquam melle dulciora in ore semper habuerunt, si in his ascetica doctrina ac mystica prorsus habitare videtur? Ipse autem Salomon, ut in eius laudem omnia vertamus, hoc carmine meritus est, ut paranymphus Verbi divini eiusque Sponsae Ecclesiae iure possit appellari. Quorum in comitatu ut nos quoque omnes perpetuo versemur beati illamque vocem suavissimam : « Dilectus meus mihi et ego illi » laeti modulemur, faxit idem divinus Ecclesiae animarumque Sponsus, qui est benedictus in saecula!

O. A. M. D. G.

INDEX.

ECCLESIASTES.

Paginae.

Praefatio V

QUAESTIONES COMMUNES.

I. De argumento libri 1
II. De optima interpretandi ratione 17
III. De scriptore 20
IV. De subsidiis interpretandi 50

ENARRATIO.

A. PROOEMIUM 1,1-11.

a) Libri inscriptio 58
b) Prooemii pars prior 68
c) Prooemii pars altera 76
d) Quaestiones adiunctae 87

B. DISPUTATIONIS PARS PRIMA : De privatae vitae vanitate 1,12-3,15.

a) Vana sapientia 97
b) Vana voluptas, vana magnificentia :
1. *Voluptas* 119
2. *Magnificentia* 127
3. *Sapientiae mundanae et stultitiae comparatio* 136
4. *Cur vani sint labores « sapientium »* 141
5. *Concluditur argumentum* 143
c) Epilogus primae partis 150

C. DISPUTATIONIS PARS SECUNDA : De civilis vitae vanitate 3,16-7,30.

a) Vanus dolor indignantium et aemulantium 168
b) Vana morositas 188

Paginae.

c) Partis secundae recapitulatio :

1. *De indignantibus* 198

2. *De avaris* 210

3. *De rege fastidioso* 220

d) Oratoria amplificatio :

1. *De divinae voluntatis decreto* 225

2. *De levitate* 236

3. *De austeritate* 240

4. *De aurea mediocritate* 245

5. *De corruptela muliebri* 250

D. DISPUTATIONIS PARS TERTIA : « Verbi solutio » 8,1-12,8.

a) Summi Regis observa tempus 260

b) Videns iniquitatem moderare tibi 267

c) Sciendi studium compesce 274

d) Liber a cupiditate fruere vita 279

e) Veram sectare sapientiam 285

f) Ab indignatione cave 292

g) Labora assidue 297

h) Pietatem cole 305

E. EPILOGUS 12,9-14 326

CANTICUM CANTICORUM.

Praefatio 335

QUAESTIONES COMMUNES.

I. De cantico canticorum generatim 337

II. Quid cavendum sit interpreti 345

III. Specimina interpretationis :

1. De allegoria (*S. Thomas Aquin., Bern. Schaefer, Ven. Beda, Origenes, Theodoretus et alii*) 354

2. De historica explicatione 368

3. De typica interpretatione (*Bossuet, Calmet, Delitzsch, Zoeckler*) 369

4. De scenica ratione explicandi (*Kaempf, Stickel*) 384

IV. De allegoria Cantici 388

V. De Cantici interpretibus 415

ENARRATIO.

Paginae.

De inscriptione 422
Prima pars : I. scena 1,1-2,7. 431
II. scena 2,8-17. 469
III. scena 3,1-5 478
Altera pars : IV. scena 3,6-5,1. 485
Tertia pars : V. scena 5,2-6,8. 506
VI. scena 6,9-8,4. 518
VII. scena 8,5-14. 529
De mystica Cantici sententia 537

ERRATA.

P. 27 versu 12 a summo *lege* בְּשַׁ';

P. 277 v. 11 ab imo וְלָבוּר;

P. 278 v. 21 ab i. הַנִּשְׁבָּע;

P. 378 v. 15 ab i. : Nec id molestum est interpretibus, quod;

P. 422 v. 8 a s. μή, item v. 17 καὶ (pro κα);

P. 424 v. 2 et 19 ab i. ל׳מֹה;

P. 432 v. 17 a s. דַּדַּיִם;

P. 520 v. 17 a s. valet.

Alia minora omitto, ut cum puncta quaedam hebr. interciderunt : p. 27 v. 3 ab i.; p. 30 v. 1 ab i.; p. 33 v. 14 ab i.; p. 527 v. 13 ab i., et alia huismodi.

31071

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.C6C8 C001 V023
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE PARISIIS

3 0311 00015 7896

BS
475
.C6C8 31071
Cornely, Rudolph, 1830-1908
AUTHOR
V.23 CURSUS SCRIPTURAE SACRAE.
TITLE

DATE DUE | BORROWER'S NAME

~~220.6~~ C977c ~~v.22~~
[illegible] LIBRARY 1955

BEFORE TAKING BOOK
from library, remove slip from this pocket; put your name and date on it and place it in the box provided for the same.

WHEN RETURNING BOOK
return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.
Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best service possible from your library.

3 0311 00015 7896